




Nostra Hermanni ex gratia Dei archiepiscopi Coloniensis, et principis electoris, &c. Simplex ac pia deliberatio, qua ratione, Christiana & in uerbo Dei fundata Reformatio, Doctrinae, Administrationis diuinorum Sacramentorum, Caeremoniarum, totiusq[ue] curae animarum, & aliorum Ministeriorum Ecclesiasticorum, apud eos, qui nostrae Pastoralis curae commendati sunt, tantisper instituenda sit, donec Dominus dedit constitui meliorem, vel per liberam et christianam Synodum, siue Generalem, siue Nationalem, uel per Ordines Imperii Nationis Germanicae in Spiritu Sancto congregatos.

<https://hdl.handle.net/1874/432071>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

162




Epistolarum Colonicarum
tabula

25.

h.





Similit̄ & om̄s discipuli dixerunt.
Tunc uenit ih̄c cū illis in uillam
que dicitur getsemani. **E**t dixit dis
cipulis suis. Sedete hic donec uadā
illuc & orē. Et assumpto petro. &
duobus filiis zebedei cepit c̄ristari
& mestus eē. **T**unc ait illis. **T**ristis
est anima mea usq; ad mortē. **S**ustine
te hic & uigilate mecum. **E**t pro
gressus pusillū. prociudit in faciem
suā orans & dicens. **M**i pater si possi
bile est. transeat a me calix iste.
Verūtamen n̄ sicut ego uolo. sed
sicut tu. **E**t uenit ad discipulos.
& inuenit eos dormientes. **E**t dicit
petro. **S**c̄e non potuisti una hora
uigilare mecum. **U**igilate & orate.
ut n̄ intretis in temptationē. **S**ps
quidem p̄mptus ē. caro autē infirma.
Iterū sedo abuit. & orauit dicens.
Pater mi. si non potest hic calix trans

gladiū suū. & percutiens seruū prin
cipis sacerdotū amputauit auricu
lam eius. **T**unc ait illi ih̄c. **C**onuer
te gladiū tuum. in locū suū. **D**ñs
enim qui acceperunt gladiū. gla
dio peribunt. **A**n putas quia non
posū rogare patre meū. & exhibe
bit michi modo plus quā duodeci
legiones angelotū. **Q**uomodo ergo
implebunt scripture. **Q**uia sic oportet
fieri. **I**n illa hora. dixit ih̄c
turbis. **T**amquā ad latronē exiit
cū gladiis & fustibus. cōprehendere
me. **S**otidie apud uos sedebā docens
in templo. & non me tenuistis.

Hoc autē totū factū est. ut imple
rent scripture p̄phetarū. **T**unc dis
cipuli om̄s. relicto eo fugerunt.

At illi tenentes ih̄m. duxerunt
ad caiphan principem sacerdotū.
ubi scribe & seniores conuenerant.

Miscellanea Theologica

Folio n°. 162.

et dedit illi osculum. **D**ixitque de hoc om̄s
et dedit illi osculum. **D**ixitque de hoc om̄s

N^o 25. A.

N^o 109. C.

~ ~ ~


NOSTRA

HERMANNI EX GRA

TIA DEI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS,
ET PRINCIPIS ELECTORIS, &c. SIMPLEX AC PIA DELIBERATIO, qua ratione, Christiana & in uerbo Dei fundata Reformatio, Doctrinae, Administrationis diuinorum Sacramentorum, Cæremoniarum, totiusq; curæ animarum, & aliorum Ministeriorum Ecclesiasticorum, apud eos qui nostræ Pastoralis curæ commendati sunt, tantisper instituenda sit, donec Dominus dederit constitui meliorem, uel per liberam & Christianam Synodum, siue Generalem siue Nationalem, uel per Ordines Imperii Nationis Germanicæ in Spiritu Sancto congregatos.

HIEREM.
VI.

Hæc dicit Dominus State sup uias, & uidete, & interroga te de semitis antiquis qua sit uia bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus uestris.



ACTO.
XX.

Attendite igitur uobis & cuncto gregi, in quo uos Spiritus Sanctus, posuit Episcopos, ad regendam Ecclesiam Dei, quæ acquisiuit sanguine suo.

BONNAE EX OFFICINA LAURENTII MYLII
TYPOGRAPHI. ANNO M. D. XXXXV.

Ex dono Büchelij.



Ad lectorem.

*Sacra repurgandi ratio quæ possit iniri,
Hactenus innumeris contemnerata malis,
Principis ostendit pia consultatio nostri,
Nominis Attenti pro ratione sui.
Accipe Lector opus, conspecto nomine tantum
Ne temere damnes, fas pietasq; uetant.
Mente legas sana: quæ stusq;, odijq;, metusq;
Iudicium nullo sollicitante malo.
Inuenies sacris hæc omnia consona libris,
E quibus, ut uero fonte, petita uides.
Sensit ab incepto secus haud Ecclesia mundo,
Abramo hæc pietas, hæc tibi Paule fuit.
Quod dum cognoris, studio precibusq; laborem
Tu quoq;, quod poteris, prosequere usq; pium.
Idq; (nihil dubites) & in hoc æuoq; futuro
Incompensatum non sinet esse Deus.
At pia, quisquis is est, qui cœpta morature & odit,
Vincla feret nullo laxa futura die.
Nos autem, quibus est uia commonstrata salutis,
Pro tanto ingratos non decet esse bono.
Principis ut nostri Reuerēda Senecta prece mur
Nixa Deo teneat, quod bene cœpit, iter.
Vtq; tot et tantis Ecclesia libera turbis,
Vnanimi celebret corde fideq; Deum.
Vt sic crescentes omni pietate, feramus
Vera Sodalitij gaudia Christe tui.*

Ex dono Bibliothecæ

HERMAN NVS DEI GRATIA

ARCHIEPISCOPVS COLONIENSIS

Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellarius, & Princeps


Electoꝝ, Dux Vuestphaliae & Angariae, Administrator Pader-

bornensis &c. Precamur omnibus & singulis, hæc nostra lectu-

ris, audituris, & cognituris, gratiam, pacem, & felicitatem,

à Deo Patre nostro, per Dominum & unicum

seruatorem nostrum Iesum Christum.



OTVM OMNIBVS ET MANI
festum est, Inuictissimum nostrum Impe-
ratorem D. Carolum, clementissimum
Dominum nostrum, in multis iam Comi-
tiis, una cum Principibus Electoribus, ac
cæteris Principibus, ac Ordinibus Sacri Ro-
mani Imperii per Germaniam, summo stu-
dio & cura, multas uariasq; quæsiuissè ui-
as & rationes, quibus ista periculosa &
pernitiosa, tamq; late ad calamitatem ma-

ioꝝrem patens dissensio & altercatio in Sacra Religione, tolli, & gene-
ralis Ecclesiarum ac Christiana consensus & Reformatio per uniuersam
nationem Germanicam cõstitui & introduci posset. Verum quia
hanc generalem & piam Ecclesiarum concordiam atq; Reformatio-
nem hucusq; inuenire & cõstituere Maiestas Cæsarea non potuit, pia
sanè ex causa, consilioq; admodum Christiano, in Comitibus proxi-
mè Ratisponæ habitis, una cum Pontificio Legato, omnibus Ecclesia-
rum Prælatibus & iniunxit & mādauit, ut inter se, et apud suos, Christia-
nam Ecclesiasticarum rerum correctionem instituerent, quæ ad de-
centem atq; salutarem administrationem Ecclesiasticam faceret, eamq;
Ecclesiæ obseruandam proponerent, & summo studio, & ea fide, quæ Ec-
clesiasticos hoc in negotio uel maximè decet, tuerentur, neq; ad eos
respicerent, qui huic pio instituto uel impedimētum uel moram in-
iicere uellent, quòd sperarit ea ratione cõmodiorem modum & ad or-
dinationem, & ad Reformationem Ecclesiasticam constitui posse, ho-
minumq; animos præparari, quo citius in Religionis conciliationem

consentiant. Præter hæc singulati studio à nobis nostræ ditionis Ordines in multis Comitibus petierunt, ut piam & Christianam Reformationem constitueremus. Atq; adeo in ultimo Bonnenfi Conuentu, Comites, Equestris ordo, Nobiles, & Ciuitates nostræ Diocæsis nobis detulerunt, nostræq; fidei crediderunt, ut ad dictam rationem Ecclesiarum Reformationem colligi et publicari curaremus, & Ecclesiis nobis commissis retinendam proponeremus. Accedit his, quod nos ipsi certissimis argumentis Dei deprehenderimus quotidie, quàm nostræ Ecclesiæ opus emendatione habeant, quod plane destitutæ sint piis atq; doctis Ministris, ideoq; nihil synceræ certæq; doctrinæ tractari inter nostros, cum tamen eam & coram senibus & iuuenibus semper prædicari & doceri oportuit. Nam ex illa sanioris & fidelioris doctrinæ negligentia, animaduertimus horribilem Dei ignorantiam, perniciosam supersticionem, καὶ ἀπισίαν, grauissimam peccata, omniumq; bonarum & salutarium rerum turbationem ac confusionem necessariò sequi.

Itaq; nos, quando intelleximus dicta horribiliter inualescere, nullam amplius moram admittendam putauimus, quin potius de istis emendandis & cogitauimus seriò, & deliberationem instituiamus, & maximè in extrema ista nostra senectute, quæ certè nos admonet hinc nobis breui ad Christi tribunal ueniendum, ubi & iniuncti officii nobis rationem reddendam esse scimus. Quare ut primum debitam nostro Seruatori, ac Domino Christo Pastorum Principi, eiusq; gregi obedientiam præstaremus, Deinde ut nostrum Summum Magistratū Cæsarem agnosceremus, Postremum, ut salutem, & emendationem Religionis in populo Christi nostræ fidei commisso quereremus, pro Episcopi munere nobis imposito, toti in hoc fuimus pro nostra simplicitate, proq; dono nobis clementer ab Omnipotente concesso, ut modum aliquem constituendæ restaurationis doctrinæ Ecclesiasticæ adeò in tanta perturbatione necessariè inueniremus, quam porrò nobis creditis proponeremus, Qua in re si nostrum officium nõ faceremus, certè maiorem Dei ergà nos iram concitaremus, & animarum indubitatum & irrecuperabile exitium inde sequuturum omnes pii intelligunt. Quare neq; uoluimus, neq; potuimus differre nostrum Reformationis institutum. Multos igitur uiros, & eos exercitatos, & Dei timore, spiritali prudentia, & doctrina præditos in colloquium adhibuimus, cum quibus diu multumq; colloquuti, omnia fideliter expendimus, tandem Dei beneficio sequentem formam & præparationem restituendæ Doctrinæ & Ecclesiasticæ disciplinæ inter nostros ordinauimus, qui etsi illorum indignus sim Episcopus, tamen legitime

mè sum constitutus & Archiepiscopus, & animarum curator.

Et hanc ipsam formam & rationem Reformationis Christianæ non ideo proponimus, quasi nihil uel emendari, uel mutari in ea possit, uel quam omnino alii sequi debeant. Per Dei gratiam agnoscimus fidei nostræ infirmitatem, nostriq; iudicii tenuitatem, in istis adeo magnis atq; difficilibus negotiis, regnum cœlestis nostri Domini Iesu Christi, & nostram salutem concernentibus. Sed quia noster charissimus Dominus Iesus Christus suum Patrem ideo laudauit, simulque gratias egit, quòd regni cœlestis mysteria à prudentibus & sapientibus huius seculi absconderit, & reuelarit simplicibus & contemptis, atq; suum salutiferum Euangelium sine discrimine doctis, & indoctis ad æternæ salutis consequutionem prædicari iusserit, Et etiam Spiritum suum promiserit, per quem intelligimus, adeoq; accipimus ea, quæ in Euangelio ipse pro æterna nostra salute donat atq; offert, iis omnibus, qui hunc in nomine charissimi Filii, nostri Domini Iesu Christi, à Patre quærent, quemadmodum Christus ipse testatur, non decuisset nos, qui Christi fidem profiteamur, & Episcopi munere fungimur, & si in utroq; hoc est, in Christiana uita, & Episcopali officio non satisfacere nos fateamur, dubitare de gratia & dono Dei, diffidereq; de Deo, & Patre nostro cœlesti benignissimo, quasi non & nostris & nostrorum piis precibus moueri possit, ut Spiritum sanctum nobis largiatur clementer, quo ex eis Euangelio discamus atq; cognoscamus nostrum munus ab eo impositum ornare, et certe disponere atq; ordinare, ut populus nostræ fidei ceditus, fideliter diligenterq; per pios et idoneos ministros doceatur, quomodo per ueram uiuamq; fidem Dominum nostrum Iesum Christum agnoscat, unicumq; Seruatorē confiteatur, inuocetq; uera uiua & frugifera fide, et planè filiali fiducia eius auxilium in omnibus tribulationibus imploret, et per eius opem sese exerceat in uerè bonis & frugiferis operibus, Sacrosanctis Sacramentis, et reliquis Ecclesiæ ceremoniis, iuxta Domini institutionem, ut pietas quotidie magis atq; magis crescat, et quicquid Dei uerbo aduersatur, peccata et offendicula, quæ in Dei Ecclesiam irreperunt, abrogentur.

Quare omnino nihil uel nostræ uel aliorum prudentiæ et doctrinæ tribuentes, tantum uera gratia, et cetera Dei Patris promissione, atq; merito & uirtute Domini nostri Iesu Christi, unici capitis, & Ecclesiæ suæ uigilantis Pastoris confisi, & animati, decreuimus ea, quæ ita collecta sunt, post diligentem deliberationem & correctionem, quantum breui in tempore fieri potuit, & Dominus sua gratia iuuat, ex nostra simplicitate edere, pro aliqua Christianæ Disciplina reformatio-

ne, ut qui fateamur nostri officii esse, Christi oues pascere, & Ecclesias nobis commissas fideliter curare. Et appellamus Deum nostrum creatorem, qui est æterna ueritas, & καρδιωγός, & cogitationum omnium perspector, testem, nos in hoc toto Reformationis negotio, neq; nostram gloriam, neq; nostrum priuatum commodum quærere, sed tantum spectare, ut gloria Omnipotentis quàm latissimè in nostrorum æternam salutem propagetur.

Rogamus itaq; per Dominum nostrum Iesum Christum, cuius causa, negocium, & opus hoc scripto agitur, omnes Christianos, cuiuscunq; conditionis sint, qui uel hanc Reformationis præparationem lecturi sint, uel eam legere audierint, tam nostros, quàm alios, si quid in ea deprehenderint, quod Dei uerbo non consonans esse, & ad ueram ædificationem fidei in Christum facere non uideatur, quæ est sita in Diuini incrementi accessione, ut eius certiores nos reddant, & ex Sacris literis mansuete erudiant. Id (Deo sua gratia nos gubernante) in optimam partem accipiemus, & ea quæ intellexerimus ad Ecclesiæ reparationem conducere, propensa amplectemur uoluntate, & diligentius parati sumus facere, quàm in hoc Reformationis libro habeatur, ne quid desit necessariæ Ecclesiarum Reformationi. Et è contra ab eis petimus, ut si cognouerint Dominum clemèter nobis concessisse sensum & uoluntatem suam assequi, nobis & beneuolentia & studio suo pro uiribus adesse uelint, quo hæc ipsa ut salutifera mandata & præcepta nostri Creatoris, Redemptoris, & Iudicis Iesu Christi proponantur, potissimum cum intelligant, non decere ullo modo nos in iis rebus, quas à Deo nostro & Seruatore ex eius uerbo certò agnoscimus nobis & impositas & præceptas, uel propter ullius hominis auctoritatem, potestatem, uel propter expectationem Synodi siue generalis, siue nationalis, amplius differre quin quæ ad gloriam Dei, & sui Charissimi Filii, & salutem populi pertinent, obseruanda, ea qua poterimus commoditate, proponemus nostris, & aliis, quantum nobis adfuerit Omnipotens sua Diuina gratia, quam precamur omnibus, qui eam uerè per Christum Dominum nostrum quærunt, ac nostram qualemcumq; obedientiam, quam Diuinæ Maiestati debemus in hoc nostro proposito, cum uniuersis nostris subditis, & nostro officio commendamus, rogantes hos ipsos filios Dei, qui regni Christi amplificationem sincero corde cupiunt, quibus indubiè nostrum necessarium, etsi infirmum officium, gratum erit, ut hoc ipsum nostrum propositum, atq; ministerium, nos, & subditos, suis piis precibus studiosè iuuare uelint. Quòd nobis gratum fuisse, uni cuiq; declarare, quando poterimus, expetimus, Datum Buschouii.

INDEX PRAECIPVORVM CAPI-
TVM IN HOC LIBRO REFOR-
mationis,

De Doctrina	Folio I.
Præmittendam esse pro Concione aliquam ex S. Scriptura Lectio- nem, eamq; populo explicandam	V.
Omnes Conciones ad prædicandum Christum Dominum institui o- portere	ibidem.
De Trinitate	VI.
De Creatione & gubernatione rerum omnium	VII.
De gubernatione & administratione rerum omnium	IX.
De causa peccati & mortis	X.
De peccato Originali & humana imbecillitate ante Regenerationē	XI.
De Veteri Testamento	XII.
De discrimine Veteris & Noui Testamenti	XIII.
De prædicatione Nouo Testamento propria	XVII.
De prædicatione pœnitentiæ	XVIII.
De usu Legis Diuinæ uero & proprio	XIX.
Breuis explicatio Decalogi	XXIII.
De Remissione peccatorum & iustificatione	XXXI.
De bonis operibus	XXXV.
De uera & germana significatione uocabuli fides	XXXIX.
De Cruce et afflictionibus	XL.
De Ecclesia Dei	XLIII.
De unitate seu concordia Ecclesiæ	XLV.
De Oratione Christiana	XLVII.
Breuis explicatio Orationis Dominicæ	XLIX.
De Abusu in oratione	LI.
De uero falsoq; usu imaginum	LIII.
De Christiano Ieiunio	LVII.
De Sacris oblationibus	LX.
Præmunio et mandatum contra errores Anabaptistarum	LXII.
De Administratione Religionis	LXVII.
De Sacramentis in genere	LXVIII.
De Baptismo	ibidem.
Forma Catechismi ante Baptismum	LXX.
Exorcismus	LXXIII.
De Administratione Baptismi	LXXIII.
<i>De primata confessione</i>	Quomo-

Quomodo tēporibus non statis administrandus Bap̄tismus	LXXV.
De Bap̄tismo priuatim propter periculum Infantum administra- to	LXXVI.
De confirmatione	LXXVIII.
De Cæna Domini	LXXXII.
Quo tempore Cæna Domini celebranda	LXXXVIII.
De præparatione de Cæna Domini	LXXXIX.
Breuis institutio de Cæna Domini	ibidem.
Quo pacto celebranda sit Cæna Domini	XCI.
De communione Peregrinorum et ægrotantium	XC VII.
Quomodo ægroti uisitandi, & cōmunio cum eis celebranda	ibidem.
De comunione in priuatis ædibus pro sanis	XCIX.
De conuersione à peccatis & uera pœnitentia	ibidem.
De Excommunicatione	CI.
De ordinatione & constitutione Pastorum	CII.
De Benedicendis nuptiis	CIII.
De Sepultura	CVIII.
De Sacris Feriis & Festis diebus	CXIII.
De diebus Ieiunii & Quadragesima	CXIII.
De discrimine ciborum	CXV.
De aliis quibusdam Ecclesiæ ritibus, siue cæremoniis	CXVI.
De Ecclesiasticis ritibus in profestis diebus,	ibidem.
De peculiaribus Supplicationum diebus	CXVII.
Litania	CXVIII.
De publicis eleemosynis	CXIX.
De Scholis puerilibus	CXX.
De Schola Theologica	CXXIII.
De Disputatione	CXXV.
Qua uia & ratione Christiana Reformatio Sacri Ministetii & curæ ani- marum in Parochiis auspicianda & re ipsa incunda sit	ibidem.
De reformandis Collegiis Canonicis	CXXVII.
De reformatione Monasteriorū tum uirorū tum mulierum	CXXXI.
De liberis et non Monasticis Collegiis Virginum	CXXXIII.
De ordine Capputiatorum et Beghardorum	CXXXV.

DE DOCTRINA.



ALVATOR NOSTER DEI FI-
lius Iesus Christus, qui ad hoc uenit, ut ad-
mirandam illam & absconditam Dei uo-
luntatē, de humani generis salute pateface-
ret, ita Discipulis suis, atq; omnibus ad Mi-
nisteriū Euangelii sui uocatis, locutus est:
Quāadmodum me misit Pater, & ego mit-
to uos. Et alibi: Ite in mundum uniuersum
& prædicate Euangelium omni creaturæ,
docētes eos seruare omnia, quæcunq; præ-
cepi uobis. Præterea Deus æternus, Pater
Domini nostri IESV CHRISTI è cælo

*Ioan. 16.
Marc. ult.*

Mat. 3. 47.

locutus est de filio suo: Hunc audite. Hunc igitur doctorem criticum,
ac censorem omnium scriptorum statuamus. Vide Cyprianum lib. II.
epistolarum, epistola. III. Et quod Christus debeat solus audiri, Pater
etiam de cælo contestatur, dicens, Hic est filius, in quo bene sensi, ip-
sum audite. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus at-
tendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid, qui an-
te omnes est, Christus, prior fecerit.

Cum igitur hæc Dei Patris & Domini nostri Iesu Christi doctri-
na, in nullis, præterq̃ Prophetarū & Apostolorum scriptis, tradita sit,
neq; alia extet, in qua uoluntas Dei ab initio de humana salute certiori-
bus & firmioribus testimoniis prodita sit, Paulus quoq; dicat super
hæc ædificatā esse Ecclesiam, In primis necessariū est, ut ministri Euan-
gelii omnes, cum timore Dei, & diligentia summa, totam scripturam
diuinam legant, relegant, atq; expendant, quo ipsi doctiores euadāt, &
alios de æterna uoluntate Dei, de Lege, Peccato, Ira Dei, Gratia & Iu-
sticia promissa propter Mediatorem Christum, Vita æterna, & pœ-
nis æternis, quas uerbi contemptores pati necesse est, doceant.

*Omnes prædicationes fu-
mende ex scripturis sa-
cris.*

Ephes. 2.

Hæc sapientia, teste Paulo ad Corinthios, longè superat omnem
humanam sapientiam, Ait enim: Loquimur sapientiam Dei in myste-
rio, quæ est abscondita, quā prædestinauit Deus ante sæcula, in glori-
am nostram, quam nemo Principum huius sæculi cognouit, nobis au-
tem reuelauit Deus per Spiritum suum. I. Cor. II.

Quare cum Deus salutiferam & cœlestem illam suam doctrinam,
tantum in Prophetarum & Apostolorum scriptis proposuerit nobis,
neq; eam aliunde certam & indubitatam accipere possimus, debent

A Pastores

DE DOCTRINA

Pastores atq; Cōcionatores omnes, in sacris & diuinis his libris dies noctesq; diligenter se exercere, quò ad docēdos alios magis fiant idonei, Quemadmodum id nominatim Spiritus sanctus in eis requirit, ut exhibeant se Deo probatos, & eiusmodi operarios Christi, quos ministerii sui non pudeat, quiq; sermonem ueritatis rectè secent, atq; cum fructu alios doceāt. II. Timo. II. Item Tenaces sint eius, qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis, ut sint potentes exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes erroris conuincere. Tit. I.

S. Ciprianus ad Pompeiū contra Stephani epistolā, Oportet enim Episcopum non tantū docere, sed et discere, quia et ille melius docet, qui quotidie crescit, et proficit discendo meliora. Vide item S. Augustinum lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 26.

Doctrinis et scriptis hominum multum inest uitium.

In quo Diuino præcepto, omnibus Ecclesiarum Doctoribus & Ministris proposito, diligenter obseruent Pastores atq; Concionatores. Primum requiri ab eis, ut in dicendo tenaces sint sermonis certi atq; fideles, cui scilicet certa & indubitata fides haberi possit. Ex quo sequitur eos oportere maximo cauere studio, ne quid doctrinæ & concionibus suis admisceant humanarum opinionum, sed syncerum Dei uerbum religiose doceant, & populo tradant. Perpetua enim constat oraculi eius ueritas, Omnis homo mendax. P sal. CXVI. Et Paulus ait, Animalis homo non intelligit ea quæ sunt spiritus Dei, Stultitia siquidem ei sunt, & non potest ea cognoscere, I. Corinth. II. Sic Esaias capite XL. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri, fœnum exarescit, & flos decidit. Et uerbum Domini manet in æternum. Cum igitur homines suo ingenio fallantur, neq; doctrinam gratiæ ex se intelligere ualeant, atq; gloria siue præstantia eorum (quo nomine Prophetæ, uel maximè sapientiam humanam significare uoluit) ueluti flos decidat, qui posset humana ratio et sapientia, quando non à spiritu et uerbo Dei ducitur, ac regitur, quicquā certi ac ueri tenere ac tradere, maximè de rebus diuinis, et restitutione hominis. Quamuis etiam Christi spiritum omnes Christiani habeāt, qui ut unumquemlibet, quantum ad eius salutem, & Ecclesiæ utilitatem satis est, in omnem ueritatem inducit, ita in multis Euangelium Christi preclaris quoq; scriptis & monumentis olim testatus est, & hodie etiam testatur ac prædicat, Hæret tamen in omnibus, quantumuis sanctis & spiritualibus hominibus, tantisper dum hic uiuunt, caro et sanguis, quæ non intelligūt, quæ Dei sunt. Manet sensus carnis, qui Deo aduersatur. Quare in hac uita nemo unquam fuit, aut est, tanta uel sanctimonia, uel doctrina præditus, quem non sæpiùs labi et falli contingat.

Augustinus. Negare non possum, nec deo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint iusto iudicio, & nulla temeritate culpari.

idem in Epistola ad D. Hieron.

Vnde ut D. Aug. ita et ceteri Patres et Doctores ueteres, scripta omnia et sententiæ eorū, qui aut ante eos, aut ipsorū tēpore docuerint non ideo receperūt, quòd à uiris tanta tū pietate, tū doctrina præstantibus proficiscerētur, sed quatenus suā quisq; doctrinā, & sententiā, ex uerbo

Dei,

Dei, & rationibus certis confirmaret. Easq; tantum rationes certas habuerunt, quas ex Dei uerbo deductas intelligebant. Quales sunt, quibus D. Paul. probat mulierē in Ecclesia debere uelare caput, tacere, nec docere uiros I. Cor. XI. & XIII. Cōfirmat enim ista Apostolus ex eo, quòd uerbum Dei testatur mulierē esse ex uiro, posteriorem creatam & priorem admisisse fraudem Satanæ. Item debere uiro esse subditam.

Quomodo de Patrum
Scriptis indicandum.

Quamobrem omnis pię doctrinę confirmatio solo Scripturę testimonio constat, cui quicquid de Deo, & Christo nostro & credimus, & docemus, inniti debet. Hęc enim sola uerbum Dei (cui soli in Diuinis est credendum) syncerum & certum proponit, quippe non ab hominibus, sed à Spiritu sancto cœlitus dictata, quemadmodum testatur D. Petrus, cum inquit. Illud primum scitote, quòd omnis Prophetica scriptura non sit priuatę interpretationis, Non enim uoluntate hominis allata est aliquando Prophetia, sed à Spiritu sancto impulsu, locuti sunt sancti Dei homines. II. Petri, I

Cui fundamento omnis
doctrina inniti debeat.

Humanę itaq; doctrinę omnes in Ecclesia, quę non nituntur uerbo Dei in S. Scripturis tradito, inutiles sunt, & perniciosę, teste Christo, & Esaia. At Scriptura sacra certa, & salutifera nobis doctrina est, sicut docet Paulus, cum inquit. Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad institutionē, quę est in iustitia, ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum paratus. II. Timoth. III.

Matth. 15
Esa. 29.

Cum ergò hęc Prophetica, & diuinitus inspirata Scriptura, utilis sit, atq; abundè sufficiens ad perfectam uerę atq; salutifere doctrinę cognitionem, ut institui, & ad omne opus bonū præparari homines Dei possint, ut errores quoq; omnes, qui religioni & pietati aduersantur, regi & confutari queāt, necesse est Pastores, atq; Concionatores omnes conciones suas, & doctrinam, ex S. Scriptura semper desumere sedulo item cauere, ne quando admisceant humanas doctrinas & interpretationes, quę ex hoc puro uerbi Dei fonte non promanarint.

Quo itaq; Pastores & Concionatores populum Christi ex his Spiritus sancti libris rectè instituere possint de omnibus, quorum cognitio ad salutem utilis & necessaria est, opus est, ut in studium sacrarum literarum summa & perpetua cura incumbant. Et quo id utilius faciant, & ueram S. Scripturę intellectum consequi possint, piis precibus augeri sibi spiritum sanctum assiduo orēt, unicum S. Scripturę interpretem, Nam animalis homo eam non intelligit, quemadmodum neq; alias res spirituales. Quod nos Apostoli suo ipsorū exemplo satis docent, qui, ut est Lucæ ult. prius non intelligebāt Scripturas, quàm Christus ipsorum mentem aperiret. Spiritus itaq; rectè intelligendi S. Scriptu-

Concionatores pro aug-
mento Spiritus sancti ora-
re debere, neq; implicari
uitæ negocijs.

DE DOCTRINA

ram, tum in nostrā ipsorum, tum in aliorum salutem et utilitatem, ante omnia fidei oratione quærendus, et impetrandus est. Quare necesse est, ut Concionatores sese à mundi et carnalibus negociis abstrahant, quantum omnino præsentis uitæ necessitas patietur, omnibusq; exercitiis Spiritualibus se penitus dedant, si uelint negocium pietatis, et sacras literas, cum ipsi rectè percipere, tum Ecclesiæ Dei utiliter administrare, atq; dispensare fideliter salutis doctrinam, ut quisq; homines suæ curæ commissos, tam ingenio rudiores, quàm qui aliquo mentis acumine & eruditione præditi sunt, de Sacrosancto Euangelio, & scientia pietatis ad ipsorum salutem edoceat, & eo suo ministerio efficiat, ut singuli Propheticum & Euangelicum sermonem fideliter percipiant, eiq; summo studio attendant, tanquàm lucernæ apparenti in obscuro loco, ne ueluti pueri fluctuēt & circumferantur quouis uento doctrinæ, sed ueritatem sectantes in charitate, adolescant in illum per omnia, qui est caput, nempe Christus.

a Petri 1.
Ephes. 4.

Quam sit opus exhortatione.

Deinde officium Pastorum atq; Ministrorum uerbi est, ut eos, qui doctrina pietatis rectè imbuti sunt, adhortentur, eisq; sedulò instent, ut in doctrina illa percepta perseuerent, parati quælibet potius sustinere ac perpeti, quàm ab ea discedere, utq; se filios Dei bonis operibus & Christiana uita testentur. Aduersarius enim noster Diabolus nunquàm feriat, sed ueluti Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, teste Petro. Idq; agit, non modò intus ignitis telis tentationum, & illecebris carnalibus contra Legem Dei, sed etiam foris, cū persecutione, & oppugnatione potentum, tum hypocrisi & uano splendore falsæ doctrinæ, sicut testatur quotidiana experientia. Quapropter maxime curandum est Episcopis & Concinatoribus, ut summa semper diligentia admoneant, confirmet, consolentur, & exhortentur infirmiores in fide Christi, quo antiquo & undecunq; in gregem Domini inuadere conanti inimico, fortiter resistere, & in fide perseuerare studeant, uti D. Petrus 1. Petri. V. Item Paulus Ephesiorum VI. nos docent.

1. Petri 5.

Exhortatione ad pietatem semper opus.

Quo autem tempore, quo uel loco, haberi huiusmodi consolationes atq; exhortationes debeant, certo præscribi non potest. Nec enim publicè tantum pro Concionibus his opus est, sed & sæpe aliàs, ut fert occasio, & necessitas postulat. Quemadmodum Timotheum grauius monet D. Paulus: Obtestor ego coram Deo, & Domino Iesu Christo qui iudicaturus est uiuos & mortuos, in apparitione sua, & in Regno suo, Prædica sermonem, in sta tempestiuè, in tempestiuè, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate, & doctrina.

a. Timoth. 4.

Idem

Idem etiam Apostolus suo ipsius exemplo cōprobat, in postrema illa cōcione habita Mileti ad Pręsbyteros Ecclesiarū. Scitis, inquit, à primo die, quo ingressus sum Asiā, quomodo uobiscum per omne tēpus fuerim, seruiens Domino cū omni animi humilitate, cū multis lachrymis, & tentationibus, quę mihi acciderunt ex insidiis Iudæorū, ut nihil subterfugerim eorum, quę essent in rem uestram, quin annunciarem uobis, & docerē uos publicè, ac per singulas domos, testificans Iudæis simul & Gręcis, eam, quę erga Deum est, pœnitentiā, & fidem, quę est erga Dominum nostrū Iesum. Attendite igitur uobis & uniuerso gregi, Item: Vigilate, memores, quòd per triennium nocte & die non cessauerim cū lachrymis monere unūquemq; Et in priori ad Thef. II. cap. Vos testes estis & nostis, ut erga unūquemq; uestrum, tanq̄ pater erga filios suos, fuerimus affecti, obsecrātes uos, consolantes & obtestātes, ut ambularetis dignè Deo, qui uocauit uos in suum Regnū & gloriam.

Necesse autē est huiusmodi adhortationes grauitē, & pia quadam animi uehementia, atq; feruore aliquo fieri, ut mouere populum & afficere animos hominū possint, quo perseverare & progredi in uia Domini contendant. Id Paulus in eo significauit, quòd ait: Ut potēs sit exhortari &c. Ad hanc grauitatem et uehementiam conferet, cum pręceptis Dei etiam cōminationes, et horrenda irę diuinę exempla diligenter proponere et explicare, quo à peccando populus absterreatur. Sic etiam misericordiam et promissiones Dei, cū illustrioribus exemplis auxilii et liberationis diuinę, quo uicissim homines inuitentur ad fidendum constantius Deo, et amandum eum, ac indè inflammati studio et amore Dei proficiant in omni bono opere, afflictionesq; pro gloria Domini fortiter perferant et superent.

Qui itaq; Pastores et Ecclesiastę uocationi suę bona fide pręesse uolent, hi necesse est, ut non solum sint ad exhortandū desides, et consolandum infirmos instructi, uerum etiam ad id prompti semper, atq; ardētes. At utrumq; uero ut opus est assidua lectione, et meditatione Scripturę, ita etiam iugi oratione, cunctisq; aliis spiritualibus exercitiis, eoq; etiam summa cautione, ne quo pacto implicentur uitę negotiis, et curis carnalibus.

Tertio, requiritur à Pastoribus et Curatoribus populi Christi, ut et contradicentes claris et efficacibus Scripturę testimoniis refutare possint et conuincere. Hoc enim Satan maximopere molitur, ut sanam et sinceram Doctrinam corrumpat, excitatis uariis Hæresibus, quo fide Christi labefactata et tandē extincta, suam Tyrannidem stabiliat et tueatur. Hinc fit, ut sicut olim tempore Apostolorum et Martyrū

*Exhortatio uehementis
& seria fit.*

*Quomodo erroribus et
Verbi Diuini deprauationibus
occurrendum.*

DE DOCTRINA

factum legimus, & quodcumque alias pura Dei doctrina synceriter prædicata est, ita hoc quoque tempore noui quotidie hæretici suboriantur, qui impiam suam doctrinam deprauatis Scripturæ testimoniis ornare & stabilire conentur, sicut D. Petrus scribit, tales homines suo iam tempore scripta Pauli intellectu difficilia cepisse detorquere, sicut cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perniciem. Nec uerò mirum est hoc Satanam in suis ministris facere, quod scilicet doctrinam pietatis, quæ in sola S. Scriptura traditur, per ipsius Scripturæ testimonia, sed deprauata, uitiare & euertere conetur. Nam hac arte etiam Dominum Christum ausus est aggredi, dum in ciuitate sancta Hierusalẽ, collocaret eum super pinnaculum Templi, & diceret ei, Si Filius Dei es, dimitte te deorsum, Nam *Matth. 4.* scriptum est, Angelis suis mandauit de te, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. *Psal. XCI.*

Fidi itaque Christi Ministri, quò certum Dei uerbum populo syncerius prædicant, hoc sciant Satanam maiori studio & contentione ipsis & gregi ipsorum insidiaturum, fretumque simplicitate uulgi, & infirmitate iudicii, qua illud laborat, deprauatis Scripturis fucum ut faciat, elaboraturum. Dum enim uidet homines nullam præterquam Scripturæ autoritatem admittere uelle, nihil & ipse tam obiicit, quam Scripturam, ut assuetis solam Scripturam audire, se commodius insinuet, & impia mendacia sua facilius obtrudat.

Vt igitur Pastores atque Ecclesiæ Ministri dolum hunc Satanæ detegant, & os Ministris eius Sophistis obturent, commissumque sibi gregem ab impiis erroribus, uel conseruent uel reuocent, uigilandum illis est, et in hanc curam singulari studio incumbendum. sunt enim (ut Apostolus ait) multi intractabiles & uaniloqui, mentium seductores, qui totas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia, quibus oportet obturare os, *Ti. I.*

Regulæ redarguendi, & conuincendi hæreticos.

Vt aut tales redargui & conuinci commodius et solidius possint, hæc præpue regulæ obseruandæ sunt. Prima, ut articuli fidei certis et perspicuis testimoniis Scripturæ confirmentur. Altera, ut uerba in sententiis et testimoniis, quæ in disputatione adducuntur, proprio Scripturæ sensu, remota Sophistica, inter se conferantur, et ex eiusmodi collatione, uera spiritus sancti sententia de quauis questione Religionis eliciatur.

Exemplum disputationis contra Arrium.

Tertia, ut obscuriores sententiæ aliis claris, apertis, et ad controuersiam pertinentibus locis explicentur. Ut dum negaret Arrius Filium Dei de substantia Patris natum, et natura Deum esse, corripit germanam huius dicti sententiam. Et Deus erat uerbum, dixitque uocabulo Dei

lo Dei non significari hic Deum, qui natura & omnipotentia Deus sit, uerum excellentem aliquam creaturam maiestate & dignitate omnibus reliquis præstantem. Hæc falsa interpretatio reiicienda fuit, & probandum, in hac sententia Deum significare proprie naturalem & omnipotentem Deum, sicut in præcedenti illo dicto: Et uerbum erat apud Deum. Præterea addenda fuerunt omnia Scripturæ testimonia de persona Messia, Vult enim Deus agnosci Filium, & ideo naturam eius patefecit. Huiuscemodi sententiæ passim ex Scriptura colligendæ erunt, & uidendum, ubi potissimum articulus hic inculcatur. Quemadmodum Ioannes ipse aperte testatur loqui se de uero & omnipotenti Deo, cum ait: Omnia per ipsum facta sunt. Idem ait etiam Paulus ad Colos. I. Item ad Hæbreos I. Vocatur Filius Dei character substantiæ Patris, & additur quod per Filium omnia condita sint.

Aliud exemplum ex cap. Matth. v. Ne resistatis malo, sed si quis te percusserit in dextram maxillam, prebe & alteram. Hanc sententiam Anabaptistæ citant contra uindictam legitimam Magistratus, clamitant Politicum statum contra Deum esse. Huic falsæ interpretationi sunt opponenda alia perspicua testimonia, ut illa, quæ habentur Rom. XIII. quæ clare docent ciuiles leges, Iudicia, Magistratus, esse ordinationes & mandata Dei. Deinde & illud perpetuo obseruandum esse in Sacris literis, duplicem esse administrationem, Alteram externam & corporalem, Alteram ministerium Euangelii, quod in cordibus inchoat uitam æternam. Item Ministerium hoc Euangelii non abolere aut prohibere Politiam corporalem, disciplinæ & pacis causa à Deo institutam. Hæc est Sacra Scripturæ perpetua, & constans sententia, quare commode interpretatur dictum Matth. v. uidelicet hic non Politiam aut imperia, sed seditionem priuatæ personæ contra Magistratum, & uindictam priuatam contra Christianam charitatem, prohiberi,

Hæc pauca nunc admonendi causa sufficiant. Plura enim adferre exempla nimis prolixum esset. Hoc tantum cogitemus, quanta sit opus exercitatione & contentione animi, ut Sacra Scriptura rite intelligatur, dextre explicetur, & solide defendatur.

Ex his itaque constat, quæ duram prouinciam Spiritus sanctus per Apostolum Paulum imposuerit omnibus Episcopis & Ecclesiarum Ministris, dum ait: Oportet Episcopum esse tenacem fidelis sermonis, ut potens sit exhortari, & contradicentes conuincere. Cuius prouinciæ & oneris omnes Pastores & Concionatores admonitos esse uolumus,

A iiii quo

Exemplum de priuata uindicta.
Matth. 5.

Quanta omnibus Episcopis & Ministris incumbat prouincia.

DE DOCTRINA

quo se dies ac noctes in studio Sacrarum literarum sedulo exerceant, atq; ita ministerio suo amplo cum fructu fungantur, & ob id se non tantum à mundanis illecebris, & cōcupiscentiis carnalibus, sed & à cunctis sæculi occupationibus, atq; negociis, quantum uitæ præsentis usus feret, subducant, quo tam arduo & diuino ministerio toti incumbere, & summo cum studio munus suum exequi possint.

Quos tamen hic labor grauari non debet, quem religio officii ipsorum postulat, cum alioqui cuiuslibet Christiani sit, totum uitæ cursum in studio uerbi Dei consumere. Intrare enim in regnum Dei non possumus, nisi renati, Regeneratio autem hæc non ex mortali, sed immortalis semine & æterno constat, nempe sermone Dei uiuentis & manentis in æternum, teste Petro. Deinde sic renatis, atq; innouatis, spirituali etiam cibo opus est, qui item uerbum Dei est, ad quod D. Petrus nos inuitat, cum inquit, Lac illud rationale, non corporis sed animi, quod dolum nescit, appetite, ut modo nati infantes, quo per illud adolescantis. Deniq; cum per uerbum Dei alti & uegetati adolescimus, Satan nos oppugnare non desinit, cui ut resistamus, spiritualibus armis, & munitione opus est ex Verbo Dei, teste Paulo, cum ait: Gladius Spiritus uerbum Dei est. Ephe. VI.

1. Pet. 1.
1. Pet. 2.

Quando itaq; Nouæ uitæ nostræ initium, medium, & finis, id est. regeneratio in eam, incrementum eius, atq; uictoria contra Satanam, uerbo Dei constat, facile uidere possunt Ecclesiarum Pastores, quantæ se apud Deum iræ obnoxios faciant, si qui per eorum negligentiam non participes fiant huius regenerationis, uel si ex spiritu renatis desit alimonia uerbi Dei, & fomentum doctrinæ salutaris, exhortationis, & consolationis, aut si per falsas hominum doctrinas seducti à uita & cōmunionem Christi excidant. Summa itaq; diligentia necesse est eos, qui in hoc munere sunt, perpetuo instare lectioni, doctrinæ, orationi, aliisque exercitiis spiritualibus, ut cum fidei illo seruo dicere possint, Domine decem talēta tradidisti mihi, ecce alia decem superlucratus sum, Vicissimq; audiant, Euge serue fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.

Vt igitur Scripturam sacram dexterius intelligere & tractare possint Pastores, et singuli Ecclesiarum Ministri, uiam quandam eis aperiemus, et insigniores doctrinæ Christianæ locos ordine explicabimus, non quod his tantum immorari eos uelimus, sed quod per hos eos in S. Scripturam ipsam commodius deduci cupiamus, ex qua deinde plenius et perfectius de omnibus erudiantur.

PRAE

PRÆMITTEN

DAM ESSE PRO CONCIONE

ALIQVAM EX S. SCRIPTVRA LE-

ctionem, eamq; populo explicandam.



Rimum uolumus, Pastores conciones suas omnes ad populum desumere ex lectione aliqua S. Scripturæ, quã initio Concionis singulari cum reuerentia & grauitate recitare debent, Ita ut ueteribus S. Patribus in usu fuisse iam inde à tempore Apostolorum constat, et ante in Synagogis quoq; obseruatum esse testatur, quod legimus Luc. III. de Domino, et Acto. XIII. de Synagoga, in quam Paulus et Barnabas ingressi fuerant Sabbatho Antiochiæ Pisi- diæ. Vnde olim proprii cuique Ecclesiæ Lectores fuere, qui populo li- bros, S. Scripturæ ex pulpito recitabant. Eo itaq; more, inter cætera Ec- clesiasticæ administrationis uitia, antiquato, & in hac Ministrorum uer- bi inopia, qua fit ut singulis Ecclesiis sui Lectores constitui nō possint, Pastores & Concionatores ipsos horum munere fungi uolumus, & de quibus dicturi sunt, ea populo prius religiose prælegere, ut sic audien- do uerbo Dei magis assuefiat, pleniusq; de salute sua erudiat. Prode- rit etiam hoc Pastoribus ipsis ad conciones suas meliore ordine insti- tuendas, & absoluendas, si præscriptum præmissæ lectionis sequentur, & intra eius se fines continebunt. Modum uero Lectionum huiusmodi ad mensuram earum Lectionum constituent, quæ Vulgo ad Missas recitari solent. Sic mandare memorię populus quæ recitabuntur faci- lius poterit, & Pastores atque Concionatores singula etiam explicare. Nam uitare diligenter illud quorundam uitium debent, ne uni aut al- teri uerbo ex præmissa lectione tantum inhæreant, & prætereant cæ- tera, uel etiam penitus ad alia, quàm lecta sunt, delabantur. Fidem inni- ti puro & soli uerbo Dei oportet, quare illud etiam à singulis audiri, & intelligi debet, Quocirca tantum ad quamlibet Concionem ex Scriptura prælegi conuenit, ac etiam enarrari, quantum uerisimile est populum posse ad ædificationem fidei percipere & retinere.

OMNES

OMNES CONCIONES AD PRAEDICANDVM CHRISTVM DOMINVM IN- stitui oportere.



Rom. 10.
Luc. ult.
Acto. 10.

Omnia Christiana doctrina
testimonium de Christo
Seruatore est.

Acto. 1.
1. Cor. 2.

Colos. 1.

Utrum Christus Dominus noster finis sit Legis, et de eo testentur ac praedicent Moses, Prophetae, atque Prophetae, unum esse populi electi Seruatorem, in quem quicumque crediderit, sit accepturus remissionem peccatorum per nomen eius, Pastores omnes conciones suas eo dirigere, atque instituire debent, ut de Christo hoc testimoniū ferant et explicent. Nam sic mandauit ipse Apostolis, iam ascensurus in caelum, cum sacrum Praedicationis Ministerium institueret: Vos eritis mihi testes Hierosolymis, et in uniuersa Iudaea et Samaria, et usque ad extremos fines terrae. Hinc est, quod et D. Paulus de seipso scripsit, Non iudicauit me quicumquam scire inter uos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum. Idque merito: Nam ut ad Colos. scripsit. Per illum creata sunt omnia, quae in caelis sunt, & quae in terra, uisibilia & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates. Omnia per illum & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt. Ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primas tenens, quoniam in illo complacitum est Patri uniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se, Pacificatis per sanguinem Crucis eius per eundem, siue quae in terra sunt, siue quae in caelis.

Eadem testatur Ioannes initio Euangelii sui atque Epistolae. Et Dominus de seipso Ioan. III. V. XII. XVII. & multis aliis locis.

Luc. ult.

Ideo totius Scripturae summam Christus ipse complexus est in hoc dicto: Oportet in nomine Christi praedicari poenitentiam & remissionem peccatorum. Fideles igitur Ecclesiarum ministri semper praedicent nomen Domini nostri Iesu Christi, testificantes, quod hic unicus Filius Dei, uerus Deus & homo, is sit, per quem omnia creata sunt, gubernantur & instaurantur, Quique moderatur omnia uerbo potentiae suae, Dispersos filios Dei & aberrantes oues congregat, Dat poenitentiam & remissionem peccatorum. Nam non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo salui fiant, Tradita est ei potestas omnis carnis, ut det uitam aeternam omnibus quos illi Pater donauit, Est pastor ille bonus, qui animam suam ponit pro ouibus suis, ut det illis uitam aeternam, qui ita oues suas tuetur, & seruat, ut eas de manu ipsius nemo eripere possit.

Ephes. 1.
Heb. 1.
Ioan. 10.
Acto. 5.
Acto. 4.
Ioan. 17.
Ioan. 10.

Hae

Hæc & similia testimonia de Christo diligenter in concionibus populo inculcanda.

ARTICVLVS DE TRINITATE



Isi humana ratio naturam Dei non intelligat, tamen in uerbo & in Filio suo se patefecit Deus, ut agnoscere eum, quatenus se reuelauit, & inuocare possimus. Ad quem modum cum inuocamus Deum Patrem, plurimum interest inter nostram & omnium aliarum gentium inuocationem. Idq; discrimen duabus potissimum rebus constat. Vna, quod inuocatio hac ratione instituta, dirigitur ad uerè & naturam Deum. Altera, quod necesse est inuocationem nostram (si sic fiat) placere Deo, nec fore irritam.

Quare ex sacra Scriptura docendum est de uero & omnipotenti Deo Patre, unigenito Filio, & spiritu sancto, esse unum Deum eiusdè naturæ diuinæ, atq; potentiæ, tres tamen distinctas personas. Atq; hūc unum Deum omnia condidisse, & conseruare. Deinde Filium Dei ex ineffabili consilio, & immensa Dei misericordia, induisse humanā naturam, ut fieret uictima & pretium pro nobis, quodq; duæ hæ naturæ diuinæ scilicet & humana, una & indiuisa sit persona Iesus Christus. Sint tamē duæ hæ naturæ sic in Christo unitæ, ut sint non confusæ aut permixtæ, sed quæq; suam habeat per se essentiam & proprietatē. Quæadmodum hæc ex uerbo Dei per Prophetas & Apostolos administrato, omnia satis cōstant, & sunt uariis, S. Patrū Symbolis aduersus uarias hæreses explicata, ueluti in Symbolo Niceno & Athanasii, Item consentaneis Decretis & Cōfessionibus priscorum ac uere sanctorum Conciliorum, ut Niceni, Constantinopolitani, Ephesini, Calchedonensis, atq; iterum Constantinopolitani. Deinde consonis quoq; scriptis Patrum, qui pro uerbo Dei acriter dimicarūt, ut Athanasii, Basilii, Nazanzeni, Augustini.

Sententia itaq; & doctrina Articuli huius summo studio populo proponenda, cōmendanda & defendēda est, ut uera Dei notitia conseruetur, & discrimen inter Christianam atq; aliarum gentiū inuocationē, quod maximopere necessarium est, conseruetur. Nempe ut inuoces hunc uerum Deum Patrem Iesu Christi, una cum Filio suo Iesu Christo, & spiritu sancto, qui se in Filio reuelauit, propter quē uelit esse propitius, & in fide sic inuocantibus donare Spiritū sanctū, qui uerā agnitionem Dei, timorē, fidē, & alios nouæ uitæ motus in cordibus excitet.

Quamuis

Tres personæ, una tamen essentia.

Duæ naturæ in Christo unitæ.

Uera inuocatio Dei per Christum.

DE TRINITATE

Discrimen inter inuoca-
tionem Christianorum et
aliarum gentium.

Quamuis enim glorientur præstatiores Philosophi inter Ethnicos, Iudæi, et Mahometistæ, non adorare se Imagines et statuas, sed æternū Deum, cæli et terræ, hominum, et aliarū rerum omnium Cōditorem. Tamen cū hunc Deum agnoscere non uelint, qui se per Filiū suum, Dominum nostrum Iesum Christū, in uerbo suo patefecit, haud quā Deum uerum, sed inania figmenta cordium et manuum suarum adorant, et inuocant. Nec possunt statuere, Deū ipsis propiciū esse, et ipsos exaudire, quia et Euangeliū, et Mediatorē unicum reiiciunt, Et ideo eorum inuocatio nequaquā potest ad uerū Deum, Patrem Domini et saluatoris nostri Iesu Christi dirigi, sed peculiarem sibi hi Deum imaginantur, qui non est Pater Mediatoris nostri Iesu Christi, eoq; nec Deus uerus, Quare nec statuere possunt suas preces exaudiri. Hæret itaq; et subsistit inuocatio eorū in uanis propriæ rationis commētis, in propositis statuis, et simulachris, manentq; ipsi alieni prorsus et abominabiles Deo uero, quia extra Christum, et absq; uerbo Dei manent. Sicut Christus ait: Qui non honorat Filium, nec Patrem quidem honorat, et Paulus Rom. v. Per Christum accessum habemus ad Patrem.

Ioan. 5.

Ut reuelata sit sancta
Trinitas Ioanni Baptista
ad Baptismum Christi.
Mat. 3.

Sic etiam Deus se reuelauit Ioanni filio Zachariæ, ut de uera agnitione, & recta inuocatione ipse porrò Ecclesiam institueret. Sic enim Deus æternus Pater testatus est de Filio: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacitum est. Adstat Baptismo Filius ipse, palam descendit super eundem Spiritus Sanctus, ut testetur & Christo & Ecclesie illius donandum Spiritum Sanctū. Tres itaq; personæ hic apparere. Hęc igitur apparitio cuiq; Christiano homini bene consideranda est, quæ non propter Ioannem tantum, uerum propter totam Ecclesiam contigit, quo preces illa offerat uni æterno, & omnipotenti Deo Patri Domini nostri Iesu Christi, qui cum æterno Filio & Spiritu Sæcto omnia condidit, propter mediatorem Christum eam uelit exaudire, regere & sanctificare Spiritu suo Sancto.

Declaratio uerborum
Baptismi.

Idem uolunt uerba Baptismi, ubi dicitur: Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Hic enim enumerantur tres personæ, unus & eiusdem potentia, & diuinitatis, cui uni tota causa nostræ salutis adscribitur, Sensus enim uerborum hic est: Baptizo te: hoc est, testor hoc immersionis uel asperisionis symbolo, remissa tibi esse peccata, recipi te in gratiam æterni & ueri Dei, Patris Domini nostri Iesu Christi, idq; propter hunc Filium suum, Item Spiritum sanctum in te fore efficacem.

Sublimis sanè & supra omnem humanam prudentiam est hæc doctrina, de natura, uoluntate, & de efficacia Dei erga nos, quæ discernit in
ter

ter nos, & omnes Ethnicos, complectens uberrimas promissiones, sicuti paulo post dicitur. De quibus admoneri populum ualde refert, quotiescunq; textus Scripturę, uel lectio proposita requirit, quo Ecclesiam recte erudiant de una & simplici Essentia diuina, de tribus personis. Nā in quotidiana inuocatione ab omnibus hic articulus obseruari, & exerceri, discerniq; inuocatio nostra à Gentili, Iudaica, aut Mahometistarum debet, ut credamus scilicet nos certo exaudiri, si in oratione apprehendamus Mediatorem, quod nemo Ethnicorum, Iudæorum, uel Mahometistarū statuere potest. Sic enim orandum est, Omnipotēs & æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui cum Filio tuo unigenito, & sancto Spiritu omnia condidisti, atq; conseruas, miserere mei propter Filium tuum Christū Iesum, qui nostri causa factus est uictima, Accende tuo lumine mentem meam, & governa me sancto Spiritu tuo, quem propter Filium nobis promissisti. Sic sanè in Oratione complecti semper Mediatorem Christum debemus, ut in Collectis iam indè ab initio Ecclesia semper fecit, subiiciens in fine hæc uerba, Per Christum dominum nostrum.

Forma Christianę precationis.

Formula inuocandi Christum.

Sed & hæc uera & grata Deo inuocatio est, Domine Iesu Christe fili Dei exaudi me, respice me, & miserere mei, Dona Spiritum sanctum tuum, & æternam uitam Ita legitur. S. Stephanus Acto. VII. inuocasse. Domine Iesu suscipe spiritum meum. Tribuit huiusmodi oratio Christo gloriam diuinitatis, quod in eo Deus se reuelauerit, & cum eo simul operetur, ut est Ioannis V. Quodcunq; Pater operatur, hoc & Filius facit. Et XIIII. Qui uidet me, uidet Patrem. Ego in Patre sum, & Pater in me est. Hæc est sententia hu-iuscemodi inuocationis, Domine Iesu Christe Fili Dei, adiuua me, Da mihi spiritum sanctum tuum, Quæ simul confitetur Patrem, Filium Mediatorem, item spiritum sanctum. Quotidianis igitur precibus Articulus iste de Essentia diuina, de tribus Personis, addisci, & exerceri debet.

Sed quia sincera hæc doctrina de uera & pia inuocatione, horribiliter obscurata est, per abominandam illam impietatem, & *ειδωλομανίαν*, quæ committitur in inuocandis mortuis, & horum statuis, atq; ossibus, quibus alligarunt non modo diuinam, sed etiam sanctorum peculiarem quādam uim, & efficaciam: cum tamē manifestum sit, nulli rei numē, & operationem diuinam attribuendam, in qua Deus ipse se exhibiturum eam non expresse suo uerbo testatus est, Palām autem est, mortuos non iuuare quenquam, nec in statuis efficaces esse. Reuocandus ergo est populus à tali *ειδωλομανίᾳ* ad ueram & piā Dei inuocationem, ueluti ad opus imprimis pium, & cultum Dei præcipuum, in quo di-

Contra inuocationem sanctorum mortuorum, et imaginum.

DE CREATIONE

scimus potissimū, & experimur, quænam uera sit fides. Imo hoc unū opus est, quo discerni ab impiis uerus populus Dei maxime possit.

DE CREATIONE ET
GVBERNATIONE OMNIUM
RERVM.



Tota salus nostra, & uita æterna in eo sita est, ut Deum in Domino nostro Iesu Christo uere, hoc est certa, & uiua fide cognoscamus. In hac cognitione primum est, nosse & scire Deum esse, qui omnia condiderit, & ea solus etiam conseruet, atq; gubernet. Proinde Ecclesiastæ studebunt populo præcipua cura explicare, & inculcare ea Scripturæ loca, quæ testantur, & docent de æterna Dei essentia, potentia, scientia, bonitate, atq; seueritate. Nam sine hac cognitione, & fide, peccata nostra, & noxam eorum nunq̄ uerè, & efficaciter agnoscere, nedū pœnitentiã agere, & emēdare nos poterimus, neq; Lex eo nos sola perpellet. Quid enim eius siue precepta siue minæ nos moueant, aut terreant, de cuius nec potestate, nec benignitate, aut seueritate adhuc solide aliquid & efficaciter cognoscimus, aut sentimus? Quocirca, qui ad Deū accedere uolet, eū necesse est ante cognoscere, & credere Deū esse, qui omnes homines finxit, conseruat, & iudicat, et iis qui ipsi studēt, largiter reponit. Plurimi quidē iactant se nosse Deū, Sed quia ad uolūtatem Dei uitā suam conformare nō student, et uerbū Dei contemnūt, satis testātur ipsi de se cōtrarium, quòd nimirum in cordibus suis dicant, non esse Deum, etiamsi hoc coram hominibus nō fateātur.

Est igitur ualdè necessarium, ut Ecclesiastæ locū de Creatione, conseruatione, et gubernatione rerum omnium, frequenter et summa diligentia proponant, et auditoribus suis inculcent.

Et quidem in Articulo de creatione rerū, debēt Pastores magno studio docere, Dominum eū, qui Decalogū atq; uniuersam S. Scripturā, ipsumq; Euangeliū suum tradidit, unū esse uerū Deum, et conditor rerū omniū, Qui cœlū, terrā, mare, et quæcunq; his continētur, et nos quoq; ipsos ex nihilo finxit, et solus sua uirtute conseruat, nobisq; ad imaginē suā factis, cæteras creaturas partim subiecit, et in usum salutariē addixit, partim deputauit ad ministeriū salutis, cū corporis tū anime

Quapropter Ecclesiastæ ea Scripturæ loca, quæ prædicant nos, et reliqua omnia à Deo ex nihilo condita, nosq; ad imaginē Dei formatos inferiores deniq; creaturas nostro imperio diuinitus subiectas, superiores de

res deputatas salutis nostræ procurandæ, subindè adducere, fideliter explicare, atq; infigere animis suorū studebunt, quo illi quotidie magis atq; magis discant diuinæ Maiestatis omnipotentiam, bonitatem, & in se ipsis, & in aliis rebus omnibus, quas tractant, in quibus uersantur, quas aspiciunt, audiunt, aut quouis modò usurpant, cognoscere, admirari, celebrare, atq; inuocare. Et ex eo omnipotentia Dei, & bonitati plenius confidant, præceptisq; eius libentius obediant, & iram eius metuāt magis, rebusq; omnibus, quibus in hac uita utuntur, utantur ut sanctissimis operibus, & donis Dei, ac Seruatoris nostri, maiore indies & sanctitate, et gratitudine, et largiore benignitate erga proximos.

Hac de causa Prophetæ in laudibus Dei, præcipua, & insigniora opera Dei in tota rerum natura tam magnifice prædicant, & elegantissimis descriptionibus ob oculos ponūt, ut Cælos, Solem, Lunā, stellas, nubes, uentos, nebulas, pluuiā, rorem, niuē, pruina, tonitrua, fulgura, montes, ualles, campos, agros, prata, fontes, flumina, stagna, arbores uarias, & herbas, præcipua animantium genera, feras, homines, & alia innumera Dei opera. Propter quæ Psalmi plurimi gloriam Dei magnifice de prædicant, quales sunt, xix. xcv. ciiii. cxxxvi. cxlv. cxlvii. cxlviii. Idem facit Hiob, à capite xxxviii. usq; ad finem libri sui. Et Esaias cap. xl. per multa usq; ad calcem sui libri. Similes loci & in aliis canonicis libris passim occurrunt.

Cur S. Scriptura toties proponat nobis mirabilia Dei opera.

Ex illa contemplatione insignium operum Dei, & admiratione diuinæ Maiestatis, factum est, quòd Christus Dominus ipse, & Sancti alii in precando, oculos et manus in Cælum sustulerunt, et in formula præcandi Dominus nos dicere docuit, Pater noster, qui es in cælis. Cum enim præstantissima illa et admiranda opera Dei, cælos, solem, lunam, sydera, aliaq; opera cælestia, oculis, et animis intuemur, excitari in nobis, et crescere mirifice & corroborari necesse est, nisi planè Athei simus, religiosam diuinæ Maiestatis considerationem, admirationem, et adorationem. Sicut idem reliquorum operum Dei pia et intenta contemplatio in animis piorum efficit.

Quare inter orandum oculos leuemus in cælum.

Debent itaq; Ecclesiastæ subinde loca huiusmodi Scripturæ de Creaturis, et operibus Dei in concionibus recitare, et explicare quàm diligentissimè, atq; ex his hortari homines, ut sese, quanto possunt studio, assuefaciant, ut quoties seipsos aliòsue homines, quoties Cælos, terrā, aquas, et quæ his continentur, aspiciunt, usurpant, aut his fruuntur, illico cogitent, et religiose secum reputent, ea esse opera et dona Dei factoris, et Patris nostri, in hoc ab ipso condita, ac nobis proposita, ut in eis ipsum Deum, et Patrem nostrum, eiusq; omnipotentiam, æternam

DE CREATIONE

Quomodo uerbū & opera
Dei complectenda &
simul cōiungenda sint.

sapientiam, & bonitatem in Christo seruatore cognoscamus, inuocemus, et celebremus. Atq; in eo illud singulari religione reuocare in mentem, & perpendere studeant, nō esse alium Deum creatorem, atq; conseruatorem rerū omnium, q̄ Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui hunc nobis filium suum, & cū eo omnia donauit ad usum & salutē corporis, & animæ. Qui uerbum suum, & doctrinam uitæ in diuinis literis reuelauit, ut sic discant simul complecti & coniungere, uerbū & opera Dei, eūq; & opera eius in uerbo ipsius cognoscere, & intueri, illudq; meditari apud se in omni aspectu, & usu creaturarū Dei. En Deus, & factor tuus ille, qui tibi Filium suū Christum Dominū nostrum, ut te ab æterna morte in æternam uitā traduceret, donauit, suamq; paternam uoluntatem de salute tua in Scripturis suis reuelauit, qui Legē suam, & Euangelion prædicari tibi fecit, is hos cælos, hanc terram, istas aquas, hæc pecora, & armenta, istos homines, hūc cibum, potum, uestes, & quidquid sit, quod in oculis, aut manibus fuerit, ex nihilo finxit, & ut tuis usibus atq; saluti seruiret, tibi proposuit, & tradidit ad hoc, ut eum in his operibus, & donis suis plenius cognoscas, laudes & celebres, ipsiq; toto corde his ipsis rebus ad illustrandam gloriam eius, & promouendam salutē hominum seruias. Quod si studeas, seruient saluti tuæ efficaciter hæ creaturæ, et opera Dei uniuersa. Sin minus, aduersabuntur tibi, cū Deo Creatore suo, seruientq; ipsi ad ultionem impietatis tuæ.

Huiusmodi pia meditatio, et contemplatio fidelis creaturarū Dei efficit, ut singula opera Dei nobis de Deo prædicent, ut diuinitatis, et potentia, bonitatisq; eius nos admoneant, ad quē usum etiā nobis proposta sunt, ut sicut scribit Apostolus, inuisibilia Dei, æternam ipsius potentiam, et diuinitatem, ex creatione, per opera eius, intelligamus.

Ira enim quælibet opera Dei intueri, atq; contemplari debemus, ut excitata pia admiratione diuinæ potentia, sapientia, et bonitatis, exclamemus cum Dauide. Quàm ampla sunt opera tua Domine, cuncta sapienrer fecisti, plena est terra bonis tuis, Psal. CIII. Hac ratione totus Mundus nobis templum Dei existit, et esse debet, ne scilicet Deum aliquibus certis tantum locis, uti fert innata nobis impietas, sed ubiq; in omni loco Dominationis eius, ut Deum creatorem, et seruatorem nostrum, agnoscamus, inuocemus, celebremus, colamus.

Ex quo et illud sequitur, ut dum in negociis, et actionibus nostris, sequimur mandata Dei, opemq; Dei imploramus, à nemine quicquam metuamus, nihil terramur, aut trepidemus. Mox enim ut eos, quibus cum nobis negociū est, quiq; uidentur nobis formidabiles, aut res ipsas, in quibus apparet aliquid periculi, uel difficultatis, ut creaturas Dei
intue

intuemur, & cōsideramus, eoq; intuitu, & cōsideratione ad mentem reuocamus, & pie cogitamus, Deum illorum hominum, & rerum, atq; nostrum creatorem, eiusq; sempiternam potentiam, & bonitatē, Tum fides diuini testimonii, & promissionis, omnia scilicet ad nostram salutem, & fœlicitatem, ut condita esse, ita etiam cooperari necessario, nec aliud quàm instrumenta Dei ad perficiendam nostram salutem & fœlicitatem esse posse, ita excitatur & corroboratur ad omnia, quę agenda mandato Dei suscipimus, ut faceßere oporteat omnem periculi, aut in opie merum atq; formidinem, cum omni quoq; dubitatione salutari-ter perficiendi, quod pie agere, hoc est, ex iussu Dei, instituimus.

Ea rerum cōsideratio, quę perpendit res omnes esse creaturas Dei, & quas Deus bono nostro, ut fecit, ita seruat, nobisq; quotidie producit, & utendas exhibet, illud quoq; præstat, ut ne ulla re abutamur, sed omnia, quęcunq; in usum nostrum ueniunt, habeamus, & æstimemus uti ipsius Dei Patris opera, ut sunt, utq; usurpemus eas cum omni moderatione, & sanctimonia, cum omni gratiarum actione, & religiosa laude, atq; celebratione apud alios diuinæ benignitatis, liberaliq; communicatione erga eos, qui egent.

Hęc de fide & Creationis, et cōseruationis rerū omnium, fideliq; intuitu, et usu creaturarum Dei, q̄ diligentissime doceri populū, atq; frequēter moneri, et ad talē opes Dei cōsiderationem, et usum institui eū omnino necessarium est. Longius enim multò, q̄ creditur, à uera uiaq; Dei Creatoris, atq; operū eius cognitiōe, et cōsideratione, uulgus seductum et abstractū est, portērosa illa prædicatione Diuorū, atq; potentie ipsorū opit ulādi nobis, quā illis falso tribuerūt, ridiculisq; illis pōpis, ostentatione, et cultu statuarū, et ossium eorū. Intuentur quidē omnes cœlos, terram, atq; alia preclara, et admiranda figmenta et opera Dei, tractāt ea, habent in manibus, fruūtur illis etiā, Sed raro aut nunq̄ in mentē uenit Dei Creatoris, nō agūt Deo gratias pro his tātis donis, & beneficiis suis, qui omnia nobis in usum, ad salutē et fœlicitatē nostrā creauit, seruat et exhibet. Differunt uerò omnē cogitationem de Deo, omnem cultū Dei, dum ad tēpla, et delubra sua uenerint, ibi omni ueneratione, cultu, et suo obsequio Dei defungi uolunt, quo securius aliis omnibus in locis sibi uiuāt, Dei ne recordentur quidem, ut oportet, et sanctis operibus et donis eius multipliciter abutātur. Summe itaq; necessariū est, ut Ecclesiastæ populo hunc articulū de Creatione et Cōseruatione rerū, quòd Deus solus cūcta ex nihilo fecit, et sua solius uirtute cōseruat, sua benignitate producit, et exhibet omnia, ut nobis sint usui, salutis, et fœlicitati, utq; in his operibus, factisq; suis omnibus cognosci,

coliq; postulet, perpetuo ac summa religione proponāt, explicēt, incūcēt, eoq; ea Scripturę loca, quę de hoc articulo testātur & prædicāt, idētidē in cōcionibus adferāt, fideliter explicēt, & animis hominū infigāt.

DE GVBERNATIONE, ET ADMINISTRATIONE OMNIUM RERVM.



Erindē necessarium est, docere & monere populum diligenter de gubernatione, & administratione rerum, ut sciat à Deo petendum & expectandum auxilium, & simul discat, peccatū, & horrenda alia mala in mundo, non à Deo condita, uerum aliunde orta esse, ut postea dicetur. Primum itaq; sic accipienda sunt, quæ Scriptura prædicat de rerum Creatione, quemadmodum ea Gen. I. & II. & Psal. xxxii. Esa. xliiii. atq; aliis multis locis per Prophetas atq; Apostolos prodita sunt, utq; ea Ecclesia semper credidit, Nempe non discessisse Deū ab opere semel condito, quemadmodū faber discedit relicta naue, quā fecit, cōmittitq; eam nauarē, ipse deindē nihil aut parę de ea sollicitus. Verę sic statuendū est, adesse Deū operi suo, perpetuo sustētare & gubernare illud, cognoscere & intueri actiones omniū creaturarę, cernere etiam cogitata Angelorū, hominū, & Dæmonū, & sine eius uoluntate fieri nihil, Ipsum esse, qui perpetuo motu gubernat cœlestia corpora, sæcundā facit terrā, uita hominibus, simul & iumētis suppeditat, uictū & cetera uitæ necessaria adiicit, sicuti est Act. xvii. In ipso uiuimus, mouemur & sumus. Heb. I. Sustentat omnia uerbo potētia suæ, Col. I. Omnia per ipsum consistūt, I. Tim. III. Speramus in Deū uiuū, qui est saluator omniū hominū, maxime fildeliū, Cū hic testetur Paulus Deū salutē dare non tantū fidelibus, uerę etiam ceteris, quanq; id fiat dissimili modo, tñ docet nos Deū sustentare, tueri, & regere uitā omnium. Quemadmodū defendit Dauidē aduersus Goliath, Saulē, Absolonē, & ceteros hostes eius, multaq; alia ei temporaria beneficia cōtulit, & iuxta etiā spiritualibus eum, et ceteris donis auxit, gratia er Spiritu sancto. Ceterum inter Ethnicos multos adiuuat corporalibus tantū donis, uictoria, pace, uictu, diuitiis, ut cōseruetur Politia, et perduret tantisper humanū genus in terris, donec Ecclesiam suam totā collegerit, ut testatur. D. Paulus, I. Tim. VI. Deus qui uiuificat. Item, Præcipe diuitibus sperare in Deum, qui abun- de nobis omnia præstat ad fruendum. Matth. x. Duo passeret asse uaneunt, et unus ex illis non cadit super terram, sine uoluntate Patris uestri.

uestri. Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt.

Pfal. CIII. Omnia à te expectant, ut des illis escam suo tempore. Dante te illis colligent. Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem turbabuntur. Auferes Spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emittere Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.

Pfal. XXXIII. Dominus de Cælo respexit, uidet omnes filios hominum, singit singulatim corda eorum, & intelligit omnia opera eorū.

Pfal. XXXVI. Homines & iumenta saluabis Dñe. Psal. CXLVII. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam, qui producit in montibus scænum. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.

Pfal. CXLV. Oculi omnium in te sperant Dñe, & tu das escam illis in tempore oportuno. Aperis manum tuam, & imple omne animal beneplacito. Ioan. V. Pater meus usq; modo operatur, et ego operor.

Ex his Scripturæ locis docemur, Deum ubiq; adesse, scire omnia, et conseruare et sustentare omnia, suppeditare uita, et motum. Quapropter diligenter hic Articulus populo tradendus, et ab eo discendus est. Nam quis Ethnici fateantur mundum à Deo factum esse, dubitant tamen, num sit prouidentia, num Deus curet res humanas, et iudicet, nū exaudiat inuocantes se, num suppeditet ipse uictum, pacem, sanitatem, atque alia beneficia mortalibus, sed cogitant hæc parari, et conseruari humana industria, Quemadmodum sempcr huiusmodi ethnicae persuasiones hærent in animis hominum, quod testantur multæ impiorum uoces, atq; sententiæ, quibus acriter reclamationem in Threnis suis Ieremias Cap. III. Quis iste est, qui dicit, Ex ore Altissimi nec bona, nec mala egrediuntur, quid murmurat homo contra Deum, nec cogitat, q̄ grauiter offendat Deum.

Vt igitur animi liberentur ethnicis illis opinionibus, adducta, & similia Scripturæ de diuina Prouidentia, & rerū omnium Gubernatione testimonia, diligenter consyderanda sunt, & firmiter retinendū, Deū intueri mētes hominū, & singulorum actiones iudicaturū, uere exaudire ipsum rite inuocātes, ut postea dicetur. Item cōferre beneficia in homines, fecunditatem terræ, defensionem ab hostibus, proles, cōseruare respub. &c. Sicut iubemur hæc petere & expectare à Deo, dum oramus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & Psal. LV. Iacta curā tuā in Dominū, et ipse te enutriet. Verū expetere homo auxiliū à Deo qui possit, si somniet Deum negligere creaturas, non operari in omnibus, sed ferri temere creaturas, & agere homines omnia suo arbitratu, et

DE CAUSA

ex uiribus suis. Hæc caligo mentis humanæ acriter taxanda est, suntq; opponenda ei clara Scripturæ testimonia. Procul enim à Deo recessit mens humana, & plena est dubitationis, & horribilium tenebrarum de Deo, quas ut excuteret animis Deus, inde usque ab initio se patefecit summis miraculis. Item misit Filium in mundum palam, qui à morte resurrexit, & alios multos resuscitauit ex mortuis. Quæ omnia confirmare fidem nostram debent, ut statuamus Deum non ociosum esse, sed perperuo operari, dare beneficia, & facere omnia ad salutem hominum, unde immensum eius erga nos amorem, & beneuolentiam merito agnosceremus. Præterea & hac de causa doceri hic Articulus, & commendari debet populo singulari studio, ut sic tollatur impia illa consuetudo inuocandi Sanctos mortuos, & ab illis bonam ualitudinem, temperiem aëris, pacem, & cætera beneficia expetendi, cum hæc non Sanctorum hominum, non ullius creaturæ, sed solius Dei opera, & beneficia sint.

Contra impiam de sanctis doctrinam.

DE CAUSA PECCATI ET MORTIS.



Vm de Creatione fit mentio, perspicue & distincte simul docendum est, peccatum, hoc est, concupiscentiam, deprauationem iudicii & uoluntatis, atq; adeo omnes uitiosos motus, seu actiones malas, non creari à Deo, sed oriri à libertate Spiritus apostatici, & hominis, sicut scriptum est. Ioan. VIII. Diabolus cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & mendacii pater, hoc est, causa, & author. Psal. V. Non Deus uolens iniquitatem tu es. Zachariæ VIII. Vnusquisq; contra amicum suum malum ne cogitetis, & iuramentum mendax ne diligatis, Omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. Rom. V. Per unum hominem intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors. I. Ioan. II. Concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus uitæ, non est à Patre, sed à mundo.

Peccatum omne quod admittitur ab homine, propria uoluntate admittitur.

Ex iis aliisq; plurimis testimoniis perspicuum est, Deum nolle, nec creasse aut operari peccatum. Sed postquam Diabolus & homo defecerunt à Deo, defectio & auersio huiusmodi à propria uoluntate eorum orta est. Et quàmuis post Adæ lapsum omnes homines concepti uirili semine, nascantur in peccato Originali, Actuale tamen peccatum, proprium & liberum humanæ uoluntatis opus est, non necessarium, Hoc est, quanquam instigarit Diabolus Cain ad necem fratris,

fratris, exarseritq; is iracundia, tamen cōtinere manus adhuc potuisset, & scelus illud non coacta, sed spontanea uoluntate commisit, Iracundia & cupiditati suæ repugnare, exorti q; apud se mali remissionem orare, & opem Dei huic malo resistendi implorare debuerat. Sic haud dubie sensisset & robur resistendi Satanæ, eiusq; ac carnis propriæ tentationibus.

Iam peccata, atq; flagitia merito comitantur pœnæ, Quare recte ait Paulus, Per peccatum mors intrauit in mundum. Et palam uidere est, totum humanum genus perpetuis, ut peccatis, sic pœnis etiam obnoxium esse, & tot tantisq; calamitatib⁹ opprimi, ut humana mens eas non possit cogitando assequi, sed expauescere necesse sit, dum tantum malorum pelagus considerat. Hic diligenter discernendum est inter creaturam Dei, & peccatum nostrum. Deus hominem condidit re-ctum, & benedixit ei, sed homo sibi ipse miserabile uulnus infixit. Hoc uulnus manet perpetuum in creaturis per propagationem, & sequuntur hoc uulnus alia infinita peccata, & pœnæ. Estq; culpa hæc nostra, non Dei, sicut testatur Oseas cap. XIII. Ex te perditio tua Israel, tantum in me auxilium tuum. Item Psal. XXXIX. Propter iniquitatem corripis uirum, & tabescit uelut uestis arrosa à tincis, omne desyderabile eius. Inane quiddam est omnis homo.

Quare dum horrendas illas pœnas, mortem, morbos, bella, & id genus multiplices ærumnas uidemus, sciamus pœnas esse peccati, & euenire ea humano generi, non casu, sed uoluntate, & permissione Diuina propter peccatum. Et quis Sancti Deo sint accepti, & placeant propter Christum, tamen mirabili consilio Dei, in hac uita subiecti sunt cruci. Vult enim Deus Ecclesiam serio agnoscere iram suam aduersus peccatum, & ideo grauiore exerceri disciplina, Hic enim finis est afflictionum. Quare & D. Petrus ait, Iudicium à domo Dei incipit. Quam uero consolationem tenere in afflictionibus pii debeāt, postea dicitur in loco de Cruce. Hic satis est admonuisse, afflictiones illas Ecclesiæ non sine prouidentia diuina contingere, neq; deserturum esse Deum pios sub cruce, sed ad futurum inuocantibus, imò mandare, ut ab ipso oremus, & expectemus liberationem, Sicut Esaiæ XLIX. inquit. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut nō misereatur filii uteri sui? Et si illa oblita eius fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te &c. Hæc de conseruatione, & gubernatione, rerum breuiter admonuisse satis sit. Deinde quid de Causa peccati, & corruptione humanæ naturæ sentiendum sit, & quænam rursus consolatio nobis in tanta miseria sit proposita.

DE PEC-

Mortis atq; omnium calamitatum causa est peccatum.

Rom. 5.

Peccatum originis.

Sanctis Deus grauiores afflictiones immitit, ut faciat eos intelligere atrocitatem peccati.

1. Pet. 4.

DE PECCATO ORIGINALI, ET HUMANA IMBECILITATE ANTE REGENERATIONEM.



Eus æternus Pater, primis parentibus nostris Adæ & Eux, addidit in creatione non modo liberum, sed & rectum arbitrium. Deinde indidit animis eorum ingens lumen, ut uere agnoscerent Deum ante lapsum, colerent atq; diligerent eum. Huic lumini cæteræ uires sponte obtemperabant, Quemadmodum Paulus inquit, hominem secundum imaginem Dei conditum, hoc est, in agnitione Dei, & recta uoluntate, ut legi Dei obedire perfecte & satisfacere posset, essetq; uelut templum Dei, in quo præsens habitasset Deus, fuissetq; efficax.

In tanta beatitudine & gloria homine iam constituto, Satan ut deformaret opus Dei, Euam astu aggreditur, atq; eo tandem impellit, ut una cum Adam mandato Dei inobediens fieret, sicut describit lapsum hominis Moses Genescos cap. III.

Hac sua inobedientia amiserunt primi nostri parentes præclara illa innocentia, & iustitiæ originalis dona, ad totam posteritatem, quæ ab illis propagatur, ut quicumq; uirili semine concepti nascuntur homines, peccato originali obnoxii sint, quemadmodum testatur Dauid Psal. LI. & Paulus Rom. V.

Quare de Peccato originis eo modo docendum est, quem præscribit nobis uerbum Dei, quemq; secuti sunt synceriores & Orthodoxi Patres, præcipue Augustinus, atq; Anselmus, Esse scilicet carentiam iustitiæ originalis, qua pollere debemus, Hoc est, homines ante Generationem non esse in gratia Dei, neq; hæredes æternæ uitæ, sed reiectos à Deo, & habere uoluntatē à Deo auersam, horribiles tenebras de Deo, prauos ac uitiosos motus, & inclinationem in omnibus uiribus contra mandata Dei, Cuius imago quædam exhibetur in eo, quem Dominus per Parabolam proposuit in uia uersus Iericho à Latronibus uulneratum, & semimortuum relictum. Tantis enim calamitatibus immergit Latro iste Satan miseram naturam humanam, ut non tantum spiritualibus, & præstantissimis donis despoliata, sed etiam cunctis naturæ uiribus misere sauciata sit.

Vnde sequitur, humanam uoluntatem absq; auxilio Spiritus sancti, uero timore Dei, uera dilectione, & fide, non posse se ad Deum conuertere, fieriq; hoc necesse esse per uerbum Dei, & Spiritum sanctum, per quem

Ephes. 4.
In quo imago Dei in homine consistat.

Quid originale peccatum.

Luc. 10.

Naturales uires ante regenerationem.

quem mens illuminata, Deum in Christo Domino ex Euangelio credat, & fide cognoscat, Et uoluntas reuerentia Dei excitata, & amore studioq; eius incensa, se placitis Dei addicat, totumque hominem ad laudem cultumq; Dei conuertat.

Cæterum potest humana uoluntas etiam ante Regenerationem, communi Dei adiutorio, præstare utcumq; externam disciplinam, hoc est, externa opera legis. Quam disciplinam seuerè requirit Deus, & contemptum eius punit, & corporalibus in hac uita, & æternis pœnis post hanc uitam, I. Timoth. I. Lex iniustis posita est. Item ad Heb. XIII. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Item: Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longæuus super terram. Item Gene. IX. Qui effuderit sanguinem hominis in terra, fundetur & sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus homo est.

De libero arbitrio seu externa disciplina.

His & similibus dictis omnes homines admonendi, & exuscitandi sunt ad externam disciplinam præstandam. Præterea etiam Paulus inquit, Lex est Pædagogus ad Christum, hoc est, qui perseverat in delictis contra conscientiam, neq; resipiscit, hic sua sponte abiicit uerbum, contemnit Spiritum sanctum, & impedit propriam salutem, ne ad Christum perducatur.

Doceri interim & hoc debet, ciuilem illam disciplinam non mereri remissionem peccatorum, non esse iustitiam, propter quam coram Deo iusti seu accepti pronunciemur, Hic enim honor debetur soli Filio Dei mediatori Christo, qui solus meritis nobis est remissionem peccatorum, atq; uitam æternam, quam nos sola fide seu fiducia in eum consequimur, ut postea latius explicabitur.

DE VETERI TESTAMENTO



Post beneficia Dei, quæ præstitit & præstat omnibus gentibus, & hominibus, creatione, conseruatione, & gubernatione, populo proponenda erunt & immensa illa beneficia, quæ præstitit sanctis Patribus, totiq; populo Israhel. Item Iudicia, quæ in eosdem exercuit. Quæ enim de his Scriptura commemorat, ad doctrinam nostram scripta sunt, ut inquit Paulus, Et ut nobis figuræ & exempla essent, illis contigerunt, scriptaq; sunt ad nostram institutionem, in quos fines sæculorum deuenerunt.

*Roma. 5.
1. Cor. 10.*

Quare

DE VETERI

Quare ut ex præcedentibus articulis de Creatione, Conseruatione, & Gubernatione rerum omnium, agnoscitur potentia & gloria Dei in omnibus creaturis & operibus eius, cunctisq; gentibus & hominibus, sic in hoc loco de beneficiis & pœnis, quibus Patres nostros in ueteri Testamento affecit Deus, discemus potentiam, misericordiam, & iustitiam Diuinam, qua erga peculiarem suum populum usus est, quem sibi ex omnibus aliis terræ nationibus delegit, & fœdere gratiæ sibi deuinxit, ut non modo eis Creator, & Dominus esset, sed etiam Deus, hoc est æternus Saluator corporis & animæ. Quæ iam omnia ad nos, qui Christo credimus, pertinent, Nos enim modo peculiaris Dei populus, & hæreditas sumus, ueri filii Abraham, ueri Israelitæ; quotquot in Christum credimus, eumq; per Baptismum induimus, quemadmodum clare docet Paulus, Rom. IX. & Galat. III. Imo Christus ipse de uere credentibus etiam inter gentes ait: Multi uenient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, in Regno cœlorum, filii autem Regni eiicientur in tenebras exteriores.

Quapropter Ministrorum uerbi est, populum diligenter docere, omnes promissiones, cuncta Patribus, imo toti Israeli exhibita diuina beneficia, Item comminationes, pœnas, atq; præcepta, exceptis iis, quæ sunt de externa disciplina, & politia illius populi, quæ ualere tantum ad Christum usq; debuerunt, ad nos quoq; pertinere, Nobis eadem præcepta, eadem prohibita, ac proinde eadem nobis quoq; dum in fide studioq; Dei persistimus, beneficia à Dei benignitate propter Christum expectanda, & eadem supplicia, si fidem studiumq; Dei reiecerimus, metuenda. Quamobrem Apostolus in citato paulo ante loco, exemplo nobis proponit ueterem illum populum, cum inquit: Plures eorum non approbavit Deus: Nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura, & exemplo nobis contigerunt, ut non simus concupiscentes malorum, sicut illi concupierunt, neq; Idololatræ efficiamur, sicut quidam ex ipsis. Exempla fornicationis, tentationis, & murmurationis aduersus Deum, hic subiicit, & pœnas, quas Deus de eis propterea sumpsit, ac rursus testatur hæc omnia contigisse illis, ut typi & figuræ nobis essent, in quibus nimirum cognosceremus, quæ abominetur hæc flagitia et scelera Deus, et ipsi quoq; abominari ea et fugere disceremus.

Imprimis uerò prædicandæ et infingendæ populo sunt promissiones, fœdus, pactumq; beneuolentiæ Diuinæ cum Abraham, e semine eius ininitum, in quo pollicetur ei se fore Deum, hoc est æternum Saluatorem, et mercedem magnam. Item, quod gratuita illum beneuolentia sic complexus sit, et eduxerit è terra natiuitatis suæ, quod sola fide iustificatus,

Quæcumq; Deus ueteri populo præcepit, promisit, aut comminatus est, ad nos quoq; pertinent.

Nos Christiani uere Israelitæ sumus.

Matth. 8.

1. Cor. 10.

Quomodo Patriarchæ in fide docti sunt.

catus, & Pater multarū gentium, adeoq; omnium credentium constitu-
tus, & heres factus sit, atq; ciuis cœlestis ciuitatis, habentis fundamen-
tum, cuius artifex & conditor Deus est. Item quāuis fiducia promif-
sionum diuinarum fœdus gratiæ & salutis suæ consecutus, et Deo cha-
rus esset, quòd peregrinus tamen in terra sibi & posteritati suæ promif-
sa mortuus sit. Quem nihilominus Deus, licet peregrinus esset, & nul-
lam in terra certam possessionem haberet, cum posteris suis mirabili-
ter duxit, & ab omni noxa defendit, & bonis quibuslibet auxit. De quo
canit Psal. CIII. Cum essent numero paucissimi, & pertransirent de
gente in gentem, & de regno ad populum alterum, non permisit ho-
mini eos iniuria adficere, & corripuit propter eos reges, Nolite tange-
re Christos meos, & Prophetis meis nolite nocere.

Eadem fide gratiæ suæ rexit duxitq; cæteros Patriarchas, atq; uniuersum
populum Israheliticū, qui uere populus Israhel, & filii promissio-
num erant. Ac quicquid his calamitatum accidit, id pœna fuit incredu-
litas eorum, quòd uoci diuinæ non obtemperassent.

Postremo hoc quoq; diligenter tradendum Ecclesiæ est, fœdus il-
lud gratiæ, et beneficia cætera omnia Patribus impetrata, confirmata,
et exhibita esse per Filium Dei Christum Dominum, æternum uer-
bum Patris. Huius diem optarunt omnes uidere, ac tum demum pro-
missis bonis frui cœperunt, cum eum diem uiderunt. Hic cum Patri-
bus locutus est. Hic deduxit eos, et pavit, non tantum corporali Man-
na cœlitus depluente, et aqua de petra uirtute Dei educta, uerum eti-
am spiritali cibo, et potu beatæ cum eo communicationis, et uitæ di-
uinæ, quam suis impertit. De quo Paulus: Omnes eandem escam spi-
ritualem edebant, et eundem potum spiritualem bibebant. Bibe-
bant enim de spiritali Petra comitante eos Christo.

Quare illi non solum inter sese, sed et una nobiscum eodem cibo
spiritali, et potu frui sunt Christo Domino, quamuis is cibus et po-
tus propter incredulitatem omnibus non profuerit.

Perpetuo itaq; hoc summa cura doceant Concionatores, atq; confir-
ment, omnia ab initio usq; Patribus præstata diuina beneficia, omnia
item quæ nobis exhibentur, donata esse, et donari per unum

Christum, benedictum semen Abrahamæ, caput et
seruatorem Ecclesiæ suæ uniuersæ

(.)

C DE

*Causa calamitatum seu pœ-
narū in ueteri populo fuit
incredulitas.*

*Per Christum omnia bene-
ficia Patribus contige-
runt.*

Ioan. 6.

I. Corinth. 10.

DE DISCRIMINE NOVI ET VETERIS TESTAMENTI.

2. Cor. 3.
Gala. 4.
Ierem. 3.



Vm nō modo D. Paulus, uerum etiā Prophetā Ierem. inter nouum, & uetus Testamentū, manifestum discrimen ponant, nouū Testamentum ad Christi aduentū, Vetus ad Moſen, & ueterem populum pertinere adfirmant, Discrimen hoc Concionatores diligenter obseruabunt, ut Scripturæ loca de utroq; Testamento, & populo nouo scilicet & ueteri, dextre interpretentur, ne quid detrahant gratiæ, & beneficiis Dei, siue ueteribus, siue nobis promissis, atq; præstitis, uti nonnulli facere solent, non satis intelligentes dicta Pauli. Quorum alii, quæcum Patribus egit Deus, omnia dicunt fuisse corporalia, & terrena tantum, Inde q; multa apud nos præclara Dei beneficia, & salutare ordinationes, quod in ipsis est, euertunt, aut certe non suo loco habēt, ut Magistratus, Iudicia, coercitiones noxiorum hominum, quæ negant pertinere quicquā ad nouum Testamentum. Alii ex eadem ignorantia Euangelii, & noui Testamenti, Iudaicis ritibus & cæremoniis, plusquā par sit, tribuunt, eorumq; obseruationem cum detrimento fidei in Christum urgent, etiam hoc tempore libertatis Christianæ.

Duplex ueteris Testamenti intellectus, Alter ut Deus instituit, Alter ut homines eo abutuntur.

Exod. 9.
Ero Deus tuus, continet promissionē uitæ æternæ.

Matth. 22.

Obseruabunt igitur Concionatores Prophetas, atq; Apostolos, multo aliter loqui de ueteri Testamento, cum de eo uerba faciunt, ut illud initio confirmatum est Abrahamo, Moſi, & toti populo ueteri, Aliter uero, quando de Iudæis agunt, qui hoc pactum re ipsa uiolauerunt, & externas tantū cæremonias sine fide in Christum, & sine uera obedientiā Dei iactabant. Etenim cum priori modo loquuntur de ueteri Testamento, uti scilicet traditum diuinitus Patribus est, testantur illud esse pactum gratiæ Dei, & continere in se promissiones Mediatoris Christi. Vocant populum, qui seruabat illud, Primogenitum, & peculium Dei, Regale sacerdotium, Gentem sanctam, Cui in promissione illa: Ero Deus uester &c. Deus promisit & addixit per Filium suum, sempiternam misericordiam suam, remissionem peccatorum, adoptionem in filios & hæredes, atq; ideo uitam nouam, et beatam. Hæc enim omnia Deus beneficia præstat iis, quibus se Deum præstat. Quod uel ex eo perspici potest, quod Christus beatam Sanctorum resurrectionem, quæ transitio est in uitam beatam, et æternam, ex eo Sadduceis probat, quod Deus testatus est, se Deum esse, Abraham, Isaac, et Iacob, qui tum corpore mortui erant. Constabat enim et apud Sadduceos, Deum non esse Deum mortuorum, sed uiuorum tantum, hoc est, bene, et fœliciter

liciter agentium. Sequebatur itaq; & illud euidenter, omnes illos, quibus talis facta erat promissio, necessario ex mortuis in uitam reuocandos esse, in qua & secundum carnem hæredes fierent salutis, & uitæ æternæ, quam eis promiserat, cum testatus erat se illorum Deum esse.

Quapropter uetus illud pactum seu Testamentum cum Patribus factum, complectitur etiam remissionem peccatorum, gratiam, & adoptionem in filios Dei, donationem Spiritus sancti, per quem corda eorum circumcidit, atq; innouauit, & de salute, perpetuaq; gubernatione & protectione certos reddidit. Et pro confirmanda hac gratia uniuersam ipsi religionem tradidit, Legem, & possessionem terræ Canaan, eaq; omnia per Christum unicum Mediatorem, & saluatorem nostrum. Atq; hac de causa Deus tantopere hoc fœdus suum prædicat, Legemq; & statuta sua uocat pactum uitæ, & sapientiam, qua populus Israel cunctis gentibus præstiterit. Testatus est se hoc fœdere adesse suis, habitare inter eos, exaudire preces eorum, eripere eos ex omnibus periculis.

Deut. 4. 30.
Leuit. 26.

Vnde & D. Paulus scripsit de Iudæis ad Rom. iii. & ix. cap. credita eis esse oracula Dei, de latam adoptionem & gloriam filiorum Dei, traditum cultum Dei, donatum Christum Dominum cum omnibus beneficiis Dei. Hinc et Galat. III. declarat probatq; nos, qui in Christum credimus, ueros esse filios Abrahamæ, et noui Testamenti, postquam Baptismate Christum induimus. Item Roma. xi. ait nos ramos esse oleastri, et insitos naturali oleæ, hoc est populo Dei per Christum, radicemq; portare nos, non radicem portari à nobis. Alibi inquit: Nos eundem Spiritum fidei cum Patribus accepisse. II. Corinth. III. Item Pet. Act. XV. Non per legem, sed per Christum solum speramus saluos nos fore, sicut et Patres nostri, ii qui sub lege erant. Hinc non Apostoli solum, uerum etiam Prophetæ, omnes illos, qui sine fide, et Spiritu adoptionis, propter acceptam legem, et ceremonias tantum externe obseruatas, dici Israelitæ uolebant, tanquam nothos, et spurios, atq; alienos à Testamento, fœderisq; diuini uiolatores damnarunt. Lex enim et pactum Dei imprimis fidem erga Deum, et dilectionem ex toto corde totaq; anima, et omnibus uiribus poscit, et sic diligere proximum iubet, ut nos ipsos diligimus, à quo, teste Christo, dependet tota Lex et Prophetæ. Ita etiam in omnibus cæremoniis adumbratus Christus est, et quodammodo exhibitus, et uera in hunc fides requisita. Omnes deniq; promissiones rerum, uel corporalium, uel spiritualium, ideo Patribus factæ sunt, sicut et Christus ipse nobis omnia bona pollicetur, si quaeramus Regnum Dei, et iusticiam eius, ut cunctis malis, et periculis libera-

Jerem. 2.
Psal. 100.

Matth. 22.
In omnibus cæremoniis
Christus adumbratus, &
fides in ipsum requisita.

DISCRIMEN VETERIS

ti, & bonis omnibus ditati, ardentius Deum diligamus, mandatisq; eius obtemperare, & sanctum nomen eius celebrare magis studeamus.

Quamobrem Concionatorum est, promissiones una cum minis populo Israhelitico uariis modis, cum apertis concionibus legis, tum exemplis propositas, nobis dextre applicare, indeq; populum semper diligenter admonere, Deū sibi credentibus, & præceptis suis obtēperantibus, opem suam benigne præstaturum, & bona quæuis largiturū, Contra uerò iucredulis, & contemptoribus uerbi redditurum indubie supplicia, et malis eos puniturum præsentibus & futuris. Hæc eo ualebunt ut populus in timore, & studio Dei retineatur, & promoueatur.

Discrimen ueteris et noui Testamenti triplex est.

Discrimen uero ueteris Testamenti cum Patribus facti, & noui per Christū, & Apostolos instituti, triplex est. Primū, quod uetus Testamētū cum Abraham tantū, & semine eius populo Israhelitico secundū carnem, & iis qui eandē religionem externe quoq; amplexi essent, initum est. Nouum autē cum omnibus gentibus, & hominibus per uniuersum orbem, quicumq; credunt Euangelio, fideq; eius filii Dei fiunt.

Secundū, quod in ueteri Testamento præter fidem & obedientiam legis, requirebatur Circumcisio, & alii externi cæremoniæ ritus. At in nouo nihil quàm fides requiritur, & dilectio, cum fructibus harum uirtutum, et paucis cæremoniis, quas Christus ipse instituit.

Matth. ult.
Ephes. 2.

Tertiū, quod gratiā Mediatoris Christi, et resurrectionē, Deus ueteri populo nondū adeò clare patefecerat, & maiore in metu, atq; seruitute eū detinebat. At nouo populo Mysteriū Christi uniuersum plenius reuelatū est, et amplior rerum externarum libertas concessa. In nouo enim Testamento nullū præcipitur discrimen personarū, locorum, aut Politicæ, sed iussit Christus Euangeliū prædicari omni creaturæ, ad suū regnū uocari omnes omniū nationum homines, affirmans, Quicumq; crediderit, et baptizatus fuerit, eum saluū fore. Quare et Paulus conuersos ex gētib; scripsit nō esse iam hospites et aduenas, sed ciues Sanctorū, et domesticos Dei. Ita loco Circūcisionis, et cæremoniæ aliarū, quibus innumeris in ueteri Testamēto grauabātur, Sacramenta Ecclesiæ suæ Christus reliquit (ut D. Aug. uerbis utamur) numero paucissima, obseruationē certissima, et significationē augustissima, Baptisma scilicet et celebrationē corporis et sanguinis sui. Mystera deniq; suæ gratiæ lōge clarius iā, atq; olim Patrib; patefecit, et Spiritum adoptionis in nos effudit opulentiū, liberosq; fecit à Mosaicis ritibus, et ab omnibus elementis mūdi, Atq; ita corda nostra suo Spiritu regit, ut sponte nos omni humanæ ordinationi subiiciamus ad proximorum utilitatem, omnium nos saluti, et ædificationi ad salutem accommodātes, et inseruientes, spontaneo et libero omnino spiritu, non coacto.

I. Pet. 2.
I. Cor. 9.

Obseruandum aut̄ præterea est, alium esse modum loquēdi de uete-
ri Testamento, familiarem Paulo, & Prophetis, tum scilicet, quando re-
prehendunt falsam Iudæorum fiduciam de Testamento & Lege Dei,
cui externa tantū obseruatione studebant, sine fide in Christum. Hic
enim ostendunt, quid Testamentum uetus sit, & quā ualeat sine gra-
tia & fide in Christum, De quo Ierem. cap. VII. Hæc dicit Dominus ex-
ercituum, Deus Israel, Holocaustomata uestra addite uictimis uestris,
& comedite carnes, quia non sum locutus Patribus uestris, & non præce-
pi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de uerbo holocaustoma-
tum, & uictimarum, sed hoc uerbum præcepi eis dicens: Audite uo-
cem meam, & ero uobis Deus, & uos eritis mihi populus, & ambulate
in omni uia, quam mandauī uobis, ut bene sit uobis. En testatur Domi-
nus legem se de holocaustomatis & sacrificiis non dedisse, nihil suo po-
pulo de hac re præcepisse, Quod Propheta dixit nō de lege hac simpli-
citer, sed ut deprauate obseruabatur ab impiis Iudæis, qui cum quibusli-
bet sceleribus Deum pergerent irritare, sacrificiis tamen absq; pœniten-
tia & fide exhibitis, placare Deum frustra conabantur. Quo itaq; Pro-
pheta hanc in eis falsam confidentiam potentiū deiiceret, usus ora-
tione hyperbolica, dicit Deū de sacrificiis nihil præcepisse. In hoc e-
nim Deus sacrificia instituerat, ut in eis exerceretur fides erga Deū,
atq; Messīā, non ut confirmaretur licentia precandi, & secure uiuendi.

Simili modo & D. Paulus de ueteri Testamento loquitur, Gala. iiii.
Vbi doctrinam Euangelii tuetur cōtra falsos Apostolos, qui docebant
non sufficere ad salutem fidem in Christū, sed opus esse etiā Circumci-
sione, atq; aliis Mosaicis cæremoniis, quo fiebat, ut dum gratiam Chri-
sti aspernarētur, nihil de Lege atq; ueteri Testamento, quā literam
& externā quandam laruā, retinerent. Qui enim non omnē spem & sa-
lutē in solo Christo collocat, Christū iā abiecit totū. Vt igitur Aposto-
lus Galatis euidentius patefaceret, Legem et cæremonias Mosis, sine
Christo iā non prodesse, imo obesse plurimū, cōparat uetus Testamē-
tū Hagar ancillæ Abrahæ, Nouum uerō Testamentū Christi, Saræ libe-
ræ. Vetusq; Testamentum seu Legem facit instar Hagar generare in
seruitutem, & filios carnales, qui persequantur natos ex libera filios spi-
rituales, unde hæreditate Dei tandem eiiciantur, sicut Hagar cum filio
suo eiecta fuit è domo Abrahæ, Et sanè quotquot non à solo Christo
omnem salutem quærunt, sed partem petunt sibi à Lege, et externis
ritibus, serui sunt literæ, & clementorum mundi, non filii Dei, quin
filios Dei, qui in spiritu & ueritate colere Deum student, et ex Spiritu
renati sunt, oderunt, et quibus possunt malis impetunt.

Quomodo Sacrificia
sunt mandata.

Quo pacto uetus Testamē-
tum seruos & hostes uere
piorum generet.
Gene. 21.

DISCRIMEN VETERIS

Atqui hoc fine, ut de litera uel prerogatiua carnis gloriarentur, reie-
cto Christo, nec cum Abraham, nec cum Mose Deus fœdus suum pe-
pigit, sed ut omnem fiduciam, spemq; salutis ponerent in promisso
Messia, propter quem Deus esse eorum Saluator & protector uoluit,
ipsiq; per fidem eiusdem Messia esse populus Dei & cultores debe-
bant. Cum itaq; Galatæ per Pseudoapostolos seducti, aliquid spei &
fiduciæ in Lege, & quas Lex præscribit, cæremoniis ponerent, propo-
suit eis Apostolus, uetus Testamentum quid efficeret, consyderan-
dum, ea ipsa ratione, qua illi eo confidebant.

2. Corinth. 3. Sic et alio loco confert Ministerium Mosis cum Euangelii, et noui
Testamenti ministerio, atq; testatur esse illud ministerium literæ &
damnationis, sicut uere est omnibus iis, quorum scilicet corda Deus
non fide Filii sui purgarit, eisq; nouum Testamentum gratiæ & adop-
tionis filiorum Dei confirmarit per spiritum sanctum, qui testimo-
nium dat Spiritui nostro, quòd simus filii Dei, & docet nos inuocare
Deum fiducia affectuq; filiali, et exclamare Abba Pater. Huc uero
Rom. 8. perducere Lex, atq; ministerium Mosis debet, sicut ad Iudæos Chri-
stus inquit: Si Mosis crederetis, etiam mihi crederetis, De me enim ille
Ioan. 5. testatur. Item Paulus: Lex Pædagogus est ad Christum. Cæterum huc
Galat. 5. usum ueteris Testamenti nequaquam tradebāt Pseudoapostoli, cum
quibus dimicat Paulus, sed contendebant etiam in nouo Testamento
necessario obseruandas Mosaicas cæremonias, & salutem non in solo
Christo quærendam, Quemadmodum ergo illi ministerio Mosis abu-
tebantur contra Christum, & ad euacuandam fidem Christi, ita sibi il-
lud plane tale reddebant, quale uocat Apostolus ministerium literæ &
condemnationis. Recte igitur Apostolus ministerio Christi & noui
Testamēti illud opposuit, cui seruire debebat, & ad Christum noui Te-
stamenti, imo omnis Testamenti ac fœderis diuinæ beneuolentiæ unū
Mediatorem, conciliatorem, & confirmatorem deducere. Ex eadem
ratione loquendi de ueteri Testamēto, Lege et cæremoniis Mosis, et
Galat. 4. illud uenit, quod Apostolus cæremonias Mosis, post Christi regnum
in Euangelio prædicatum, uocauit egena et infirma elementa, eo scili-
cet quòd post apparitionem Christi, et publicam Euangelii in totum
orbem diuulgationem, non amplius essent Pædagogia ad Christum,
sed oneri potius et impedimento.

De hac ueteris Testamenti abrogatione loquitur et Epist. ad He-
bræos, cum inquit: Vetus Testamētum antiquatum et abolicum esse.
Nam ueteris Testamenti pactum, ut est à Deo initum cum ueteribus
Sanctis, æternum est, situm in eo, quòd ipse se illis Deum præstat, uitæ
iustitiam
III 3
æternæ

Quomodo ministeriū Mo-
sis uocetur ministeriū cō-
demnationis.

æternæ largitorem, & illi sunt populus eius. Hæc diuina cum electis Dei pæctio, per prædicationem Euangelii confirmata est, adeoq; Testamentum uetus nouo completum.

Et quàmuis omnia Diuinæ beneuolentiæ pæcta, quæ inde ab initio mundi cum hominibus constituta sunt, per Christum Iesum, qui renouat corda nostra, & solus legem suam in illis scribit, conciliata & confirmata sunt, Tamen noticia Christi, & opulentior donatio Spiritus sancti credentibus data est post Ascensionem Christi, & inuulgatam per orbem prædicationem Euangelii. Et sicut metus atq; seruitus ueteri populo, ita nouo dilectio & libertas Spiritus magis tribuitur. Cum uero in omnibus uere piis simul sint, ac semper fuerint, timor & dilectio, Seruitus ac libertas, dum in hac quidem carne militatur, apud omnes filios Dei alterum Testamentum in altero continetur, ut D. Augustinus inquit, Vna est gratia, unus Christus, una fides, una adoptio, Proinde etiam unus populus Dei, & unum fœdus salutis, tantum, ut dixi, post ascensum Christi in cœlum, gloria & noticia Christi latius & plenius patefacta est, & gratia Spiritus sancti opulentius effusa, indeque uera & æterna iustitia pluribus & efficacius communicata.

Quocirca D. Paulus diuitias Noui Testamenti tanto opere prædicat & uocat mysterium Dei absconditum à sæculis in Deo, ac tempore Euangelii primum ab Apostolis per Spiritum sanctum reuelatum, quod gentes scilicet sint cohæredes, & eiusdem corporis cum ueteri populo, atq; participes earundem promissionum in Christo Iesu.

Ad hunc igitur modum si Concionatores ea discernent, & explicabunt, quæ ueteri ac nouo Testamento, Legi & Euangelio, in Scripturis tribuuntur, cum cõmunia, tum propria, Scripta Prophetica, & Apostolica certius & fructuosius populo tradent, uereq; docti ad regnum Dei, instar opulenti & liberalis patrisfamilias, proferent de Thesauro Scripturarum promissiones omnes, minas, exempla, atq; præcepta Dei utriq; populo tradita. In omnibus promissionibus etiam rerum corporalium ostendent inclusas esse promissiones gratiæ in Christo, & uitæ æternæ. Nam hæc promissio in omnibus diuinis promissis populo Dei factis continetur, sicut ab hoc beneficio reconciliationis & adoptionis per Christum, cætera omnia pendent, imo sine hoc nulla beneficia uera, & digna filiis Dei existunt. Ita docebunt in omnibus comminationibus, contineri minas iræ diuinæ, & condemnationis æternæ, cui omnes homines obnoxii sunt, si non eos Iesus Christus liberet donata pœnitentia, & remissione peccatorum fide in se.

Quomodo nouum Testamentum prioribus sæculis absconditum.

Ephes. 3.

Quomodo in omnibus promissionibus Moysi inclusus Christus.

Omnes minæ Moysi ad nos pertinent.

DISCRIMEN VETERIS

Quomodo tractanda sint
exempla Scripturae.

Sic etiam in omnibus exemplis auxilii, & salutis, quæ ueteri populo per principes, & reges contigerunt, declarabunt adumbratum, & præstitum auxilium sempiternum, & redemptionem in Christo. Rursum in Tyrannorum & impiorum satanico furore, ac sæuitia in bonos, potentiam, furorem, & Tyrannidem Diaboli, atque Antichristi consideranda monebunt. Ex uita factisq; Sanctorum communium, admonebunt de mirabili gubernatione, & custodia Ecclesiæ, de fide, de pœnitentia, & ueris fructibus fidei, & pœnitentiæ, atque felicitate uera hæc semper consequente. In exemplis eorum, qui Deum, & Legem eius contempserunt, indicabunt iram Dei, reprobum sensum, impietatem, & obstinatum animum, atque damnationem, quam tales ultro sibi accersunt, interitus sui ipsi sibi causa facti.

Quomodo præcepta Mo-
sus explicanda.

Ita in singulis præceptis Dei docebunt requiri fidem ex uero corde, & dilectionem. Lex enim tota, quantumuis corporalia officia præcipiat, Spiritualis est, & requirit ueram cordis ac Spiritualem iustitiam, quam Christus Dominus noster, qui Legi solus satisfecit, in nobis inchoat, & operatur.

Quocirca Ecclesiastæ in singulis præceptis explicandis, ad animum ipsum usque penetrabunt, & cordis obedientiam exigent, atque ea ratione hominibus innatam ipsis contra Deum contumaciam, & rebellionem indicabunt, & ob oculos ponent, ut illos sic adigant ad diffidendum sibi, & ad quærendam, & implorandam opem Christi, à quo tanquam unico saluatore & medico, cor nouum, & Spiritum sanctum petant.

A quibus legibus Mosaicis
Christiani sint liberi.

Hæc in unoquoque præcepto Dei explicando agenda sunt, & hac ratione cuncta totius Legis præcepta populo Dei explicanda, qui nullis tamen rebus onerandus est, à quibus Christus eum liberauit, quales sunt, quæ ad Politiam, & disciplinam Mosaicam propriè pertinent, in quibus populus Legis ceu conclusus seruabatur, in timore Dei et fide, usque ad Christum, Quæ ad salutem necessaria non sunt, Circumcisio scilicet, atque reliquæ ceremoniæ, ac ritus Tabernaculi, et templi, Sacerdotum ministeria, Sacrificia, Baptismi, et aliæ corporales purgationes, Festa, discrimen ciborum, et politica obseruationes iudiciorum, atq; rationes aliæ ciuilibus gubernationis.

Quæ præcepta religionis
ad nos pertinent.

At uero quemadmodum Deus in singulis præceptis de Religione hoc imprimis docuit et exegit, ut populus in nomine suo conueniret ad audiendum fideli corde uerbum suum, ad orandum, ad implorandam opem suam, ad sacrificandum ipsi, et in sacrificiis percipienda Sacramenta gratiæ suæ, et redemptionis Christi sui, eaque omnia eo
requirit,

requisiuit, ut populus per hæc fidem suam in misericordiam suam, & unicum Mediatorem Christum exerceret, atq; confirmaret, cuius mortem, & impetratam ea nobis reconciliationem, atq; salutarem eius communionem, Sacrificia illa adumbrabant, & exhibebant.

Sic & nos Christiani ex talibus præceptis discere debemus, quanta nobis cum religione, quàm uera sanctificatione, fideiq; præparatione corporis & animæ, in publicum cœtum coram Domino conueniendum sit, ad uerbum Dei audiendum, ad orationes & gratiarum actiones, ad conferendas oblationes Christo Domino in membris suis esurienti & sitienti, ad percipiendum Sacramenta, & in his communionem Domini nostri Iesu Christi, ac omnis meriti, & gratiæ eius. Ita & illud nos ex hoc genere præceptorum cognoscere oportet, quàm graue peccatum admittamus, quàmque horrendas pœnas mereamur, si quando uerbum Dei, usum Sacramentorum, tam præclara dona Dei, & communes Ecclesiæ præces, tam parui existimamus, ut nec ipsi fidem nostram per hæc alere, confirmareque studeamus, nec aliis, in conseruandis, & commendandis his exercitiis & adminiculis religionis, in seruiamus, maxime Dominicis & Festis diebus, quando Ecclesia uniuersa conuenire solet.

Ita cùm constet Deum multiplicibus illis ablutionibus, & aliis purgationibus corporalibus, quas populo ueteri præcepit, ad id excitare, & mouere illum uoluisse, ut ante omnia mundiciem cordis sibi querendam cogitaret, inq; omni uita & conuersatione, summo studio caueret, et uitaret omnia ea, quæ Deo et proximo abominationi et fastidio, aut quouis modo ingrata et iniucunda esse possent, Debemus et nos in huius generis præceptis, tum nos ipsos, tum nostræ fidei commissos, excitare et exhortari ad illud, ad quod et D. Paulus hortatur II. Cor. VII. cùm ait, Has igitur promissiones cùm habeamus charissimi, mundemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis, ac spiritus, perficientes sanctimoniam cum timore Dei.

Eodem modo consyderanda et tractanda sunt præcepta tradita Israëlī de formis et religione iudiciorum, et administratione totius illius politiæ. Nam in his omnibus præcepta est obedientia erga Magistratus, quæ ex animo et prompte præstanda est, tum conuersatio honesta et humana cum quibusuis proximis, siue sanguine iuncti sint, siue affinitate, siue domestica consuetudine, aut quouis alio uitæ huius commercio, Denique pia et salutaris reipublicæ administratio, qua cuique ius suum conseruetur, & uindictur, omnisque

*Quomodo explicanda
sint præcepta de ablutionibus & purgationibus ueteris Testamenti.*

Quo pacto politica præcepta Israëlī explicanda.

populus

DE PRÆDICATIONE

populus instituat & regatur, ut pie & honeste uiuat, atque ab omni impietate, cunctisq; sceleribus & flagitiis purus seruetur. Hæc uero omnia diligenter nobis nostrisq; etiam proponenda, & commendanda sciamus.

Quamq; enim Romanas, aut alias leges habeamus, & ex illis ius dicatur, nec Deus nos ad leges Politicæ Mosaicæ alligari, tamen ex his ipsis legibus cognoscenda est uoluntas Dei, qui uult seueriter animaduerti in omnia flagitia, & homines institui, urgeriq; ad omnem pietatem atque honestatem, bonis legibus, & legum obseruatione, atque uindicatione. Item innocentes & bonos homines constanter defendi, noxios & malos coerceri, & ne bonis noceant repub. eiici, uel penitus ex uita tolli.

2. Paralip. 19.

Deniq; ex hoc ex his præceptis docendum est, Dei esse omnem gubernationem reipub. Deiq; uice ac munere fungi Magistratus, & iudicium Domini iudicare, ut Iosaphat suis Præfectis dicebat, eoque Deum seueram etiam rationem gestæ procurationis à gubernatoribus populi sui exacturum.

Matth. 5.
Rom. 3.

Ad hunc modum si Concionatores populo proponant, & explicabunt, quæ Deus ueteri populo cum præcepit, tum fecit, tam cum mulando eum amplissimis beneficiis, quam castigando horrendis pœnis, & quicquid exemplorum in eo populo, uel benignitatis, & seueritatis suæ, uel gratitudinis, & ingritudinis populi, in scripturis considerandum exhibuit, id pro suo modo præstabit, quod Dominus de se testatus est, Non ueni soluere legem, sed implere. Et quod Apostolus. Non abolemus legem, sed stabilimus.

DE PRÆDICATIONE NOVO TESTAMENTO PROPRIA.



Prædicatio noui Testamenti est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, prædicare pœnitentiam, & remissionem peccatorum. Sic enim Dominus ipse dixit, atque præcepit Luc. XXIII. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, initio factò ab Hierosolymis.

Ex hoc

Ex hoc Christi mandato testatus est & sanctus Petrus coram concilio Iudæorum, & Sacerdotum, Actorum v. Deus Patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem uos interemistis, suspendentes in ligno, Huc principem & Saluatorem Deus exaltauit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israël, & remissionem peccatorum.

Ad eundem modum concionatur & apud Cornelium Act. x. Præcepit ut prædicaremus populo, & testificaremur, quod ipse sit ille, qui constitutus erat à Deo Iudex uiuorum & mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Item Paulus in Synagoga Antiochiæ Pisidiæ Act. XIII. inquit, Notum sit uobis uiri fratres, quod per hunc uobis remissio peccatorum annūciatur, & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, per hunc omnis qui credit, iustificatur. Sic & Presbyteris, quos ex Epheso Miletum accersierat, ait cap. XX. Vos scitis à primo die, quo ingressus sum Asiā quomodo uobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni animi humilitate, cumq; multis lachrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum, ut nihil suffugerim eorum, quæ essent in rem uestram, quin annunciarer uobis, & docerem uos publice, ac per singulas domos, testificans Iudæis simul & Græcis, eam quæ erga Deum est, pœnitentiam, ac fidem, quæ est erga Dominum nostrum Iesum.

Ex his testimoniis constat, duas esse partes prædicationis Euangelii, seu noui Testamenti, uidelicet prædicationem pœnitentiæ, & remissionis peccatorum. Est igitur noui Testamenti prædicatione à pœnitentia incipienda, quemadmodum exempla Ioannis Baptistæ, nostri Domini Iesu Christi, atque Apostolorum nos docent. Hi enim omnes suam prædicationem ab his uerbis exorsi sunt, Agite pœnitentiam uitæ prioris, nam appropinquat Regnum cœlorum, & credite Euangelio, hoc est, prædicationi de remissione peccatorum. Sed explicandum est etiam hic, quam pœnitentiam intelligi oporteat, Nec enim de qualibet pœnitentia hoc dictum accipiendum est, sed de ea, quæ est erga Deum, quam Christus Dominus ipse in animis nostris exuscitat. Ea est autem uera contritio, atque iustus dolor de peccatis, quæ cogitatione, dictis, aut factis, contra Legem Dei admisi-
& fiducia, propter ipsum nos ab omnibus peccatis, ab ira Dei liberandos,
& pro-

Duplex prædicatione Euangelii.

Quæ uera pœnitentia sit.

DE PRÆDICATIONE

& propter ipsum inter iustos apud Deum numerandos, atq; hæredes uitæ aternæ habendos esse.

Hæc uere Euangelica, atq; Christiana pœnitentia est. Nec enim satis est ad pœnitentiam salutarem, dolere & angere de peccatis, iudiciumq; Dei expauescere, quali pœnitentia Cain & Iudas perierunt, quâq; perierunt tandem omnes impii, postq̄ sentire incipiunt, quam in se iram Dei prouocarint, & in quam condemnationem suis flagitiis, & sceleribus se coniecerint. Verum ut Paulus inquit, necesse est in nobis pœnitentiam esse erga Deum, hoc est, ideo dolere de peccatis, & expauescere debemus iudicium Dei, quòd Deum Creatorem, & Redemptorem nostrum offenderimus, quodq; ab eo defecerimus per peccata, ut cum contritione propter peccata, simul in nobis sit ardens desyderium, & studium reconciliationis cum Deo, cum fiducia hanc etiam consequendi, & certo proposito uitæ emendandæ, seq; in omnem obedientiam Deo tradendi & consecrandi. Quæ omnia uere pœnitentem habere, expetere, & percipere oportet, idq; per unicum Pontificem & liberatorem nostrum Iesum Christum, qui solus in nobis ueram pœnitentiam excitat, & operatur, dum prædicationem pœnitentiæ, dato incremento suo, efficacem in cordibus efficit.

DE PRÆDICATIONE TIONE POENITENTIAE



D hanc uero pœnitentiam in animis nostris excitandam adhibenda est maxime prædicatione mortis, atque passionis Domini nostri Iesu Christi, qua pro peccatis nostris satisfecit Deo Patri, & assidua explicatio, & inculcatio Legis Dei, in qua Deus declarat, quæ in nobis probet, quæ improbet, & quàm clementer etiam & benigne habeat eos, qui iussis suis obtemperant, & quàm seuerè puniat eos, qui sua iussa contemnunt. Quamobrem Pastores & Concionatores in concionibus, & in administratione Sacramentorum, mortem Domini semper summa cura prædicare, & ob oculos ponere, populumq; diligenter admonere debent, Filium Dei, qui nullum unq̄ peccatum commiserit, acerbissimam illam, & tam ignominiosam mortem tantum propter nostra peccata passum esse, tantæ enim illa in oculis Domini abominationi esse, ut ea nulla alia uictima, nullis uel hominum, uel Angelorum, siue meritis, siue cruciatibus, Sed tantum preciosa morte Filii Dei expiari potuerint. Hinc igitur ad-
monebunt

Ex ignominiosa Christi
passione, pœnitentia da-
cenda.

monebunt Ecclesiastæ homines de peccati, atq; iræ Dei magnitudine, & ad agendam solide pœnitentiam excitabunt.

Et quoniam Christus Dominus noster unicum speculum & exemplum est piæ uitæ, ex uita, atq; obedientia Christi, certo & solide discere possumus, ad qualem uitam cõditi uocatiq; simus, quæq; sit in nobis contra Deum contumacia, & quæ naturæ corruptio, qua sanè meriti sumus, ut pœnas illas, quas pro nobis Filius Dei passus est, in æternum patiamur, cum perpetuo hæreant in nobis inobedientia, & contumacia aduersus Deum.

Hinc est, quòd & Apostoli in concionibus suis, quemadmodum est uidere in Actis Apostolicis, coniungere solebant mortem et resurrectionem Christi, tanquam prima capita doctrine Christianæ, quæ perpetuo in conspectu omnibus habenda sunt, Eaq; indubie diligenter semper explicarunt, & ex eis docuerunt, quemadmodum Christus præ finito consilio, & prouidẽtia Dei, traditus, mortuusq; sit propter peccata nostra, & resurrexerit propter iusticiam nostram.

Actor. 2.

Roman. 4.

Itaq; prædicatione passionis & mortis Christi, sunt hortati populum ad agnoscenda peccata sua, & ad pœnitentiam ueram, Et testimoniis Resurrectionis excitarunt eum ad fidem, fiduciamq; gratiæ & remissionis peccatorum. Qui enim uerè hoc credere ac statuere possunt, Filium Dei pro peccatis ipsorum percussum esse, tantamq; peccatorum nostrorum esse atrocitatem, ut pro expiandis illis, Filium Dei tam ignominiosum & crudele supplicium perpeti oportuerit, dum uel let nos ab æterna morte redimere, hos procul dubio ex eodem spiritu fidei pudebit, & pœnitebit peccatorum suorum, erũtq; peccata talibus summæ abominationi, & terrori, Ac ita uiuam & solidam concipient pœnitentiam. Proinde cum Paulus hortatur ad proficiendum & pergendum in pœnitentia peccatorũ, monetq; ne peccatis uiuamus, sed ut ea in nobis interimamus, ipsisq; penitus moriamur, meminisse solet passionis, & mortis Christi, ut Rom. VI. An ignoratis fratres, quòd qui cunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus, Quod mortuus fuit, peccato mortuus fuit, Item: Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, hoc est hostiam pro peccato. Hocet plurimis aliis locis facit Apostolus, ubi ad nouam uitam, et emendationem, hoc est uerã pœnitenti inuitatã, ut Ephe. III. ad Phil. II. et III. Collo. II. et alias sæpe. Vnde etiã in utriusq; Sacramenti mentione, Baptismi, et cœnæ Dominicæ prædicat de morte et passione Christi, ut enim de Baptismo dixit, nos cum Christo consепultos, Ita in descriptione cœnæ addit, Hoc facite in mei commemorationem, Quo-

2. Corinth. 5.

In administratione Sacramentorum, prædicanda mors & passio Christi.

1. Corinth. 11.
1. Petri. 1.

tiescunq; enim comederitis panem hunc, et de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec ueniat. Ita & D. Petrus ait, Videte ut in timore conuersantes, incolatus uestri tempus transigatis, Cum sciatis uos non caducis rebus, uelut argento & auro fuisse redemptos à uana uestra conuersatione, quam ex Patrum acceperatis traditione, sed precioso sanguine, uelut agni immaculati, et incontaminati Christi.

Heb. 10.

Ad eundem modum Concionatorum erit, tam in concionibus, quàm in Sacramentorum administratione, prædicare populo diligenter mortem Domini, tanquàm unicam pro peccatis nostris satisfactionem, & per hanc ad pœnitentiam, & uitæ emendationem excitare, & impellere. Secure uero & contumaciter peccantibus, testari id debent, quod ad Hebræos est, Tales scelerata uita sua conculcare filium Dei, & sanguinem Testamenti polluere, Vnde Deo tandem horrendas atq; æternas daturi pœnas sint.

DE VSV LEGIS DI VINAE VERO ET PRO PRIO.



Voniam uerò ad pœnitentiam, seu contritionem necessaria est uera agnitio peccatorum, assidue explicanda populo erit, & inculcanda Lex Dei, & horrendæ pœnæ, quas Deus in Lege peccantibus minatur, cum tremendis uerbis, tum horrendissimis exemplis, quæ in puniendis impiis edidit, proponendæ. Quanquàm enim Christus solus auctor est pœnitentiæ ad Deum, hoc est contritionis salutaris, & doloris de peccato, quo cor hominis ad Deum solide conuertitur, & ad obedientiam eius reducitur, adhiberi tamen ad hoc uult prædicationem Legis suæ, & ei incrementum spiritus sui, dum adhibetur fideliter, non denegare.

Quid Legis nomine censendum.

Est igitur hoc primo loco monendum, ut recte doceri homines de Lege possint, omne illud uocari, et esse Legem, uel præceptum Dei, quod explicat nobis, quid à nobis requirat Deus, quid ei placeat, quid secus. Idque moneri necesse est, propter eos, qui existimant in noui Testamenti libris non contineri Legem Dei, nulla esse in eo tradita præcepta. Rursus in ueteris Testamenti scriptis.

scriptis nihil haberi Euangelii, Qui error ineptos facit, & indociles ad Scripturam rite intelligendam. Quocirca ubicunq; traduntur praecepta, quibus Deus exponit, quid in nobis probet, quid improbet, ea siue in noui, siue in ueteris Testamenti libris extent, Legi Dei deputari debent, nec secus doceri, atq; explicari, quam quae per Moysen prodita sunt.

Secundo, & hoc scire necesse est, duplicem esse legis intellectum, Pri-
mus carnalis est, & crassior, cum homines opinantur, in lege externa tantum facta prohiberi, quae si quis utcunq; uitet, legi satisfecerit, etiamsi haereant interim in animo eius affectus mali, & concupiscentia repugnans atq; inimica Legi, quae metu poenae tantum cohibeatur, ne etiam in externa scelera prorumpat. Vt si cum Lex praecipit, Non fura beris, putet aliquis, huic se praeepto paruissse, cum opere se à manifesta rapina, & furto continuerit, etiamsi interim cor auaritia, & sollicitudine huius uitae aestuet, atq; ardeat desyderio rei alienae.

Duplex legis intellectus.

Hic sanè intellectus Legis falsus, & planè Ethnicus error est, qui nihil quàm hypocritas facit, qualis erat Phariseus ille stans in Templo, & orans, Gratias ago tibi Deus, quòd non sim, sicut ceteri homines, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic Publicanus. Quiq; ita de Lege carnaliter sentiunt, his difficillimum est, peruenire ad agnitionem Christi. Ad externa enim tantum opera respiciunt, quae uidentur sibi propriis uiribus posse perficere, inde & remissionem peccatorum, atq; salutem suis operibus obtinere se posse confidunt, Et praedicatione de gratuita peccatorum remissione per Christum, et fidei iusticia, uel offenduntur, uel eam, ut stultam, contemnunt.

Luc. 18.

Hanc impiam persuasionem significabat quondam uelamen impositum faciei Moysi, cum filii Israel non possent oculos intendere in faciem eius. Obcaecatos enim habent sensus huiusmodi homines, ut inquit Apostolus. Quemadmodum enim olim Israhelitae tantum uelamen intuebantur faciei Moysi impositum, non ipsam faciem, Ita istiusmodi hypocritae uerum sensum legis diuinæ non perspiciunt, sed haerentes in litera, sensum sequuntur carnalem, quem ipsi falso claritati Legis, ceu tegumentum quoddam, imponunt. Hoc uelamen in hodiernum diem manet in lectione ueteris Testamenti omnibus, quibus per Christum non tollitur, qui solus suo Spiritu uerum legis intellectum aperit. Vnde Apostolus, At ubi conuersi fuerint ad Deum, tolletur uelamen.

Exod. 34.

2. Corin. 3.

2. Corin. 3.

Alter Legis sensus uerus et spiritualis est, quum intelligimus prohiberi, non tantum externa uitiosa opera, sed etiam interna, prauam

Spiritualis legis intellectus.

DE VERO VSV

Quæ uere bona opera.

concupiscentiã, affectus malos, omnes cogitationes, dicta, facta, uoluntatem, inclinationem, & quæcunq; uel in corpore, uel in animo nostro quouis modo existunt, aut mouentur aduersus Legem Dei. Tum agnoscimus requiri à nobis in Lege, non exteriorem tantum disciplinam, & uirtutes, quas absq; gratia, nostris uiribus præstare possumus, sed talia opera, quæ Spiritus sanctus ipse in nobis efficiat, qualia sunt, uera solidaq; fiducia gratiæ, & auxilii diuini per Christum Iesum, uera inuocatio in omnibus periculis, ardens dilectio Dei, & proximi, integra obedientia ex toto corde, & omnibus uiribus, liberum & purum esse ab omnibus uitiosis motibus, & eo tantum propendere, atq; ferri, ut soli Deo seruias, eumq; solū celebres, & magnifices uera dilectiõe ipsius & proximi, & officiis omnis generis, quibus salutem hominum, & in hac gloriam Dei promoueas, & illustres. Hic uerus & salutaris Legis intellectus est omnibus necessarius, quo ut arguuntur omnes homines peccati, ita etiam et reuocantur ad pœnitentiam, Dominoq; uia ad corda eorum paratur, Sic quoq; Dominus noster Iesus Christus, quædam Legis præcepta interpretatus est, Matt. v. Volens procul dubio cætera similiter intelligi & explicari.

Ad eundem modum & Paulus uim Legis explicat Roman. VII. cū ait, Lex spiritualis est, ego uero carnalis sum, uenditus sub peccatū, Cum itaq; Lex spiritualis sit, requirit opera spiritualia, homo uero carnalis, carnis tantū opera præstat, Mala enim arbor, non fert bonos fructus. Qui ergo satisfacere Legi uolet, cum spiritualē hominē effici oportet, & opera præstare spiritualia, qualia ea tantum sunt, quæ in nobis operatur Spiritus sanctus, ut est uera fides uerbi Dei, ardens dilectio, timorq; Dei, & fructus harum uirtutum. Ex quo perspicuum est, nos ne minima quidem præcepta Legis, uiribus nostris, sine auxilio Spiritus sancti facere posse.

Nullum præceptum ex uiribus nostris seruiamus.

Hunc Legis intellectum adumbravit splendor, qui oculis Israhelitarum intolerabilis in facie Moïsi elucebat. Ut enim Israhelitæ ferre oculis eum splendorem non poterant, Sed absterriti fugiebant, Ita neque carnalis ratio hunc sensum Legis potest assequi, quin potius auersatur eum, abhorret ab eo, & prorsus absurdum iudicat, Si enim ita res haberet, ad unum omnes damnari necesse esse, & iniuste nobiscum Deum agere, si ea præcipiat, quæ uiribus nostris præstare non possumus. Sic reiicit ratio uerum Legis intellectum, obiicit uelamen oculis uis, & hac se falsa opinione consolatur, quòd sit nobis liberum arbitrium,

trium, si quantum in nobis est, fecerimus, id Deum non posse non boni consulere, nec ultra à nobis quicquam postulare. Verum nos, qui in Christum credimus, & à Spiritu sancto docti sumus, nouimus hanc, quam proposuimus, ueram Legis sententiam esse. Videmus enim faciem Mosis reuelatam, hoc consecuti, de quo Paulus ait I I. Corinth. III. At ubi conuersi fuerint ad Dominum, auferetur uelamen, Nam postquam Christum fide agnouimus, & contemplamur, gloria Dei noua in nobis elucet, & ad eandem imaginem Christi transformamur, à claritate uitæ huius nouæ in nobis inchoatæ, ad claritatem uitæ eiusdem indies proficientis, idq; à Domini Spiritu.

Quando tollatur uelamen à Lege, & facie Mosis.

Quando igitur per agnitionem sui Christus hanc nobis spiritua-lem lucem, & claritatem uitæ nouæ impertit, certum est in lege eam à nobis requiri, nobisq; esse ad salutem necessariam, Nam ad hoc Christus uenit, & mortuus pro nobis est, resurrexit, regnumq; suum cæleste ingressus, ut id in nobis restitueret, & perficeret, ad quod conditi primum sumus, deinde & lege Dei reuocamur. Facies itaq; Mosis nunc reuoluta nobis est, & uerus Legis intellectus reuelatus, qui conuersi sumus ad Christum Dominum, & fide ipsum speculamur, atq; in ipso uitam, quam Deus probat, ex parte cognoscimus, percipimus, atq; uiuimus.

Tertio, explicato quid nomine Legis Dei intelligi debeat, deinde quæ uera Legis sententia, atq; interpretatio sit, consyderandum, & diligenter docendum est, in quem usum, & finem Lex nobis à Deo tradita sit, Quanquàm enim hoc paucis iam subindicauimus, nempe Legem ad id datam, ut per cognitionem peccatorum, quam subministrat, pœnitentiam operetur, tamen hoc aliquanto copiosius est explicandum.

Quoniam uero D. Paulus uim, & naturam Legis nobis singulari cura, atq; perspicuitate tradidit, ut qui animaduertit, ui Legis non probe explicata, & cognita, homines magis externæ disciplinæ tantum studio, & falsis operibus Legis, quàm fide in Christum uelle iustificari, Tria potissimum Pauli dicta, quibus ille uim, naturam, usumq; Legis clarissime, ac planissime exposuit, consyderare propius, & excutere libet, Vt hoc pacto quantum possumus, eximamus innatum illum hominibus errorem, quo suis uiribus legi satisfacere conantur, & contenti externa et inani iusticiæ specie, Christum negligunt, et de uerâ cordis iusticia curam omnino nullam admittunt. Dicta Pauli hæc

D iii sunt.

sunt . Per Legem est cognitio peccati . Roman. capite III . Lex iram operatur, Roman. capite IIII . Lex Pædagogus noster est in Christum, Galat. III.

Ex primo ergo dicto , per Legem existit cognitio peccati , discendum , & docendum , per lapsum Adæ , tantam humanæ rationaliginem inuectam esse , ut ex nobis ne intelligere quidem possimus , quid sit peccatum , eoquæ datam nobis Legem esse diuinitus , ut ex illa demum hoc discamus . Inde hoc nobis primum constituendum , illud uere peccatum esse , quod prohibet Deus , & contra , bonum opus , quod præcipit Deus . Quocirca cum à Lege Dei nos auertimus , & ipsam negligenter inspicimus , quemadmodum magno Ecclesiæ malo diu iam factum est , uera quoque cognitio peccati planè intercudit , sicut & ueræ iusticiæ , falsis et commentitiis tum peccatis , tum officiis , nos ipsos & alios frustra cruciamus & premimus , quod & multi fecerunt , et hodie etiam num multi faciunt . Si quid enim omissum sit contra superstiosa uota , contraque alia , quæ Deus non requirit , si aliquid remissum in afflictionibus corporis , nullo uel respectu , nedum usu pietatis susceptis , uel quid aliud ex commentis hominum , quæ ad ueram iusticiam nihil conferunt , prætermisum , de his homines superstiosi mire anguntur , & pro peccatis reputant , hæc anxie confitentur , & eluenda penitentia singulari ducunt . Contra si in his aliquid præstiterint , se quid præclarum præstitisse , & egregie de Deo meritos arbitrantur , Interim negligunt in se , & dissimulant uera & grauissima peccata ea , ex quibus ceu fontibus malorum cætera omnia , prauæ cogitata , dicta , & facta profluunt , qualia sunt , neglectus Dei , & uerbi eius , incredulitas , diffidentia promissionum diuinarum , contemptus minarum eius , uariæ & prauæ cupiditates nobis agnatæ . At dum hæc uera peccata , et uitia nobis nondum nota sunt , eoque nec dolent , quomodo rite confiteri ea , atque ueniam eorum per Christum petere possumus ? Quarè necesse est ad id , ut peccata uere agnoscamus , et ab eis per Christum liberemur , ut ea non ex ratione nostra , neque ex humanis traditionibus , sed ex diuina Lege cognoscamus , & ponderemus . Paulus tantus Apost. cap. VII. ad Roma . de se ipso scripsit , Peccatum non cognoui nisi per Legem , Imo & concupiscentiam non nouissem peccatum , scilicet esse , nisi Lex dixisset , Non concupisces . Et quamuis dicat in eadem Epist. cap. II. idem Apost. Gentes quæ Legem non habent , natura , quæ Legis sunt , faciunt , eæ Legem non habentes , sibi ipsis sunt Lex , qui

Ratio ex se non intelligit quid sit peccatum .

falso cõficta peccata quæ .

Vera et grauissima peccata .

Ne Paulus quidem cognoscit peccatum sine Lege .

qui opus Legis scriptum ostendunt in cordibus suis, Tamen cōstat ex uniuerſa doctrina huius Apoſtoli, & totius Scripturæ, homines naturæ tantum iudicio præditos, & qui non habent Spiritum regeneratorem, nihil amplius, quàm de externa diſciplina, & peccatis contra hanc admiſſis ſtatuerè poſſe efficaciter, ut ueram ſcilicet eorum pœnitentiã in ſe excitent, Quæ enim contra fidem in Deum, & uerum Dei cultum admittunt, quæ neque credunt, neque fidunt Deo, neque uero corde Deum inuocant, hæc in ſe, quicumque ſola rationis luce pollent, negligunt, propter hæc minime anguntur, de horum emendatione, & ut uera ſe fide & fiducia ad Deum conuertant, ipſique ſe approbent, nulla cura tanguntur. Id Apoſtolus de Sapientibus gentium, qui aliquam Dei agnitionem adepti erant ſcripſit, Cum Deum cognouerunt, non ut Deum glorificarent, neque grati fuerunt, ſed frustrati ſunt per cogitationes ſuas, & obtenebratum eſt inſciens cor eorum, Cum ſe crederent ſapientes, Stulti facti ſunt, & mutarunt gloriam Dei immortalis, per imaginem non ſolum ad mortalis hominis ſimilitudinem effectam, uerum etiam uolatilium, & quadrupedum, & reptilium.

Sed diues in miſericordia Deus, plarique & ante, & poſt Legem traditam, abſque miniſterio huius Legis, communitantum Lege naturæ, & doctrina à Patribus percepta inſtitutis, Spiritum ſuum, doctorem omnis ueritatis, Spiritum Chriſti ſui impertiit, per quem quæ Legis ſunt, & cognouerunt, & fecerunt, atque ſibi ipſis Legis uice fuerunt, quorum nihil potuiſſent ſolo freti lumine naturæ eius, qua nati in hunc mundum fuerunt, Cum enim ne Paulus quidem ſine Lege diuinitus data, & reuelata, agnoſcere peccatum potuerit, neceſſaria proſecto eſt omnibus ad peccatum agnoſcendum doctrina Legis diuinæ. Quare illa populo ſumma cura proponenda & inculcanda eſt, ut diſcat illam ſemper habere in oculis, & religioſe conſyderare, animumque ſuum, & cunctas actiones ad eam exigere, quo ex uera, ſolidaque peccati agnitione, uiua etiam pœnitentia peccatorum compungatur.

Nam ea demum peccati uera ſalutarisque cognitio eſt, cum non tantum quid ſit peccatum, ſed etiã nos peccati reos eſſe agnoſcimus, Et ut talem in nobis peccati cognitionem excitet, Lex data eſt. Nam non ait ſimpliciter, Cædes, adulteria, furta, & cætera huiusmodi, peccata ſunt, Sed tu, inquit, Ne occidas, imo ne irascaris temere, Tu ne comittas adulterium, imo alterius coniugem ne concupiſcas, Tu ne furtum facias, imo ne defraudare quidem ullo negotio proximũ uelis. Hæc qui audit mente

D iiii purgata,

purgata, & illustrata Spiritu adoptiōis, is agnoscit in Lege requiri, ut id quod præcipit Deus, amplectamur, & faciamus toto corde, tota anima, totis uiribus, & ab eo quod uetat, abhorreamus toti, omni sensu, omni uolūtate, & tota natura nostra. Cū itaq; se ab hac uera Legis diuinæ obedientia & studio procul adhuc abesse homo sentit, agnoscit se, q̄q̄ externo opere à cæde, ab adulterio, à furto, & fraude proximi abstineat, tamen uere esse homicidam, adulterum, furem, in conspectu Dei, & horum omnium malorum reatu teneri. Quàmuis enim uindictam, libidinem, iniuriam nullā etiā in animo conceperit, admittēda minime consenserit (de quo nemo facile gloriabitur) tamen cupiditatem animi et propensionem ad hæc mala in se adhuc deprehendet. Ita quando se attollere ad uirtutem, mansuetudinem, liberalitatem, et patiētiam studet, reluctātem experitur animum suum, et nunquā se non subtrahentem ab his officiis, et si aliquo usq; ad hæc excitetur, et sese proferat, tamen in eo languere, et non quanto oportebat studio, incitari eum, atq; feruere sentiet.

Hæc autem malorum cupiditas, ista ad bonum repugnatio, difficultas, cessatio, languor, et remissio, uera peccata sunt corā Deo, quia contra Legem eius sunt, qui iure suo à nobis requirit, ut quæ nobis mandat faciamus cupidissime, et quæ prohibet, horreamus ita toto animo, et totis uiribus, ut nihil in omni uita magis.

Ex his perspicuum est, nos Lege Dei, dum illam sensu Christi præditi intuemur, et ad eam nos ipsos excutimus, doceri, non tantū esse nos peccatores, sed etiam captiuos sub peccato, et uenundatos. Interiores enim illos motus reprimere propriis uiribus profus nō ualemus, quod dum ex Lege discimus, atq; agnoscimus, tum demū ueram, et salutārē Legis cognitionē tenemus. Vt igitur Apostolus hanc Legis cognitionem tam diligenter tradit, et inculcat, ita debent omnes Pastores, et Ecclesiastę, in ea ipsa tradenda, et infigenda populo, præcipuum Studium collocare, omisis subtilibus de Lege disputationibus, quæ ad rem nihil faciunt. Dum enim hanc, quam Paulus tradit, solidam Legis obseruatiam continenter urserint, excitabūt in hominibus ueram peccatorum agnitionem, et ex hac uiuam, & efficacem pœnitentiam, & sollicitam solidamq; ad Christum conuersionem. Nam quicumq; ad istam integram Legis obedientiam sese contulerint serio, atq; uitam suam cōuerterint, ii quanta sit naturæ deprauatio, quantaq; in nobis peccati tyrannis, multo melius deprehendent, quā doceri unq̄ ab homine possint.

Alterum dictum Pauli, ex quo uerus usus Legis cognosci & doceri debet,

debet, Lex iram operatur, quo Apostolus significat, nos non modo non agnoscere peccatum ex nobis ipsis, sed agnitum negligere, & securos iudicium & iram Dei aduersus peccatum, quam Lex minatur, contemnere, quasi Deus peccatis nostris non tantopere, ut Scriptura testatur, offenderetur, & conuiere ad illa possit. Cùm tamen Dauid testetur, Deum non uelle iniquitatem, sic enim ait, Deus non uolens iniquitatem tu es. Et odisti omnes qui operantur iniquitatem, & perdes qui loquuntur mendacium.

Lex iram Dei ostendit ad uersus peccatum.

Psal. 5.

Quamobrem rursus cœlesti sua uoce, Lege scilicet, Deus terrere, excitare, & commouere nos uoluit, ut iram ipsius in conscientiis nostris sentiamus, Hoc ergo comminationibus facit pœnarū, & calamitatum, quas multas, & summè horrendas, easq; cùm corporales, tum æternas, præceptis suis in Lege adiecit, quibus omnes peccatores afficientur, si non agentes pœnitentiam liberentur per Christum. Has itaq; pœnas & calamitates populo Concionatores diligenter explicare debent, quo tandem iram Dei intelligant, & in conscientiis suis sentiant, ut iudicio Dei intolerabili perterriti, ad quærendam in Christo gratiam, & liberationem ab hac ira Dei incitentur.

Ex his satis clarum est, Legem non in hoc datam esse, ut iustificet, & uiuificet, sed ut per eam intelligamus peccatum in nobis regnare poterit, & quæramus aliam uiam, qua cum Deo in gratiam redeamus, & uitam consequamur, eam uidelicet, quam monstrat Euangelium, Fidē in Christum. De quo D. Paulus ad Galat. III. scripsit. Etenim si fuisset Lex, quæ posset uiuificare, uere ex Lege esset iustitia. Atqui Lex nō iustificat, sed condemnat, cùm præscribit, & exigit, id quod ab homine Deus requirit, ut faciat, Et mortem, atq; gehennam minatur iis omnibus, qui id quod præcipit, & exposcit, non præstiterint, quod sane præstare potest nemo, Adeo enim gloria Dei destituti sumus, & uera iustitia, adeo peccato uænundati, ac plane mortui sumus, sicut Paulus testatur, ut Lex ipsa, quæ remedio esse, & reducere ad uitam debebat, in exitium nobis conuertatur, & deiiciat magis in gehennam, irritata nimirum per eam concupiscentia, & peccato aucto.

Proinde totius Legis usus hic est, ut hanc nostram perditionē à peccato nobis ostendat, & uero de peccato dolore, & iudicii diuini pauore perculsos, & omni salutis spe aliunde comparandæ nudatos, compellat ad seruatorem Christum, qui passione & sua morte iram Dei à nobis amouit, gratiam impetrauit, Spiritum regenerantem largitur, per quem sanctificati, confortati, ad bene operandum impellimur, & ea consolatione sustentamur, quod ipse unicus mediator, & conseruator noster

DE VERO VSV

noster sit, qui suam perfectam obedientiam, & iusticiam, apud Patrem pro nobis interponat, & tandem in ipsa resurrectione ab omnibus peccatis liberet, & solida iustitia donare uelit.

Lex pædagogus noster ad Christum.

Tertius locus Pauli est, Lex pædagogus nobis factus est ad Christum, Hic igitur etiam finis Legis populo diligenter in Concionibus explicandus & inculcandus est, Nam hac pædagogia nobis omnibus opus adhuc est, pro modo fidei atq; Spiritus cuiq; donati. Magna enim omnibus adhæret infirmitas, propter quam necesse habemus metu Spiritus seruilis perpetuò impelli ad Christum, custodiriq; in obedientia Dei, ad plenioram libertatem Spiritus filiorum.

Deinde non parua pars populi Christiani, hac extrema, & tam corrupta mundi ætate, post tam grauem à lege Dei defectionē, secure obsequitur cupiditatibus, & in manifestis uitiis uiuit, Huic itaq; tam opus est prædicare Legem, & Iudicii diuini terrore à somno uitiorum excitare, & ad Christum urgere, q̄ fuit populo ueteri. Concionatorū ergo erit dum ad bona opera hortantur, diligenter inculcare, & præcepta legis, & promissiones, & minas præceptis adiectas, Ea tamen moderatione id facere debent, ut præcipuò simul studio doceant Christū solum esse, qui ueram legis obedientiā operatur, & illū sua obedientia satisfacere, quod in nostra desyderatur, in qua nihil est solidū. Quāndiu enim hic uiuimus, admodum exigua & imperfecta est nostra obediētia, nec unq̄ legi Dei satisfacit, quæ nimirum eum obidientiæ nostræ scopum præfigit, ut diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, & omnibus uiribus.

Lex etiam ducit & remittit ad Christum.

Quapropter magna diligentia explicanda populo, & cōmendanda erunt loca illa, & in Lege, et in Prophetis, quæ de Christo prædicant, quorum q̄ plurima in diuinis Scripturis extant, Non enim hoc tantū Lex nobis confert, quod per agnitionem peccati, quam excitat, atq; metum iræ Dei, quem iniicit, nos ad Christū reuocat, et impellit, atq; in obedientia erga Deum, non alia tamen q̄ uirtute Christi, ad Christū, et in Christo custodit, Sed cum ipsum etiam Christum optata prædicatione celebrat, et ostendit, ad eumq; suauiter remittit, et deducit, eo quod prædicat eum unicum propiciatorem et saluatorem nostrum, Id quod dupliciter facit, Primo claris et apertis testimoniis, quale est illud, quod habetur Deuter. XVIII. Prophetam sicuti me suscitabit tibi Dominus, Secundo umbris, et uenustis allegoriis, qualis illa est de Agno Paschali. Sic et Prophetæ multis modis, et aliquanto apertius q̄ Moses, et copiosius, de Christo uaticinati sunt, donec tandem Baptista digito præsentem commonstrauit. Quæ omnia ex Lege et Prophetis magno studio populo prædicanda, et exponenda sunt.

Hæc

Hæ igitur causæ sunt datæ legis, quam Deus sciebat nos non seruaturos, ut per eam docti cõmonitiq; impotentia & infirmitatem propria agnosceremus, & immensam Dei iram sentiremus, & pia quadã disciplina ad Christũ duceremur, omnẽ in eum fiducia collocarem, atq; in eo bonis operibus incumbẽtes, quotidie in ipsum, qui caput est, cresceremus, omni pietate & uirtute aucti. Postq̃ uero Ministri primũ de lege hoc mō instructi fuerint, deinde & populũ summa cũ fide docuerint, tũc & ipsi lege ritẽ utẽtur, & populũ in uerã eius cognitionẽ perducẽt, & ad uerã pœnitentiã, dolorẽq; peccatorũ cõmouebũt, & inde ad Christũ liberatorẽ, ut ei omni planẽ desyderio seruiant, excitabũt, & impellent.

Summa causarum cur data nobis sit lex.

Et quia uulgus non potest præcepta Legis omnia, ut plurima sunt, & latissime singula patent, intelligere, & memoria tenere, Ecclesiastæ debent breues summas Legis diuinę, & prima capita sapissimẽ recitare, & infigere animis auditorũ, quale est illud Matth. XXII. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, Hoc est primum & magnum mandatum. Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum perinde ac te ipsum. In his duobus mādatis tota Lex, & Prophetæ pendent. Item quod Apostolus ad Timotheũ scripsit, Finis præcepti est charitas ex corde puro, & consciẽtia bona, & fide non simulata. Cũ uero Deus iam olim clementissime cõcesserit, quod Parẽtes pii suos filios Decalogum diligentissime docuerint, in quo etiã doctrina pietatis tota clare comprehẽsa est, quæ res eam utilitatẽ attulit, quam nemo oratione expresserit, Doctores & Pastores Ecclesiarũ diligenter id agẽt, ut hanc Legis diuinæ summam sæpe populo recitent, atq; singulorum præceptorum ueram sententiam, & breuiter, & clare explicent, dum concionantur.

1. Timoth. 1.

BREVIS EXPLICATIO DECALOGI.

IN primo itaq; uerbo Decalogi, Ego sum Dominus Deus tuus, qui te ex Aegypto eduxi &c. Primo loco docebũt Ecclesiastæ, Deũ hoc uerbo suo testari, se, qui hæc nobis præcepta tradit, solum esse Dominum, hoc est, omnipotẽtem omnium rerum conditorem, & rectorem, solum bonum, & boni causam, malorumq; omnium depulsorem.

Summa primi uerbi seu præcepti.

Secundo, quod nos per Euangelii prædicationem, & Baptismum, in suum populum acceperit, sicut olim Israëlem assumpsit, educẽdo eum ex terra Aegypti, et domo seruitutis, legibus, et Sacramẽtis suis traditis,
Et quod

BREVIS EXPLICATIO

Quid sit Dominum esse
nobis Deum.

Et quòd uelit in Christo Domino nostro, nobis quoq; omnibus, quibus hæc prædicari fecit, esse Deus, hoc est, æternæ salutis, restitutionis corporis & animæ, author, & largitor.

Et cum summa impietas sit, Deum loquentem non audire, & bona omnia promittenti non habere fidem, Concionatores circa hoc proximum uerbum docebunt, Deum eo requirere, ut huic eius de se testimonio, & promissioni, toto corde credamus, & in eo acquiescamus, ut ipsum nostrum Deum, & Seruatorem agnoscamus, & colamus, diuinam eius misericordiam, opem, & auxilium, semper imploremus, per Christum Dominum nostrum, & ipsum super omnia ex toto corde metuamus, diligamus & celebremus, & in omnibus tribulationibus, & anxietatibus inuocemus, & propter eius gratiam immensam, & beneficia maxima sedulò laudemus.

Quid habere Deos alie-
nos.

In secundo Præcepto, Non habebis Deos alienos coram me, Non facies tibi sculptile, uel imaginem, ut adores, aut colas ea &c. admonendus populus est, Primum, per alienos Deos, & cultum imaginum prohiberi omnem fiduciam diuinæ opis in ullam rem, præter Deum in Christo collocatam, omnesq; falsos Dei cultus, quales sunt, quicumque extra Dei uerbum suscipiuntur, ut sunt Mahometistarum, Iudæorum, & eorum omnium, qui eiusmodi cæremoniis Deum colere, & eius opem sibi impetrare quærunt, quæ non sunt ex uerbo Dei desumptæ, & Euangelio Christi non efficaciter deseruiunt, Vel cæremoniis à Domino etiam ipso institutis, sed absq; pœnitentiâ et fide usurpatis. Prohibet etiam hic Dominus, omnem Magiam, et omnem illum creaturarum abusum, quando uel utilitatem eam à rebus homines petunt, ad quam non sunt factæ diuinitus, quòd in falsis diuinationibus, et aliis magicis artibus admittitur, uel dum à rebus utilitatem petunt, ad quam quidem illæ à Deo conditæ sunt, sed non ut à Deo profectam, et à gratia eius pendentem, ut eam primum à Domino per Christum orent, et ad gloriam ipsius.

Deinde docendum, hoc præcepto reuelari nobis illam uitiatæ naturæ corruptionem, et innatam nobis impietatem, qua perpetuo uerum et unum Deum ignoramus, fugimus, et fastidimus, opemq; diuinam uel nullam quærimus, confisi uiribus humanis, cum nostris ipsorum, tum aliorum hominum, uel non ab ipso uno, ueroq; Deo in Christo quærimus, sed confictis et falsis numinibus. Idq; quandoq; sub ipsius ueri Dei nomine, cum sine pœnitentiâ, et fide, Deum Patrem domini nostri Iesu Christi, per hunc unum Mediatorem inuocamus, quandoq; sub alienis nominibus, ut cum homines liberationem à peccatis, et auxilium

& auxilium uitę præsentis, et futurę, petunt à Sanctis, Vel deniq; ad quarendam opem Dei, & demerendum Deum, adhibemus cæremónias alienas à uerbo Dei, absq; uera ad Deum conuersione, cultuq; cordis. Hęc enim uniuersa impietas nobis ingenita in hoc secundo præcepto, uerbo Dei detegitur, & cognoscenda nobis proponitur.

Tertio, exhibetur nobis hoc uerbo etiã sancta quædam Pædagogia, qua etiam nos Deus per hoc præceptum, ostensa corruptione, & infirmitate naturę nostrę, adducere uult ad Christum filium suũ, qui iram ipsius aduersus impietatem hanc, & peccatum in natura hærens, auertat, & placet, mortificet etiam per Spiritum sanctũ reliquias huius mali, conseruet nos in uera fide, & inuocatione gratiæ diuinę, & donet in ea quotidie magis magisq; crescere, ut in Christo, eo tandẽ auxilio Spiritus sancti perueniamus, ut omne bonum, & liberationem ab omnibus malis, à Deo, & eo solo, non à creatura aliqua, uel numine, nec alio etiam modo, quàm ipse præscribit, queramus, uel expetamus, Vtq; in omnibus Dei creaturis in nostrum ministerium, & usum conditis, ipsius tantum bonitatem, non creaturarum, respiciamus, agnoscamus, & celebremus, Idq; iuxta suum uerbum, et eam uiam, et rationem, quam ipse ordinauit, siue secundum generalem actionem naturę, gubernationem et administrationem mundi, siue ex peculiari constitutione Religionis, et gubernatione electorum ad Regnum filii sui.

Quomodo impleatur hoc præceptum.

Vt Solem, Lunam, et reliqua sydera, Aërem, Nubes, et reliquas cœlestes creaturas, condidit Deus in eum usum, ut luceant, ut discernant tempora, ut fœcundent terram, et ad alias utilitates hominibus deseruiant, sicut etiam ad pœnas, quas Deus de contemptoribus suis sumit.

Qui iam alios effectus et euentus, ut fortunam bonam, et successum in rebus, & oportunitatẽ agendi ab astris petunt, aut expectant, nõ simpliciter stantes à Deo, et uerbo eius, quemadmodum Ethnici olim etiam sæpe Iudæi, et falsi Christiani Deum grauissime contra se irritarunt, hi astris tribuunt, quæ Dei sunt factoris astrorum, et abutuntur illis ad res, ad quas non sunt à Deo nobis propositæ.

Abusus superstitiosus creaturarum.

Eodem impietatis scelere sese implicant, qui herbas sacratas accendunt aduersus tempestates, et spectra Diaboli, Qui uel herbas uel res alias adhibent, siue ad efficiendam salutem corporis, siue ad successum procurandum negotiorum, quibus nihil ad id uirtutis Deus indidit, qua insania uulgus maximẽ hoc tempore laborat. Inna-

E ta enim

BREVIS EXPLICATIO

ta enim omnibus impietate, & alienatione à uerò Deo, & uero cultu Dei, fit, ut quicumq; non Christo renati sunt, opem diuinam nunquam simpliciter à Deo ipso, & per ea instrumenta, quæ ipse nobis proposuit, & ea ratione, quam ipse præscripsit, quærant. Sed nouos semper Deos, & noua instrumenta, & nouas rationes auxilii diuini imperandi comminiscantur.

Idololatria, quæ in ciuili potestate admittitur.

Hanc uero impiam peruerfitatem non in naturalibus modo rebus homines admittunt, sed etiam in ciuilibus. Magistratus enim diuinitus institutus est, ut ciuilem disciplinam tueatur, & ad pietatem, & honestam ac commodam uitam suos promoueat, legibus, & iudiciis & procuracione rerum, quibus præsens uita sustentatur, & propulsatione eorum, quibus hæc uita læditur. Qui hæc itaq; beneficia Dei primum à Deo ipso, Deinde à gubernatoribus rerumpub. sed ut ministris & procuratoribus Dei petunt, & petunt illa ratione legitima, ea scilicet quæ cum fide in Deum, & dilectione proximi congruit, & publicis legibus, atq; moribus tradita est, & recepta, hi piè, & rectè faciunt, hisq; organis diuinæ beneficentiæ rite & sæliciter utuntur. Atqui ab his uoluerint leges accipere religionis, omnemq; uitæ suæ moderationem ab ipsorum petere arbitrio, non à uerbo Dei, et se sælices arbitrari, si illos habeant propicios, miseros, si secus, etiamsi in offensionem incurrant Dei, hi cum creaturarum potestatem, et imperium, potestati, imperioq; Creatoris anteponan, impie & peruerse faciunt, et his diuinæ prouidentia instrumentis perperam, et pernitiouse abutuntur, peccantes in hoc præceptum, quod prohibet habere Deos alienos.

Idololatria quæ ex religione & cæremonijs oritur.

Ad eundem modum Deus religionem certis terminis, et definita ratione constituit, propria enim instrumenta, et uiam certam tradidit, quibus nos uult petere à se, et percipere beneficia regenerationis et uitæ cœlestis, uerbum scilicet, Sacramenta, et disciplinam Ecclesiasticam. His itaq; si ita utimur, ut Christus ipse hæc nobis proposuit, ad concipiendam, et augendam, et perficiendam fidem in Christum, piè et religiose facimus, ipsa in nobis noua et beata uita formatur, augetur, et consummatur, Et uerum, gratumq; Deo cultum exhibemus. At si hæc ipsa instituta et cæremonias, quas Deus nobis tradidit, externo tantum opere usurpamus, sine uera pœnitentia peccatorum, et fide uiua redemptionis Christi, Aut nouas cæremonias et Sacramenta, quæ nec tradita sunt diuinitus, nec ad Christum ducunt, excogitamus, quibus peccata purgare, et beneficia Dei nobis procurare, et cultum exhibere Deo instituimus, ad quam rem uulgus statuis et reliquijs Diuorum, cæreis, aqua lustrali, sale, et aliis rebus ex-

orci

orcifatis, & consecratis abutitur, impie & irreligiose facimus, & perniciem nobis pro salute conciliamus, Deoq; non præstamus gratum cultum, sed exhibemus rem abominatam, & grauem ei facimus contumeliam.

Diligenter igitur & perpetuo populus docendus est, ueram religionem, & pium cultum Dei in eo situm, ut & cuncta bona, & malorum omnium depulsionem, à solo Deo, per unum Mediatorem Christum, & per ea instrumenta, siue naturæ, siue politix, siue religionis petamus, & expectemus, quæ Deus ipse ad res quaslibet condidit, & uerbo suo commendauit, & hæc ea quoq; ratione usurpamus, quam Christus præscripsit, hoc est, ut ea pœnitentiæ peccatorum, et fidei in Christum efficaciter deseruiant. Sic uni et uero Deo plane adhæremus, gratumque ei, et salutarem nobis cultum exhibemus, canentes ei cum Psalmodographo.

Vera fides cuncta bona et auxilium à solo Deo petit.

Quem sequar in cælo, te sine, nullus erit,
 Reddideris terræ, terras donaueris omnes,
 Quem sequar in terris, te sine nullus erit.
 Nunc mea defectis caro uiribus ægra fatiscit,
 Nec sua consuetum pectora robur habet.
 Robur et auxilium Deus est mihi pectoris huius,
 Hac ego perpetuo parte beatus ero.

Psal. 72.

Ad hæc omnia Lex pædagogus noster est, per hoc secundum præceptum, quo Deus uetat alienos colere Deos, et prohibet omnem sui quoq; alienum cultum, quem ipse uerbo suo non tradidit. Sed in Christo Domino explicari summo studio, urgeriq; hoc præceptum debet, ut homines hac pædagogia ad Christum, et ad uerum in eo cultum Dei perpetuo excitentur, et impellantur.

Eodem modo et tertium præceptum explicandum erit, Non assumas nomen Domini Dei tui in uanum. Ac primum doceri populus debet, Deum hoc præcepto prohibere, quicquid uel sic dicitur uel taceretur, ut detrahat gloriæ, ac celebrationi nominis sui. Qui enim à beneuolentia Dei gratuita in Christo expectant omne bonum, et in ea sola spem ponunt uitæ æternæ, illi cum Dauide dicunt, Prædicabo dominum omni tempore, semper laus eius in ore meo. De Deo gloriabitur anima mea &c.

Summa tertij præcepti.

Psal. 35.

Secundo, monere homines oportet, Deum nobis per hoc præceptum

E ii ceptum

BREVIS EXPLICATIO

Quæ peccata et cordis no-
stri impietas, hoc præce-
pto ostendatur.

ceptum ostendere, & agnoscendam proponere impietatem illam cor-
dis nostri, totiusq; naturæ, qua debitam Dei laudem, & prædicationem
fastidimus, ad quam ardere totos oportebat, Natura enim sic uitia-
ti impietate sumus, ut grauatim audiamus celebrari Deum, tantum
abest, ut confiteri eum, inuocare eum, & gloriam Maiestatis eius ce-
lebrare dignè studeamus. Ex quo uitio fit, ut à uera confessione no-
minis Dei, & testificatione iusta Euangelii, minimis quibusq; mun-
di huius incommodis, & commodis, absterreri & auerti nos sinamus.
Et nisi sua uirtute nos Deus sustentaret, eò etiam facilè omnes pro-
laberemur, ut sancto eius nomine, ad periuria, mendacia, superstitio-
nem, atq; blasphemiam manifestam abuteremur.

Quomodo impleatur hoc
præceptum.

Tertio, docenda est & pædagogia huius præcepti, ut homines di-
scant, Deum ideo nobis hoc præcepto ostendere innatum hunc im-
pietatis morbum, ut eo nos ad Christum Filium suum impellat, ue-
rum, & unicum Mediatorem, qui apud se pro nobis intercedat & mali
huius remissionem impetret, & ipsum per Spiritum sanctū quotidie re-
primat ac debilitet, atdem etiā planè aboliturus, Qui moueat, accēdat
& impellat suo Spiritu nostra corda, ut incipiamus sanctificationem
nominis Dei, commemorando, confitendo, testificando, & laudando,
nomen, & uerbum Dei intrepide, omnibus in locis, omni cum reue-
rentia, & ab omni abusu nominis, & uerbi Dei, nos maxime conser-
uando.

Summa quarti præcepti.

Sic in quarto præcepto, Memento ut diem Sabbathi sanctifices, do-
cebunt Ecclesiastæ, primum præcipi, ut statis illis temporibus, qui-
bus Ecclesia ad audiendum uerbum Dei, ad orationem, & sacramenta
tractanda, conuenire solet, omnes Christiani studiose, reiectis inte-
rim omnibus aliis negociis, & operibus, conueniant, maximè Domini-
cis, & festis diebus, audiantq; religiose Sacras lectiones, & earum expli-
cationes, conferant aliquid in usus pauperum, utantur Sacramentis &c.
Omnes enim debemus incrementum, & confirmationem fidei, to-
riusq; pietatis nobis, et nostræ fidei commendatis, quærere per hæc Re-
ligionis instrumenta, quæ Dominus ipse ad hoc tradidit, atq; com-
mendauit, nostro etiam exemplo publicum Ecclesiæ ministerium, et
administrationem uerbi, et Sacramentorum, et cæteras actiones Eccle-
siasticas approbare, tueri, ornare et aliis cōmendare. Tum etiam pri-
uatim debet quisq; Christianus cum apud se, tum etiam cum familia
sua, sese subinde in sacris lectionibus, et precibus sedulo exercere.
Hæc ergo præcipi hoc tertio uerbo decalogi, Ecclesiastæ primo loco
docebunt.

Secundo

Secundo, docebunt hoc præcepto, argui, & reuelari nobis id impietatis uitium, ex quo sacros cœtus, uerbi Dei tractationem, communicationem Sacramentorum, & alia religionis exercitia fastidimus, & graue nobis est, in conspectu Dei Patris nostri apparere; & ibi discere sanctam eius agnitionem, eius uoluntatem erga nos, gratias ei agere digna celebratione nominis eius, & sanctis oblationibus.

Quæ peccata contra hoc Præceptum.

Tertio, docebunt Dominum in hoc detegere, & ostendere nobis istud naturæ nostræ uitium, ut ad pœnitentiam eius uocet, & ad Christum impellat, qui iram ipsius aduersus istud peccatum auertit, ipsum indies Spiritu sancto suo magis reprimat, & uires addit nobis ad resistendum huic malo, accendit in nobis amorem, & studium piæ doctrinæ, orationis, & Sacramentorum, omniumq; Sacrorum cœtuum, & exercitiorum religionis, maxime uero eorum, quæ publice festis diebus habentur, Huiusmodi enim dies sanctificare Domino præcipua cura, & religione debemus, & cessare ab omnibus corporalibus operibus, & negociis sæcularibus, et totos impendere piis religionis exercitiis, Quinquam et aliis temporibus ad orandum, ad audiendum & discendum uerbum Dei, studiosè conueniendum est, Et priuatim unusquisq; et pro se, et cum suis, uacare sacris lectionibus, exhortationi, et orationi debet, quemadmodum dictum. Ad ea omnia, hoc caput Legis de Sabbatho, Pædagogus noster in Christum futurum est, siquidem uitæ applicetur.

Quomodo impleatur hoc quartum præceptum.

Eadem ratione et circa quintum præceptum, Honora Patrem et Matrem, Et Primum per honorem Patris et Matris, docendus populus est, præcipi, ut honoremus, et obseruemus omnes eos, qui patrum et maternum officium nobis præstant, uel docendo et monendo, quæ pia et salutaria sunt, uel suppeditando uitæ necessaria, uel ab iniuria defendendo et uindicando, Quales imprimis sunt Ecclesiarum Pastores et Ministri, item ciuilis Magistratus, quos ex animo cum omni humilitate, obedientia, et gratitudine, pro parentibus agnoscere, audire et uenerari debemus. Et quoniam nemo hominum est, qui non aliqua beneficia nobis subinde exhibere possit, Concionatores debent populum docere, Deum requirere hoc præcepto omne id, quod sanctus Paulus Romano. capite XIII. præcepit, dum inquit, Honore alius alium præcedentes. Item Philip. II. Ne quid fiat per contentionem, aut per inanem gloriam, sed per humilitatem

Summa quinti præcepti.

BREVIS EXPLICATIO

animi, alium quisq; se præstantiorem existimet.

Quæ peccata huius præcepti.

Secundo, doceri debet ex hoc præcepto, ostendi nobis eam innatam nobis superbiam, qua nulli nos subiicere, nemini obtemperare, aut gratiam referre pro acceptis beneficiis uolumus, ex qua plurima diffidia, animorum distractiones, omnis humanæ & necessariæ conjunctionis dissipationes oriuntur.

In quo huius præcepti obseruatio sita sit.

Tertio, docendum est, Deum reuelatione talis mali, excitare nos uelle ad ueram & salutarem pœnitentiam, & impellere ad Christum seruatorem, qui iram Dei, quam hoc uitio meremur, auertit, reliquias eius in carne per Spiritum sanctum mortificat, & nos eo adducit, & promouet, ut innatam illam arrogantiam, & superbiam quotidie reprimere studeamus, Parentes, Curatores Ecclesiasticos, & alios gubernatores ciuiles, omnesq; eos, qui ulla uel doctrina, uel admonitione, uel consilio, uel correctione, uel alio quouis beneficio nobis commendant, omnes etiam homines quibus conuersamur, pro sua quemq; conditione, & dignitate, honore dignos habeamus, & obseruemus, admonitiones omnium, et repræhensiones boni consulamus, lubenter illis nos subiiciamus, morem geramus, & pro beneficiis gratiam dignam referamus, ut per omnem uitam nostram, modestia, obedientia, & gratitudine nostra ad gloriam Dei plurimis commodemus. Ad quod præceptum hoc de cultu Parentum, pædagogus noster in Christum esse debet.

Promissio quanti præcepti.

Ephes. 6.

In hoc uero præcepto, illud minime prætereundum, quod & Sanctus Paulus monet, ipsum primum esse in promissione. Habet enim peculiarem, & amplam promissionem uitæ longuæ, in terra, quam dat Dominus Deus noster, in qua uidelicet inuocatur, et colitur Deus & super quam respiciunt oculi eius, ut eam uaria beneficentia cumulet. Eos enim decet frui uita diuturna in populo Dei, qui Parentibus, potestatibus, atq; adeo omnibus hominibus sese subiiciunt, et exhibent morigeros et gratos.

Summarium sexti præcepti.

Ita in sexto præcepto, docebunt Pastores, primum per homicidium prohiberi omnem uim, et iniuriam in corpus proximi, omnem uindictam, iniustam animi commotionem, et iram, odium, inuidiam, et quæcunq; signa, uel dicta, uel facta, ex ira proueniunt, quemadmodum Christus ipse hoc dictum interpretatus est. Matth. V.

Quæ peccata hoc præceptum ostendat.

Secundo docebunt, Dominum hoc præcepto nos admonere innatæ arrogantie, iniquitatis, et impatiētiae, quibus uitis fit, ut nihil quod uel ingratum, uel egre fit tolerare, sed cupiditatibus nostris, et si iniquis, & infinitis alios

tis alios omnes obtēperare uelimus, cū nos interim proximis nostris non solum quæ æqua, & iusta sunt, non præstemus, sed faciamus etiam eis multa iniqua, & indigna.

Hanc igitur innatam nobis arrogātiā, impatientiam, cupiditatem, & quæ ex his oriuntur, iram, & indignationem, odia, inuidiam, rixas, pugnas, damnare Dominus uult hoc præcepto, & quàm mala sint ob oculos ponere, prohibens eadem nominatim, sed eam non minus animi, quàm manuum, quo requirit, ut sicut à eade, ita ab omni quoq; causa & affectu eadis, & ab omni molestia proximo inferenda abhorreamus.

Tertio monebunt, Dominum hoc præcepto uelle nos agnito malo hoc, ad pœnitentiam eius prouocare, & ad quærendam gratiam, & misericordiam suam in Christo impellere, qui solus uidelicet meritam his malis nostris iram Dei placat, & reliquias huius mali Spiritu sancto in nobis abolet, & mortificat, & contra, patientiam omnis iniuriæ, mansuetudinem, & lenitatem in nobis operatur, & auget, ut malum impatientiæ, morositatis, difficultatis in aliis, nostra patientia, comitate, facilitate uincamus, & illatas iniurias beneficiis compensemus, atq; simus in omnes humani, & boni, largientes, quemadmodum et Deus per Christum largitus est nobis, Ephes. IIII. Et attemperantes, uel dicta, uel facta nostra, ut proximis placeamus ad bonum, & ædificationem, offendamus neminem, Rom. XV. Ad quæ præceptum hoc Pædagogiam nobis in Christo subministrat.

Impletio huius præcepti.

In Septimo præcepto, Non committes adulterium, docebitur populus, Deum per adulterium prohibere, & damnare omnes cōcubitus extra coniugium ab ipso institutum, præterea omnem libidinē, et inordinatos motus, & cunctam intemperantiam, omnes indignos Christianis hominibus delicias, ac uoluptates, omnem luxum, & indecentiā in cibo, potu, uestitu, gestibus, uerbis, et actionibus, ex quibus ulla causa libidinis esse possit, & impudiciæ, aut ullius perturbationis, ex qua corpus ineptū reddatur ad obsequiū Spiritus, nedū rebelle & cōtumax.

Summa septimi præcepti.

Secundo, Deum hoc præcepto nos admonere, & accusare innatæ libidinis, & concupiscentiæ scdæ, atq; immodicæ in omnibus rebus, quas ad sustentandum & fouendum corpus nostrum ipse tradidit.

Quæ peccata huius præcepti.

Tertio, cognitione huius morbi adigi nos ad pœnitentiam eius, & quærendam Christi gratiam, qui meritam hoc malo Patris iram auertit, et qui reliquias mali illius in carne hærentes extinguit, et efficit ueram in nobis continentiam, castitatem, & solidam in omnibus sanctimoniam, ut adiuti auxilio Spiritus sancti prauis concupiscentiis, et

In quo obseruatio huius præcepti sita.

E iiii omni

BREVIS EXPLICATIO

omni intemperantiæ repugnemus, mundantes nos ab ab omni iniqui-
namento carnis & Spiritus, atq; perficientes sanctimoniam cum timo-
re Dei, II. Corinth. VII. Ad quæ præstanda præceptum hoc admo-
net, & urget nos tanq̃ Pædagogus.

Summa octauæ præcepti.

Ad eundem modum ex Octauo præcepto, Ne fureris, discendum.
Deum hic per furtum prohibere omnem fraudem, & iniuriam, in re-
bus & negociis pertinentibus ad usum præsentis uitæ, simulq; omnem
auaritiã, & sordes, cunctam *πλορηξιας*, iniquam tenacitatem, et debitæ
benignitatis remissionem.

Quæ peccata huius præ-
cepti.

Secundo, Deum hoc præcepto admonere nos, & accusare huius ipsi-
us auaritiæ, *πλορηξιας*, sollicitudinis, & tenacitatis in rebus huius uitæ.

Quomodo impleatur.

Tertio, impellere hac ipsa mali huius notitia, & damnatione, ad ue-
ram eius pœnitentiam, & fidem in Christum, qui meritam hac no-
stræ naturæ prauitate, et damnata cupiditate, iram Dei remouet, et
ipsam in nobis reprimat, et excindit, atq; contra excitat, et confirmat
eam bonitatis suæ fiduciam, ut certo statuamus Deum Patrem cœ-
lestem respicere nos, et gerere curam nostri, adeoq; abunde submini-
straturum omnia, quibus uitam hanc sustentemus, foueamus, ac
etiam oblectemus, Qua fiducia erecti, et nos ueram exercere libe-
ralitatem erga proximum discamus, deponentes omnem sollicitudi-
nem, & curam præsentis uitæ, et de eo quod Omnipotens clementer
donauit nobis, benigne omnibus largiamur, quantum nostrarum re-
rum ratio ferre potest, et usus proximi exiget. Ad quæ tanquàm Pæ-
dagogus hortatur nos, et urget hoc præceptum.

Summa noni præcepti.

In nono Præcepto docendum erit, Deum per falsum testimoni-
um, prohibere omnem sermonem, cunctaq; dicta, quineriam silenti-
um, et dissimulatum testimonium, et tacitam laudem, quibus fama, &
existimatio proximorum uel læditur, uel non defenditur, et adiuua-
tur, ita ut nostram defendi & adiuuari uellemus ab aliis, omnem de-
niq; sermonem mendacem, et uanum, et nihil commodantem, neq;
iis quibus dicitur, neq; iis de quibus dicitur.

Quæ sint huius præcepti
peccata.

Secundo, Deum uelle adducere nos ad agnoscendam hanc nostræ na-
turæ deprauationem, et ambitionem, maleuolentiam, inuidiam, æmu-
lationem, qua aliorum existimationi & excellentiæ cupidè obrecta-
mus, et quæ ad laudem & dignitatem proximi pertinent, dissimula-
mus, negligimus, sæpe etiam data opera tegimus, et obscuramus.

In quo obseruatio cõsistat.

Tertio, Deum uelle agnitione huius nostræ peruersitatis prouoca-
re nos ad pœnitentiam eius, studiũque in nobis excitare imploran-
dæ gra-

dæ gratiæ Christi, qui uenit ut iram Dei aduersus hæc mala nostra placet, eaq; Spiritu sancto suo in nobis extinguat, & inchoet talem animi humilitatem, et alienæ dignitatis, & excellentiæ amorem, ac studium, ut bona existimatione, fama honesta, et iustis laudibus proximorum oblectemur, ornareq; ea bona pro nostro officio, et promouere non minori cura, quàm propriam famam et dignitatem laboremus, atq; in omni sermone nostro ueritatem, candorem, comitatem ad ædificationem audientium exhibeamus, ea loquentes aliis, et de aliis, quæ loqui ad nos, et de nobis alios uero Spiritus iudicio optamus.

In Decimo præcepto, Non concupisces etc. Primo doceri debet Summa decimi præcepti. per concupiscentiam rei alienæ, ut domus, uxoris, familiæ etc. prohiberi in genere omnem prauam concupiscentiam, cunctam inclinationem, et motus, siue propensionem ad malum, omneq; fastidium, et neglectum bonorum studiorum, et operum. Secundo diligenter hic admonendi homines sunt, ut præceptum hoc intueantur exactius, seque ipsos ad illud probe examinent. In eo enim Deus uniuersam naturæ nostræ corruptionem radicitus profert, et ob oculos ponit, intimam naturæ nostræ peruersitatem, et deprauationem funditus eruens, ut cerneremus scilicet in hoc ceu speculo, quàm misere & horribiliter deprauati perditiq; per lapsum Adæ simus, toto corpore, tota anima, & omnibus uiribus, ut merito cum Apostolo exclamemus, Miser ego homo, quis me liberabit ex corpore mortis huius? Quàmuis enim gratia, & auxilio Dei aliquis eo perueniat, ut Deum, qui nobis in Sacris scripturis se ipsum, opera, et uoluntatem suam erga nos reuelauit, pro Deo suo & Seruatore unico uera fide agnoscat, adoret, inuocet, quod requirit Primum præceptum, Neq; ad alienos Deos respiciat, neq; falsum cultum Dei admittat, ne animi quidem proposito, Summa decem præceptorum. taceo dictis, uel factis, quæ prohibet Secundum præceptum, Neq; cogitet, dicat, uel faciat, quod aduersetur Confessioni, et sanctificationi nominis diuini, quam poscit Tertium præceptum, Verseturq; diligenter in omnibus exercitiis religionis, quod requirit præceptum Quartum, Subiiciat se etiam, & morigerum exhibeat, honoremq; debitum studiosè deferat, cum propositis sibi, tum omnibus hominibus, quibuscum agit, quod præcipit mandatum Quintum, Contineat se ab ira, & omnibus amaris cogitationibus, dictis & factis cōtra proximum, quod exigit Præceptum Sextum, Ab omni libidine se contineat, & uiuat tēperanter, quod exigit præceptū Septimū, Moderetur cupiditati, & benigne omnibus faciat, quod iubet præceptū Octauum, Reprimat obrectandi

Rom. 7.

BR E V I S E X P L I C A T I O

obrectandi morbum, et inuidentiam alienæ excellentiæ, atq; fauceat omnium famæ, & existimationi, iustisq; laudibus, quo uocat præceptum nonum, Huc inquam uictoriæ contra innata uitia, & ad hoc tantum uirtutum fastigium, etiamsi quis Christi beneficio peruenerit, (quam tamen fœlicitatem nemo unq̄ Sanctorum sibi contigisse agnouit) tamen is per hoc Decimum præceptum, esse miser adhuc, & damnatus peccator, & hostis Dei conuincetur, ipseq; se talem deplorabit, ubi hoc præceptum recte aspexerit, & suum ad id animum penitus exegerit. Quamdiu enim depræhendet in se, non dico motum aliquem animi ad malum id, quod prohibet, & damnat Deus, sed qualemcunq; modo inclinationem, & propensionem, & ad id quod præcipit Deus languidum, & remissum studium, non tantum fastidium, & repugnationem, agnoscat se hoc præcepto argui, & condemnari transgressorem Legis diuinæ, et quidem totius, Ea enim dum postulat, ne quid adlubescat uetiti, hoc exigit præstari toto pectore, tota anima, omnibus uiribus, Ita siquidem diligere Deum, & colere a nobis Lex requirit. Hoc autem ut toto corde, tota anima, & omnibus uiribus alieni simus ab omnibus iis rebus, quas prohibet Deus, præstare nemo potest, nisi quem amor studiumq; Dei, & eorum, quæ nobis præcipit, sic teneat incensum totum, ut toto etiam corde, tota anima, omnibusq; uiribus abhorreat ab omni eo, quod Deus prohibet, Huc uero nemo Sanctorum, dum hic uiueret peruenit. Quare hoc Decimo præcepto conuictos fateri omnes oportuit, neminem in hoc sæculo uiuere, qui plane mundo corde sit, & non necesse habeat per Christum, et à maledicto, et à condemnatione Legis liberari. Cùm itaq; tota Lex ab illo pendeat, ut diligamus Deum ex toto corde, &c. totius Legis transgressores hoc Decimo præcepto conuincimur, quia nondum ei Legis capiti satisfacere cōuincimur, à quo uniuersa Lex pender. Hoc igitur præcepto nostra peruersitas, et miseria tota semel, et quàm plenissime ob oculos ponitur, ad eiusq; pœnitentiam, & querendam gratiam et satisfactionem Domini nostri Iesu Christi potētissime impellimur qui iram, et maledictionem Dei, per hanc uitæ nostræ inobedientiam, & contumaciam promeritam, auertit, et suam obedientiam, et iustitiam perfectam pro nobis Patri offert, et suo Spiritu adeo uitiatam carnem cum concupiscentiis suis mortificat, et nos totos renouat, efficit, & excitat in nobis ardens studium erga se, & præcepta sua, ut contra carnem Spiritu constanter & acerrime dimicemus, & Legem membrorum nostrorum excindamus, & ueterem Adamum indies magis conficiamus, & exuamus, induentes nouum hominem Iesum Christum
qui

qui solus Legi satisfecit, & Patri ita acceptus est, ut & nos in eo dilecto, quanquam semper adhuc ut Legis transgressores, ita iræ quoque suæ obnoxiosos, gratos sibi acceptosque habeat.

Generalis hæc summa, & interpretatio Præceptorum Decalogi, in singulis Concionibusque diligentissime ingerenda, & urgenda est, ut populus & sua peccata uere agnoscere, & efficaciter eorum pœnitere discat, & ad Christum unicum medicum, & Seruatorem animarum nostrarumque potentissime adigatur, & in illo ad ueras quoque uirtutes & uere bona opera, gratumque Deo cultum excitetur, & promoueatur.

Sed et illud doceri populus moneri que semper debet, promissiones, et minas contra cultum falsorum Deorum, et *ἰδωλολάτρευσις* ad singula præcepta pertinere, Quod enim ad præceptum de falsa religione adiunctæ sunt, ideo factum est, quod totius Legis obseruatio, et transgressio in eo continetur, ut uera fide, et timore, Deum uerum in Christo Domino agnoscamus, inuocemus, colamus, nec ab ipso ad falsa numina, et alienum cultum ab eo, quem ipse tradidit, deficiamus. Qui enim æternam salutem, ac omne bonum à Deo per Christum Iesum solide petit, non ab aliqua creatura, is quoque sedulo studebit seruare omnia, quæ Deus præcepit. Nam quid faciat melius, ne suspicari quidem potest, credens nimirum his sibi præcipi uitam beatam, et sempiternam. Quid etiam faciat libentius, quam ut gratificetur Deo, quem diligit supra omnia. Vnde et Dominus dixit, Qui habet præcepta mea, et seruat ea, is est qui diligit me. Proinde qui præceptis Dei obseruandis non studet, is nec diligit Deum, eoque nec credit præcipientem hæc, esse Deum. Aliunde igitur quam ab hoc uno & uero Deo bona sua sibi petit, et alienos habet Deos. Cum igitur omnium præceptorum Dei obseruatio, ab huius præcepti de non habendis falsis Diis, et falso cultu Dei, obseruatione pendeat, ad hoc promissio beneficiorum Dei, et comminatio ultionis diuinæ posita est. At sicut nullum præceptum Dei sine huius transgressione transgredimur, ita & promissio & comminatio hæc ad singula nihilominus præcepta pertinet.

Minas et promissiones secundum præcepti ad singula præcepta pertinere.

IOAN. 14.

Secundo, et hoc monebunt diligenter Ecclesiastæ circa hunc locum, Visitabo iniquitates & cæte. comprehendi mala omnis generis, pœnas corporales, et spirituales, temporales, et æternas, inter quas hæc omnium grauissima est, cum deserit homines Deus, suaque paterna gubernatione destituit, cum aufert iis Spiritum sanctum,

BREVIS EXPLICATIO

sanctum, tradit desiderijs cordis sui, in sensum reprobum, in concupiscentias, & cupiditates cordium suorum, Rom. I. de quo & Psal. LXXXI. Sed mea nec populus audiuit uerba, nec aures

Exhibet Israël, sed fugit, odit, abit,
Ergo sua tales & in impietate reliqui,
Et sum consilijs passus abire suis.

Quicquid aduersitatis & molestiae accidit hominibus, pœnam esse uolati præcepti diuini.

Præterea & hoc populus singulari cura docendus est hoc loco, quid quid aduersi & molesti hominibus accidat, siue in animo, siue in rebus, id indubitate pœnam esse, quam Deus de nobis sumit ob peccata nostra, siue sit cæcitas, ignorantia, & caligo mentis, perturbationes, prauæ cupiditates, & affectus cordis ad res illicitas, morbi, & pestes corporales siue in proprio corpore, siue in corporibus liberorum, amicorum, pecorum, malæ tēpestates in terræ nascētibus, mala fortuna, & damna in negotijs, dissidia, seditioes, bella, omnisq; perturbatio communis tranquillitatis, Hæc enim omnia immittuntur hominibus diuinitus propter peccata, & impietatem.

Exercet Deus nos afflictionibus, ut ad pœnitentiam reuocet.

Hic autem addent Ecclesiastæ, Deum, cum sibi credentes uariis afflictionibus exercet, paterne & bono ipsorum eos corripere, & ad se filiumq; suum Christum retrahere, ne cum impio mundo damnentur, Neq; eos, quos Pater cœlestis externis pœnis, & calamitatibus grauius punit, ob id minus charos ipsi haberi, Nam iudicium suum ille à domo sua incipere solet, & quos diligit castigare, & in his uehementiam iræ suæ mundo ostendere, ut cæteri homines his iudicijs, tantaq; Dei in filios suos seueritate territi, & à peccatis, in quibus hærent, resipiscant, & à peccando porro diligentius sibi caueant.

Impijs non prodest aliorum probitas, si neq; pijs obest aliorum impietas.

Tertio, de hac promissione, & comminatione Dei, Visitabo iniquitates Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum, qui oderunt me, & faciam misericordiam in mille generationes, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea, docendi sunt homines, Deum quam hic minatur ultionem contemptoribus suis, eam de parentibus, & maioribus impijs, in ijs tantum eorum filiis, & minoribus sumere, qui nihilominus & sua ipsorum impietate, quas luunt pœnas, probe meriti sunt, adeo ut adhuc multo minora in hoc quidē seculo patiantur, quam ipsorum peccatis, & peruersitati debeat, Ita etiam nullorum parentum, & maiorum pietatem prodesse illorum filiis, & minoribus, qui ipsi impii sint, & in sua impietate perseuerent, sed ijs tantum, qui hæredes sint & pietatis suorum maiorum, Nec enim potest hæc comminatio, & promissio Dei, aduersari oraculo eius per Ezechielem prodito, Vnumquemq; siue Patrem, siue Filium, sua ipsius uel impietate perituum,

turum, uel pietate uicturum, non patrem propter filii, neq; filium pro patris, uel pietatem bene, uel impietatem male habiturum, sed unum quenq; suum ipsius peccatum gestaturum, si impie uiuat, & suis præmiis fruiturum, si pie.

Etenim propter originale peccatum, omnes homines sub ira Dei & tyrannide Diaboli nascuntur, Quare si Deus ad patefaciendum iustum iudicium suum, relinquat in potestate Satanę impiorum filios, et inde ipsi peccatis, & sceleribus suis pœnas tam horrēdas sibi accersant, ut mundus quoq; sentiat, puniri in illis etiam parentum impietatem, nihil tamen his filiis iniurię inferitur, nec Deus iniquitatis accusandus est, cum natura illi mali, & filii iræ sint, quibus Deus nihil quàm supplicium sempiternum debere possit. Ita si per ineffabilem suam misericordiam in Christo Iesu, filios eorum qui dilexerūt eum, ab omni perditione, in quam & ipsi nati sunt, per Filium suum liberet, & donatione sui Spiritus eximia pietate ornet, indeq; multis aliis quoq; beneficiis tā præclare cumulet, ut quiuis piorum facile iudicet, in illis & parentum ipsorum pietatem remunerari, atq; declarari, quanto opere hi chari Deo fuerint, exosculanda in eo, & prædicanda est immensa Dei bonitas, & ob eam magis diligendus Deus, & studiosius amplectendum uerbum eius, non autem inuestiganda inscrutabilia iudicia misericordiæ eius, non scrutanda abyssus bonitatis eius, multo minus culpanda hæc tanta benignitas eius, qui de suo statuit, quod uult.

*Impietatem Parentum puni-
nit Deus in filijs eorum im-
pijs.*

*Parentum pietas in filijs
eorum pijs renouant.*

Q V O M O D O D E R E- MISSIONE PECCATORVM, ET IUSTI- FICATIONE DOCENDVM SIT.



Ostquam Prædicatione Legis commoti homines, agnoscere uere peccatum, & pœnitere cœperunt, iam quæ peccatum detestantes, ad iusticiam suspirant, anxieq; redire cum Deo in gratiam, ipsumq; religiose colere cupiunt, addenda erit & Euangelii concio.

Non enim sufficit ad iusticiam coram Deo, dolere de peccato, etiamsi dolor adeò uehemens sit, ut conficere plane, & extinguere hominem possit, qualis in Iuda erat, sed requiritur etiam satisfactio pro peccatis, solidaq; misericordiæ diuinæ fiducia, cum certa uitę emendatione, perpetuoq; studio iusticiæ in posterum.

F Atqui

DE REMISSIONE

Atqui horum nihil homo suis uiribus præstare potest, nec satisfacere pro admissis peccatis, seq; apud Deum in gratiam restituere, nec meliorem postea uitã amplecti. Solus Dominus noster Iesus Christus is est, qui sua morte pro peccatis nostris satisfecit, quemadmodum Ioannes ait, Ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Hic prædicatione Euangelii diuitias gratiæ, & bonitatis diuinæ, & suam pro nostris peccatis satisfactionem, & donum Spiritus adoptionis exponit & offert, seq; ipsum & Patrem in ipso agnoscentes, et hanc ipsam suam misericordiam, redemptionem, & sanctificationem, fide certa, quam ipse in nobis excitat, & fouet, amplectentes iustificat, ab ira Dei liberat, & uitæ æternæ participes reddit. Hoc est quod Esaias prædicat. Noticia sui (uidelicet qua fidecum ut Seruatorem agnoscimus) iustificabit ipse iustus seruus meus multos. Et Daniel cap. iiii. Per Christum consummabitur præuaricatio finem accipiet peccatum, & adducetur iusticia sempiterna.

Est autem Euangelium lætum & optatum præconium de Domino nostro Iesu Christo, quod ideo in hunc mundum uenerit, homo factus, ut à peccato, morte, & æterna damnatione liberet omnes in se credentes, & donet eis nouam, & perpetuam iusticiam, ac uitam. Id quod omnes Prophetæ de eo prædixerunt, quemadmodum Dominus ipse Lucæ ult. exposuit, Sic, inquit, oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari sub nomine eius Pœnitentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes. Idem Apostoli ubiq; docuerunt, quemadmodum clarum est in actis eorum, Ita enim Petrus concionatur, Delictorum pœnitentiã agite, et baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. Act. II. Item, Deus Patrum nostrorum suscitauit Iesum, quẽ uos interemistis, suspendentes in ligno, Hunc principem et seruatorẽ Deus exaltauit dextera sua, ad dandã pœnitentiã Israel, remissionẽq; peccatorũ, ac nos sumus ei testes horũ quæ dicimus, insuper autẽ Spiritus sanctus, quẽ dedit Deus omnibus obedientibus ipsi. Ibidẽ V. Et rursus Act. X. Et præcepit nobis, ut prædicaremus populo et testificaremur, quod ipse sit ille, q̄ cõstitutus erat à Deo iudex uiuorum ac mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimoniũ ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Idem concionatur D. Paulus, Actor. xiii. Notum igitur sit uobis uiri fratres, quod per hunc uobis remissio peccatorum annunciat, et ab omnibus, à quibus non potuistis per Legem Moysi iustificari, per hunc omnis qui credit, iustificatur.

Hæc

1. Ioan. 2.

Esa. 53.

Quid Euangelium.

Quo pacto Apostoli docuerint Euangelium.

Act. 2.

Hæc etsi concio Euangelii perquam breuis sit uere tamen potentia Dei est, ad salutem omni credenti. Roman. I. Quamobrem & Christus comparat Euangelium grano sinapis, Thesauro abscondito in agro, Item pretiosæ margaritæ, propter quam comparandam diuendenda sint, & relinquenda omnia, Matth. XIII.

Vt autem uis & efficacia Euangelii magis sit perspicua, debent Pastores Christum studiose semper proponere, quanta pro salute nostra passus sit, quanta gesserit, religiose prædicare. Deinde quomodo uelit hæc annunciari nobis, & quæ in nobis hac annunciatione efficere.

Constat ex prædicatione Legis, omnes nos ex nobis esse peccatores, destitutos gloria Dei, Roman. III. Item mortuos esse delictis, & peccatis, natura filios iræ, quemadmodum & cæteros. Ephes. II. Captiuos & uenditos sub peccatum, ut ipsi nostris uiribus ex hac perditione emergere non possimus. Roman. VII.

Quamobrem ad salutem consequendam Mediatore & Salvatore opus erat, qui iratum Deum placaret nobis, et nos Deo reconciliaret, liberaret à peccatis, & morte, & faceret hæredes æternæ uitæ, Talis nobis saluator, & intercessor factus est Christus Iesus. I. Timor. II. Unus Deus, unus etiam Conciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus, ut esset testimonium temporibus suis.

Hic Mediator primo cū Deo Patre agit, uita, morte, passiōe, & intercessione sua, ut iram illā à nobis clemēter auertere, recipere in gratiā, donare tanquā filiis suis Spiritum sanctum, & æternam uitā dignetur.

Deinde & nobiscum agit ministerio Euangelii, Spiritu sancto suo, Cruce, ut credamus ei, & fide iusticiā, & æternā uitam consequamur.

Christus pro nobis Legem imple. t

Agit uero cum Deo hoc pacto, Primo, totam uitam suam instituit iuxta Patris uoluntatem, factus illi obediens ad mortem usq; quæ nobis præstanda erant, quia ea impossibilia nobis uidebat, ipse præstitit, impleuit Legem, quemadmodum ait, Matth. V. Non ueni ad destruendam Legem, sed ut compleam. & Paulus Galat. III. Vbi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, factum ex muliere factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxii, redimeret. Idcirco & ad Corinth. scripsit, Christus factus est nobis à Deo iusticia, hoc est, iusticia eius nostri causa præstita, & nobis donata est. Itē Philip. III.

1. Corinth. 1.

Quinetiam arbitror omnia damnum esse propter excellentiam cognitionis Christi Domini mei. habeoq; pro reiectamentis, ut Christum lucrifaciam, utq; reperiar in illo, non habens meam iusticiam ex Lege, sed eam, quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo iusticiam super fide. Qui enim in Christum credit, huic totus Christus, perfectaq; eius iusticia, simul imputatur.

DE REMISSIONE

Ioh. 1.

Esa. 53.

Secundo, in se transfert Christus omnia peccata nostra, moritur pro eis, ac patitur quæcunq; nobis propter peccata nostra merito patiēda fuissent. Sicut Baptista testatur, Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccata mūdi &c. Item Esaias. Profecto languores nostros ipse portauit, & dolores nostros ipse tulit, & nos reputauimus eum plaga percussum & humiliatū à Deo, Sed uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra, disciplina pacis super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos ueluti oues errauimus, unusquisq; in uia suam, sed posuit Deus in eum iniquitates omnium nostrum. Item Paulus Rom. viii. Deus proprio suo Filio nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, Et iiii. cap. Traditus est propter peccata nostra, & exciatus est propter iustificationem nostri Sic Gala. iii. Christus redemit nos ab execratione Legis, pro nobis factus execratio. Scriptum est enim, Execrabilis omnis qui pendet in ligno. Tertio, intercedit pro nobis, ut recipere nos Deus in gratiam uelit. Esa. liii. Ipse peccata multorū tulit & pro trāsgressoribus rogauit. Idem docet oratio Christi Ioan. xvii. Ego pro eis rogo, non pro mundo, sed pro eis, quos tu mihi dedisti, serua eos in nomine tuo, nec pro eis rogo tantum, sed etiam iis, qui per uerbū eorū credituri sunt in me. Et Paulus Ro. viii. Christus est ad dexteram Patris, & intercedit pro nobis, Item ad Heb. v. Qui in diebus carnis suę cū precatiōes & supplicationes apud illū, qui poterat ipsum à morte seruare, cū clamore ualido, et lachrymis obtulisset, & exauditus esset pro reuerentia sua. Imo tota Epistola. hæc euidentissime ostendit, Christum summum nostrū Pontificem, se ipsum pro peccatis nostris obtulisse, & proprio sanguine suo intrasse sanctū sanctorū, accepta æterna redemptione, Sic ergo Christus per mortem, obedientiam, quam Patri præstitit, suamq; intercessionem, pro nobis egit & agit, ut nos recōciliet Deo Patri, et hac de causa factus est Dominus super omnia, quemadmodum testatur Apost. Phil. ii. Qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, Sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominū cōstitutus, et figura repertus ut homo humiliavit seipsum, factus obediēs usq; ad mortem, mortē autem crucis. Quapropter et Deus illū in summam extulit sublimitatē, ac donauit illi nomē, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu, omne genu se flectat, cœlestium, ac terrestrium, et infernorum, omnisq; lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei Patris.

Christus per passionē suā
factus est dominus super
omnia.

Postquàm hoc modo Christus apud Patrem causam nostram egit, iram placauit, officiū deinde fidelis intercessoris et patroni exequitur ad nos conuertit se, nobiscum agit, ut peccatis, et infirmitati nostræ
medea-

medeatur. Hinc dixit, et mādauit discipulis suis, *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, Euntes ergo docete omnes gentes, et in disciplinam meam suscipite, Prædicate Euangelium omni Creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uerò non crediderit, condemnabitur, Et docete eos seruare omnia, quæcunq; ego præcepi uobis. Ita breui hac, & simplici doctrina Euangelii, admirabili modo negotium iustificationis nostræ exequitur. Vt ergo uis & usus Legis populo exponendus, quemadmodū ante diximus, Ita & Euangelii usus, atq; uirtus summa diligentia proponi, & inculcari debet, Est enim potentia Dei ad salutem omni credenti. Roma. I.*

Matth. ultimo.

Primo itaq; docebunt Ecclesiastæ, Euangelium adferre nobis remissionem peccatorum, si ei ex animo, & uere credamus, & hac fide statuamus, Deum propter Filiū uelle propiciū esse nobis, & acceptare nos, non propter dignitatem operum nostrorum, Itaq; pacem deferre conscientijs nostris, quæ propter peccatum pauidæ & contritæ fuerant, & nos filiorum loco habere, De qua pace canebant angeli tempore natiuitatis Christi, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus. Et Esaias, Disciplina pacis super eum est. Item Paulus Roma. V. Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum, per Christum Iesum Dominum nostrum. Ephe. II. Ipse pax nostra est, qui ex utrisq; unum fecit. Esaiæ LII. & Roma. X. Quam speciosi sunt pedes annunciantium pacem, annunciantium bonam. Vbi enim enim Euangelii uox non sonat, nec annunciat, nullam habere possunt conscientie nostræ pacem, teste Dauide Psal. xxxviii. Nulla meo pars est in corpore sana, quod iræ Nō possum trepidans fulmina ferre tuæ, Membris nulla quies, nulla est pax ossibus ægris, Tā me flagitijs uita onerata grauat. Sarcina nā caput hoc suppressit iniqua malorum, lamq; sua totum mole laborat onus.

Euangelium adfert pacē conscientijs.

Luce 2.

Secundo defert Euangelium nobis iusticiam Christi, de qua, ut que pro nobis præstita, & donata nobis sit, confidere liceat, perinde ac si ipsam præstitissemus. Sic enim Paulus ait I. Corinth. I. Christus Iesus factus est nobis à Deo sapientia, iusticia, sanctificatio, atq; redemptio. & Philip III. Vt inueniar in illo non habens meam iusticiam ex lege, Sed illam, quæ per fidem est Christi Iesu, quæ ex Deo est, iusticiam suam per fidem. Hæc enim perfecta, uera, & æterna iusticia est, nostræ enim uirtutes procul absunt à iusticia illa, & uitæ perfectione, quam Lex Dei requirit, Deinde semper hærent in nobis plurima peccata, & ingens infirmitas, iuxta illud Esaiæ lxiiii. Facti sumus sicut pollutus omnes nos, & sicut uestis centonum abiectorum omnes iusticiæ nostræ.

Euangelium defert nobis iusticiam Christi ut propriam.

DE REMISSIONE

Ah ne in iudicium uenias pater optime mecum,

Ah tibi ne fieri me patiare reum.

Nam quis erit qui te resistere iudice possit?

Quis tibi perspectus iustus abire queat.

Quę sententia uel clarissime docet, nos non posse opponere nostrā dignitatem iudicio Dei. Quare si certa nobis salus nostra esse debeat, alia quadam, & perfecta iusticia nitatur necesse est, uidelicet Christi, testante Paulo Rom. viii. Deus proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, qui fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donet.

in quo consistat iustificatio.

Itaq; his duabus rebus, remissione peccatorum, & donatione iustitię Christi per fidē, consistit nostra iustificatio, atq; iusticia nostra coram Deo, quā D. Paulus & ceteri Apostoli oēs docent, Atq; hęc sola, certa, firma, & perpetua iusticia est, quā in cælū secū Christus sustulit ad dexterā Dei, ubi nemo oppugnare eam, aut euertere possit, quemadmodum nostrę iusticię innumera quotidie pericula incidunt. Propterea & uita nostra cum Christo abscondita esse in Deo dicitur. Colof. iii. Cumq; de hoc Domino, & seruatore nostro, eiusq; iusticia gloriemur, nostra uita in cælis est. Philip. iii. Vbi enim Theusaurus, ibi etiam cor nostrum.

Quare diligenter, & perpetuo à Pastoribus inculcanda est populo iusticia Dei, donata nobis in Christo, cauebuntq; religiose, ne noticia, ac fiducia huius uitiatur, & homines rursus ad fiduciam relabantur iusticię humanę.

Hominem propter Christum acceptum esse.

Quantum enim fides uera in Christum, nunquam sine bonis operibus, & dilectione est, opera tamen non merentur remissionem peccatorum, nec propter opera acceptus est homo Deo, sed propter Christum, dum eius iusticiam & redemptionem donatam sibi, fide amplectitur & tenet.

Tertio, cum mēs perterrefacta sensu irę Dei, sustentat se uoce Euangelii, & ex hac agnitione saluatoris Christi, atq; promissionibus Dei, quas nobis Christus implet, adest Spiritus sanctus, & efficit certam in cordibus fiduciam diuinę beneuolentię, et adoptionis uitę aternę, Datur enim Spiritus sanctus audiendo Euangelium, ut restatur Paulus Galat. III. Hoc solum cupio discere à uobis, utrum ex operibus Legis spiritum accepistis, aut ex prædicatione fidei? Item II II. Quoniam autem estis filii, emisit Deus Spiritum Filii sui, in corda uestra clamantem, Abba pater. Et Ioannis. VII. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de uentre eius fluent aquę uiuę. Hoc
(inquit

(inquit Ioannes) dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum. Atq; hac Spiritus sancti perceptione, noua fit generatio, de qua *Quid noua generatio.* Ioann. I. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis, ut liceret filios Dei fieri, uidelicet his, qui credidissent in nomen ipsius, Qui non ex sanguine, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Item Rom. VIII. Quicumq; Spiritu Dei ducuntur, hi sunt Filii Dei. & II. Cor. III. Nos autem recta facie gloriam Domini in speculo representantes, ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu, hoc est, Cum fide immensam Dei misericordiã in Christo promissam, atq; exhibitam accipimus, Spiritus sanctus nouam in nobis lucem, ueramq; notitiam Dei operatur, humanæ rationi incognitam.

Hæc præterea fides, noticia Dei in Christo, & assensus promissionum eius, opere eiusdem Spiritus sancti, Spiritus adoptionis, accendit, sustinet, conseruat, & auget in animis credentium, cum amorem Dei, & studium gratificandi, & seruiendi Deo, eiq; sese per omnia approbandi, ipsum glorificandi, ut maxima cura, & sollicitudine ab omni peccato caueant, & cunctis bonis operibus summa contentione incumbant. Hoc ingenium, & hanc uim nouæ in Christo creaturæ, & hominis regeneriti, istum ordinem, & consequentiam, uel connexionem potius operum Spiritus sancti in credentibus, describunt passim Diuinæ literæ, quæ loca Ecclesiastæ debent populo singulari diligentia sæpissimè proponere, bona fide explicare, & assidue inculcare.

Ex his sunt, Roman. VIII. Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu, siquidem Spiritus Dei habitat in uobis. Quòd si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Porro si Christus in uobis est, Corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus autem uita est propter iustificationem. Quod si Spiritus eius, qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in uobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter ipsius Spiritum inhabitantem in uobis. Proinde fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus, nam si secundum carnem uixeritis, moriemini. Quod si Spiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Etenim quicumq; spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei, Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater. II. Corinth. V. Iudicantes illud, quòd si unus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui fuerunt, & pro omnibus mortuus est, ut qui uiuunt, posthac non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit, Itaq; nos post-

DE REMISSIONE

hac neminem nouimus secundum carnem, Porro etiam si cognouimus Christum secundum carnem, nunc tamen non amplius nouimus. Proinde si quis est in Christo, noua creatura est, Vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia, Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditq; nobis ministerium reconciliationis, quandoquidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, Gala. V. Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Item, Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Ephes. V. Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut Filii lucis ambulate, (nam fructus Spiritus situs est in omni bonitate, & iustitia, & ueritate) probantes quid sit acceptum Domino, et ne commercium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, quin ea potius etiam arguite. Item, Videte igitur, quomodo circumspecte ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes, redimentes occasionem, quod dies mali sint, Propterea ne sitis imprudentes, sed intelligentes, quæ sit uoluntas Domini. Philipp. I. Illud oro, ut charitas uestra adhuc magis, ac magis exuberet, in agnitione, omniq; intelligentia, ut probetis quæ sunt præstantia, ut sitis sinceri, ac tales, ut nemini sitis offendiculo in diem Christi, impleti fructu iustitiæ, quæ contingit per Iesum Christum ad gloriam, & laudem Dei. Colos. III. Sitis igitur induti tanquam electi Dei, sancti ac dilecti, uiscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, sufferentes uos inuicem, et condonantes uobis mutuo, si quis aduersus aliquem habuerit querelam, quemadmodum & Christus condonauit uobis, ita & uos, super omnia autem hæc charitatem, quæ est uinculum perfectionis, Et pax Dei palmam ferat in cordibus uestris, in quam & uocati estis in uno corpore, & grati sitis. Tit. II. Iesus Christus dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum. I. Ioan. I. Et hæc est, annunciatio, quam audiuius ex ipso, & annunciamus uobis, quod Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ, Si dixerimus, quod societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentiamur, & ueritatem non faciamus. Quod si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, societatem habemus inter nos mutuam, & sanguis Iesu Christi Filii eius emundat nos ab omni peccato. Item cap. III. Charissimi nunc Filii Dei sumus, et nondum apparuit, quod futuri sumus, Scimus autem quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum, sicuti est, Et omnis, qui habet hanc spem in eo, purificat se, sicut et ille purus est. Omnis qui committit peccatum,

idem

idem et iniquitatem committit, et peccatum est iniquitas, Et scitis quòd ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est, Omnis qui in eo manet, non peccat, Omnis qui peccat, non uidit eum, nec cognouit eum, Filioli nemo nos seducat. Qui exercet iusticiam, iustus est, sicut & ille iustus est, Qui committit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Ad hoc apparuit Filius Dei, ut dissoluat opera Diaboli. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, eo quòd ex Deo natus est, In hoc manifesti sunt Filii Dei, & Filii diaboli.

Christianus studio non peccat.

Hæc igitur & similia loca, quibus natura, & ingenium regenerationis, & nouæ creaturæ, ipseque ordo, & consequentia, uel coherentia potius operum Spiritus sancti in credentibus explicantur, debent Pastores, & Ecclesiastæ sæpe in concionibus recitare, fideliter explicare, et probe infigere, quo populus solide perdiscat, & diligenter semper cogitet eos, qui in Christo regeniti, & ipsi infiti, fructiferi palmites in hac uita, & bonæ arbores facti sunt, oportere etiam bonos fructus ferre, & cum nouum & diuinum figmentum sint, conditi ad opera bona, in nouis quoque, et diuinis operibus uersari, quæ nimirum Deus in eis præcepto, uocatione, et dono suo præparauit, et Spiritu suo continenter efficit, ad suam ipsius gloriam, et decus, et ad ædificationem et instaurationem proximorum.

Sed semper, & ante omnia quàm diligentissime doceri populus debet, pavidam propter peccata sua, iramque Dei, mentem se consolari, & erigere debere uoce Euangelii, & ex hac statuere, Deum certo dare uelle Spiritum sanctum, dum eum ab ipso in hac conscientie trepidatione oramus, & hanc petitionem, uerum & præcipuum cultum Dei esse, quæ Deus maxime à nobis requirit. Et hic summus cultus Dei tantum ueræ fidei exercitio discendus, de quo cæci homines huius mundi nihil norunt in externis cæremoniis, & fiducia propriæ iustitiæ, iustitiam & sanctimoniam suam constituentes, Vbi uero cor luctatur cum sensu iræ Dei, & agnitione uiua peccatorum, erigitque se fide in mediatorem Christum, ibi demum intelligitur dulcis illa uox Esaiæ, Quis locus quietis meæ, dicit Dominus, respiciam ad humilem, & contractum Spiritu, & tremorem ad sermonem meum. Tum enim uere habitat Dominus in nobis cum confugimus ad Mediatorem Christum, & propter eum statuimus nos acceptari, & exaudiri à Patre cœlesti, hæredesque fieri æternæ uitæ.

Esa. 66.

Proinde fides Euangelii uera, de qua hoc loco agimus, non tantum historię notitiam significat, ut apud Iacobum, cum ait, Demones credere, sed significat eam Euangelii notitiam, & assensum Spiritu Christi effectum, quo firma in animo existit fiducia diuinæ beneuolentiæ,

Quid fides significet.

atque

DE BONIS

atq; adoptionis, qua scilicet confidimus Deum nobis propitium esse, & hæredes fecisse uitæ æternæ propter Filium, quæ fides omnem fiduciam propriæ iustitiæ excludit, sicut omnem de Deo, & eius erga nos uoluntate errorem. Nam hæc fides synceram, & solidam intelligentiam, & assensionem articulorum religionis nostræ complectitur. Hæc itaq; pura Euangelii doctrina, bene retinenda est pauidis conscientis, ut sciant se remissionem peccatorum gratis propter Christum consequi fide, non merito operum, Et honorem hunc Mediatoris Christi caueant transferre in opera humana. Si enim promissio salutis penderet ex nostra dignitate, maneret conscientia incerta, hærens in perpetua dubitatione, fugeret à Deo, Nam Legi Dei satisfacere omnino nõ possumus & plurimū peccatorū semper hæret in nobis, & manet ingēs infirmitas.

Sed neq; certo inuocare Deum cor possit, si propria merita adferenda essent, abstereretur enim, sentiens se meritis, quæ Deus requirit, prorsus destitutum. Hac itaq; fide accedendum est ad Deum, qua credimus propter Christum, non propter merita nostra, acceptari, et iustificari nos apud Deum. Hoc fundamentum primo omnium ponendum est, quo Christo inferimur, et ab omnibus impiis, ut alienis à Deo hominibus seiungimur. Deinde necesse est populum de bonis operibus rectè instituere, hac potissimum ratione.

DE BONIS OPERIBVS.



¶ Locus hic facilius intelligi possit, in has quinque quæstiones distribuere cum conueniet.

PRIMA.

Quænam opera facienda sunt.

SECUNDA.

Quomodo fieri possint, cum tanta sit humanæ naturæ infirmitas, et tanta Satanæ impedimenta,

TERCIA.

Quomodo placere Deo possint, cū imperfecta sint, & admodū exigua.

QUARTA.

Cur facienda bona opera, mala uero fugienda.

QUINTA.

De discrimine peccatorum,

PRIMA QVAESTIO.



¶ Venam bona opera docenda, & facienda sunt? Resp. Quæ Deus ipse in præceptis Decalogi præcepit, & quæ in his iuxta interpretationem Christi, & Apostolorū continentur, Nam hoc imprimis

imprimis cauendum, ut ne cultus Dei, & bona opera sine uerbo excogitemus. Ideo & Christus inquit, Matth. XV. Frustra colunt me mandatis hominum. Vult enim Deus, non modo fidem, uerum etiam omnia opera nostra suo uerbo, ceu certa regula, comprehendi, ne more Ethnicorum propria ipsi nobis inania figmenta, & opera excogitemus, sicut in inuocatione Sanctorum, uotiuus ad Sanctorum ossa peregrinationibus, prohibitione coniugii, & similibus accidit.

SECUNDA QVAESTIO

Quo pacto fieri possunt bona opera? Resp. Externam disciplinam humana diligentia utcumq; praestat, Verum praepcepta Dei etiam interna cordis opera requirunt, ut timorem Dei, fidem, dilectionem erga Dei praepcepta, inuocationem ueram, patientiam in afflictionibus, castitatem &c. Constat aut sine auxilio diuino talia opera nequaquam praestari posse ab humana infirmitate. Infundit igitur Deus cordibus piorum Spiritum sanctum, qui eos adiuuat, Lucem nouam, & robur addit, estq; hoc uerum exercitium, in quo Deus uult nos inuocare, & confugere ad Christum, ut donet & regat nos Spiritu sancto, ne corruamus. Difficile enim erat Dauidi, non cadere in desperationem, cum pelleretur regno, & appareret a Deo reiectus esse, Ad orationem itaq; ceu unicum praesidium, quod & reliquum erat, confugit, petit sustentari se, & confirmari Spiritu sancto, ut inuocare Deum, & in patientia euentum expectare posset. Quamobrem Christus inquit, Iocum. 14. non relinquam uos orphanos. Item in Zacharia cap. XII. ait Dominus, Effundam super domum Dauid Spiritum gratiae, & precum, hoc est, donat nobis Spiritum sanctum, ut ex animo credamus nos esse in gratia Dei, qua fide animus excitatur ad inuocationem, Vbi enim agnoscimus misericordiam Dei nobis adesse, auxilium & consolationem ab eo expectamus, & subiicimus nos uoluntati eius &c. Proinde non solum praepcepit nobis Deus, quid facere debeamus, sed & auxilium pollicetur, & offert, ut id faciamus. Quod autem pauci hominum hoc intelligunt, & rite considerant, in causa est, dissoluta & irreligiosa illa uita, & ingens securitas, quae in uulgo regnat, Non enim repugnant peccatis, sed cupiditatibus omnis generis prorsus obsequuntur, ruuntq; in grauem animi caecitatem, ut neq; Deum, neq; opera eius in hominibus cognoscant, Verum qui uiuunt in timore Dei, & auxilium hoc & opem Spiritus sancti serio implorant, hi re ipsa experiuntur, quam praesens, & efficax sit in afflictionibus Spiritus sancti opitulatio, Quare pauidis, et infirmis mentibus, quae initium aliquod, et studium habent

DE BONIS

habent pietatis, Valde prodest illud dictum Pauli Philip. II. diligenter perp̄dere, Deus est, qui agit in uobis, & ut uelitis, & ut efficiatis pro bono animi proposito, hoc est, Licet infirmum te esse sentias, cum conaris tamen boni aliquid efficere in uita tua, & pro uocatione tua, ad gloriam Dei, bono animo esto, & scito ad futurum tibi Deum in hoc conatu, daturum Spiritum sanctum suum, & optatum operi tuo successum.

TERTIA QVAESTIO



Vomodo placent Deo bona opera, cum tanta semper adhaereat huic carni infirmitas in hac uita: Omnes enim experimur quotidie, multam adhuc haerere in nobis de Deo, & uerbo eius dubitationem, diffidentiam praesentiae, & opis eius, inordinatos motus, solitudinem huius uita. Quae uulnera humanae imbecillitatis, Sancti tanto sentiunt acerbiora, quanto mederi eis magis student, quod & Paulus de se ipso Rom. VII. deplorat.

Duplex error & caecitas hominum.

De hac quaestione prodest saepius, & perspicue admoneri populum Bona enim pars hominum duplici errore tenetur. Alii in perpetua dubitatione uersantur, incerti num uita, uel opera eorum Deo placeant, ethnica impietate uitam degentes, non enim possunt inuocare Deum sed fugiunt conspectum eius, horum est maxima inter homines turba, quare hanc ethnicam hominum caecitatem cum primis reprehendere oportet. Alius error est arrogantia, & fiducia propriae iustitiae, seu operum, qualis Pharisei illius erat, qui in templo gloriabatur de obseruatione Legis, cum propriam immunditiam, & peccata non sentiret.

Luc. 17.

Vt igitur duplex hic error, & caecitas ista caueri possit, sciendum est tria requiri ad hoc, ut bona opera Deo placeant. Primo, hominem ipsum Deo acceptum esse, & iustificari gratis propter Christum.

Matth. 6.

Nemo hominum magnitudinem irae diuinae aduersus peccatum agnoscit satis.

Secundo, necessarium esse sequi nouam uitam, & obedientiam erga Deum, licet ea imperfecta sit, item maneat in nobis multum infirmitatis, & uitiorum. Quare semper opus esse, ut petamus remissionem peccatorum. Sicut nos omnes Christus docuit Patrem orare, remitte nobis debita nostra. Nullus enim hominum satis intelligit, quanta sit magnitudo irae Dei aduersus peccatum, solus Reconciliator noster Christus plene sensit, cum diceret, Si faciunt hoc in uiridi ligno, quid facient in arido? Non ergo extenuandum est peccatum.

Luc. 23.

1. Pet. 2.

Tertio, quamuis infirma sit haec obedientia, tamen statuendum est, eam in reconciliatis placere Deo propter Filium, quemadmodum S. Petrus hortatur offerre hostias spirituales, acceptabiles Deo per Iesum

sum Christum, quasi diceret, non propria dignitate sed propter Mediatorem Christum, unicum Pontificem nostrum, semper interpellantem pro nobis.

Hoc est, quod aliàs dici solet, bona opera debere fieri ex fide, id est, hominem non debere fluctuare dubitatione, an uita uel opera Deo placeant, sed statuere certo se acceptum esse Deo propter Christum, ut iam sæpè dictum, & propterea opera sua mandata uerbo Dei, quamuis infirma sint & imperfecta, grata tamè esse Deo propter eundè Christū.

Quo pacto bona opera ex fide fieri debeant.

Proinde dupliciter fides in bonis operibus exercenda est, Primum ut credamus ea placere Deo, Deinde oremus Deum, ut propter Christum adiuuet nos & pie uiuere, & profutura communi hominum uitæ opera facere, & largiatur his optatum successum.

Quomodo fides exercenda bonis operibus.

Nunc expendat unusquisq; apud animum suum, quanta hæc diuina misericordia sit, quamq; suauis hæc doctrina. Leuiusculum opus uideatur, dum Mater familias educat liberos, lactat, lauat, atq; alia officia nutritionis præstat, ad inuocationem diuini nominis, atq; pietatem instituit. Verum in his summus cultus Dei est, si ea in fide fiant, hoc est, si mater se Deo propter Christum acceptam esse cõfidat, & propter eundem credat huiusmodi officia sua placere Deo, imploret opẽ diuinam ad hæc officia, ut ea ipse secũdet, & salutaria efficiat, ut ipse infantulum suum seruet, educet, & uitam eius in omnibus gubernet.

Quomam pacto opera piurum fiant cultus Dei.

Ad hunc modum & in reliquis huius uitæ negociis, atq; functionibus omnibus, exercenda fides est. Qui in magistratu sunt, qui in Militia, uariis exercentur periculis, conflictantur cum magnis molestiis, & difficultatibus, tamen si hoc pacto, & tali fide officium suum faciunt, qua diximus, talia omnia cultus Dei sunt. Hæc pio animo non leuis consolatio est, Estq; uera & propria Euangelii doctrina, quam primi parentes, Adam, Noe, Abraham, Iacob, Ioseph, Samuel, Dauid, & Paulus tradiderunt.

QVARTA QVAESTIO.



Vare facienda bona opera? Respond. Primum quod mandauerit ea Deus. Omnes creaturæ Deo seruiunt, & ad obedientiam Dei conditæ sunt. Patet igitur cum & homo suam obedientiam præstare Deo debeat, primam causam esse faciendi bona opera, præceptum diuinum, Ex eadem uero causa, quòd Deus bona opera præceperit, sequitur, eos qui se non exercent studio bene operandi, sed perdurant in contemptu mandatorum Dei, æternas pœnas

G mer-

DE BONIS

mereri, quanquam Deus etiam in hac uita peccata puniat infinitis ærumnis. Hæc itaq; altera causa est, quæ excitare animos nostros debet ad bene operandum, ut ne in æternas pœnas incidamus, Sic enim Paulus ait I. Corinthiorum. VI. Ne erretis, neq; adulteri, neq; idolorum cultores, neq; fornicatores, neq; fures, neque auari possidebunt regnũ Dei. Et Galat. V. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

Fides non cõsistit cum mala conscientia.

Tertia prorsus necessaria causa bene operandi est, quod fieri non potest, ut absq; solida ad Deum conuersione, consistat fides uera, & certa in Christum fiducia, aut cum peccatis, quæ admittuntur contra conscientiam. Hæc ex ipsa fidei natura perspicua sunt, fides enim talis assensus Euangelii est, ex qua firma existit fiducia misericordiæ Dei promissæ propter Christum. Huiusmodi autem fiducia cum proposito peccandi, in quo manifestus contemptus Dei est, & indubitata iræ diuinæ prouocatio, consistere non potest.

Roman. 1. 4.

Ex hac fidei & peccati inter se repugnantia, Paulus dixit, quicquid ex fide non est, peccatum esse, significans eam esse fidei naturam, ut ex se bona opera producat. Quare cum peccatur, ut id aliena fiducia fit, ita fiducia in Christum repellitur, & gratia, atq; æterna uita abiicitur, & actum est de salute hominis, nisi recepta fiducia Christi, & depulsa omni aliena fiducia, homo se Deo in obedientiam penitus restituat.

Promissiones bonorum & malorum operum.
I. Timoth. 4.

Quartam bonorum operum apud nos causam præbent etiam magnificæ promissiones Diuinæ mercedis, Mandatum enim Dei est, ut amplissimæ promissiones eius omnibus prædicentur. Quemadmodum ait Paulus, Pietas ad omnia utilis est, & quæ promissionem habeat uitæ præsentis, & futuræ, Et ut supra dictum est, mala opera puniri æternis pœnis, quæ sæpius tamen habent initium in hac uita, ut patet in Saul, Achab, Iuda. Ita contra remuneratur Deus opera eorum, qui pœnitentiam agunt, æternis præmiis, Quanquam & hoc fundamentum perstet salutis nostræ, fiducia uitæ æternæ in Christo Domino, de qua supra dictum est, quod scilicet fide propter Christum, non dignitate operum nostrorum, remissionem peccatorum, & uitam æternam consequamur. Stat enim hæc sententia firmiter, qua Dominus de se testatur. Ioannis VI. Hæc est uoluntas Patris, ut omnis qui credit in filium, habeat uitam æternam.

Quamuis enim Deus mirabili consilio Ecclesiam suam premi
Cruci

Cruce in hac uita grauiter sinat, & magnis exerceat calamitatibus, ut postea dicetur, tamen cū uelit & in hac uita hominibus innotescere, & celebrari, excirat, cōseruat, & defendit sibi precones nominis sui, Doctores Euangelii sui, simul & auditores, sicut promisit Ecclesiā suam hic fore usq; ad finem sæculi, Esaia lix. Ad hoc igitur, ut sua Ecclesia perpetuo dureret, largitur uaria dona Spiritus sui, & donat Sanctis suis, ut mereantur bonis operibus incrementa uirtutum, iuxta uerbum Christi, *Matth. 25.* Habenti dabitur, Et cum in hac uita opus sit uictu, pace, reipub gubernatione legitima, ualitudine secunda, adiicit & hæc Deus, & rependit ea suorum bonis operibus, ea tamen moderatione, ut Ecclesiam suam nihilominus sub cruce detineat. De hac operum bonorum mercede ait Christus, *Date & dabitur uobis. Et Esa. xxxiii. capite.* Qui ambulat in iusticia, & loquitur ueritatem &c. is in excelsso (ideoq; tuto loco) habitabit, cibus ac potus eum non deficient, Regem in decore suo uidebunt oculi eius. Sic licet Esaias, Hieremias, Daniel, Paulus, uariis atq; acerbissimis afflictionibus subinde premerentur, tamen Deus mirabili ratione eos in uita diu admodum conseruauit, uitæq; necessaria eis benignè suppedirauit. Et hac certe de causa promisit nobis Deus corporalia bona, ut huiusmodi promissionibus excitati, fidem, & inuocationem exerceamus, & inde bonis operibus magis discamus incumbere. Cum itaq; audis præcipere tibi Deum, ut des Eleemosynas, & addere suas promissiones, se tibi uicissim daturum uictum, & cætera bona, largire benigne eleemosynam, & fidem in eo exerceto, & animum tuum confirma, Deum esse, qui fruges, qui uictum tibi, & omnia bona præbet, qui te & tuos tuetur, & bonis omnibus cumulat, et eum etiam hanc tuam benignitatem ipsius nomine præstitam remuneraturum, Cumq; hæc fide consyderas, et deinde hanc fidei sententiam in animo tuo confirmaueris, exercenda est et inuocatio Dei, debesq; fretus promissionibus Dei, eum per Christum filium suum rogare, ut sicut promisit, necessaria uitæ largiri tibi, teq; et tuos tueri, et benignitate sua fo-
Quo pacto fides mercedem bonorum operum promissam expectet. uere uelit, eaq; ipsa, quæ ita ab eo oraueris, certa etiam spe expectare oportet, nec dubitare, quin ea tibi daturus sit, quantum quidem illa tibi uere bona esse poterunt.

Credentes mereri incrementa uirtutum.

Matth. 25.

Luca 6.

Quare promiserit Deus corporalia bona.

Si enim animus tam sit alienus à Deo, et tam uacuus fiducia bonitatis eius, ut ne corporalia quidem bona petere, ab eo sperare, et expectare possit, neq; petendo ea, et expectando à Deo, fidem suam exercuerit, multo minus senserit talis animus aliquid de petitione, et spe bonorum spiritualium, et æternorum.

G ii Huius


DE BONIS

Exercitatio & insidia
Satanæ.

1. Petri 5.

Huiusmodi ergo causæ bonorum operum sedulo hominibus inculcandæ sunt, ut ad studium bene operandi, & ad cauenda mala opera excitentur, neque enim leui certamine hic est opus, ut à malis operibus caueamus, & bonis faciendis constanter incumbamus. Non enim tantum naturæ infirmitas ad mala opera sollicitat, sed etiam Diabolus miris artibus, ut ad ea depellat, nobis infidiatur. Quemadmodum Petrus inquit, Diabolum tanquam Leonem rugientem obambulare, & quærere, quem deuoret. Etsi autem hæc ridicula uidentur hominibus timore Dei uacuis, qui secure cupiditatibus suis obsequuntur, tamen id quotidianis exemplis experimur, quàm plurimos homines à Diabolo in horrenda scelera & flagitia, & inde intemporaria, & æterna supplicia miserabiliter impelli. Quot enim præcipitat in idololatricam, & perniciosissimos errores de religione? Quot agit ad iniustas neces? Quot deducit ad infandas & incestas libidines? Quæ mala consequi plerunque solet illud, quod omnium est horrendum maxime, quod peccata peccatis puniuntur, Vnde grauiora scelera, & flagitia proueniunt. Quanta enim, & quæ horrenda peccata cõsecuta sunt ex adulterio Dauidis? Nullum peccatum solum, uni plurima semper coherent. Quamobrem assidue, & ardentissimis uotis implorandum auxilium Dei est, & ipsis nobis in timore & cura assidua uiuendum, quod & Apostolus præcipit Philip. II. Cum timore & tremore uestram ipsorum salutem operemini.

QVINTA QVAESTIO.

uod est discrimen peccatorum? Hæc quæstio ideo tractari debet, quòd, ut supra dictum est, semper hæreat in sanctis peccatum, dum hic uiuunt. Quæritur ergo, quale illud peccatum sit, quod in Sanctis semper depræhenditur, Id enim probe explicandum est, & inter peccata, quæ in hac uita ne Sancti quidem uitare possunt, & ea, quæ cum fide non stant, discernendum.

Peccatum contra conscientiam.

Sciendum igitur est, esse peccatum contra conscientiam, hoc est, quod quis sciens, ac uolens admittit, illud in sanctis locum non habet, & si tale aliquod peccatum designent, gratiã Dei fidemque abiiciunt & Spiritum sanctum à se repellunt, atque desinunt sancti esse, et accepti Deo, Hoc clare testantur illa Spiritus sancti oracula, I. Cor. VI. et Galat. V. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, et I. Ioan. III. Filioli mei nemo uos seducat, qui facit iusticiam, iustus est, qui uero

uero peccatum facit, ex Diabolo est. Quapropter & Paulus I. Timoth. I. ait. Summa præcepti est, dilectio ex corde puro, conscientia bona, & fide non simulata. Item post. Retine fidem & bonam conscientiam. Ex his manifestum est, in reconciliatis Deo, necessariam esse bonam conscientiam. Quare qui contra conscientiam peccat, excidit gratia & iusticia. Ad hoc genus peccati pertinet etiam adfectata ignorantia, qualis erat Ethnicorum, & Phariseorum, qui prædicatum à Christo & Apostolis Euangelium reiecerunt, & ignorare uoluerunt. Et omnibus temporibus multi talium hominum sunt, qui de Christo saluatore, neque audire neque cognoscere uolunt, Et uocem Dei de cælo sonantem, Hic est filius meus dilectus, hunc audite, plane contemnunt. Tales sunt hodie & Iudei, & Mahometistæ, & alii multi inter aduersarios Euangelii, qui simulant se non intelligere Euangelium, cum tamen neque audire, neque in animum illud admittere uelint.

Haftenus de peccatis eorum, qui non manent in gratia Dei, sed faciunt se, talia peccata admittendo, obnoxios iterum iræ Dei. Interim tamen & in iis, qui sunt in gratia, & sunt reconciliati, hæret ingens natura corruptio, infirmitas, & mala concupiscentia, unde perpetuo plurimi uitiosi affectus oriuntur. Dum autem Sancti illis uitiosis motibus resistunt, petunt à Patre cælesti eos sibi condonari propter Christum & credunt hanc infirmitatem, atque adfectus hos uitiosos remitti sibi propter eundem Christum, hi retinent gratiam, fidem, & Spiritum sanctum, manent iusti, accepti Deo, sancti & hæredes uitæ æternæ, sicut Paulus Rom VII. & VIII. præclare docet, testificans nullam illis damnationem esse, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant. Hoc certamine pii exercendi sunt, ex eo demum gratiam, & uictoriam Christi aduersum peccatum, & Satanam recte intelligent, et proficient in pietate, et donis Dei. Non enim datur Spiritus sanctus reconciliatis ad ocium et ignauiam alendam, Verum ut perpetuo certamine contra peccatum et Satanam certent, et in tali certamine sentiant adiuuantem Spiritum.

Quale peccatum adhuc in sanctis reliquum sit.

Quare Paulus inquit, I. Corinth. VI. Hortamur
ne frustra gratiam Dei acceperitis.

DE VERA ET GER- MANA SIGNIFICATIONE VOCABV- LI FIDES.



Vandoquidem ex uerbis Pauli haftenus multa dixi-
mus de fide in Christum, qua, sicut testatur dominus
ipse, & uniuersa Scriptura Dei, consequimur remis-
sionem peccatorum, haereditatem inter sanctos, &
uitam aeternam, meminisse debent Pastores, & Mi-
nistri Ecclesiarum, & diligenter populum docere, hanc fidem iusti-
ficantem esse opus Spiritus sancti in electis Dei, quo sic illuminan-
tur, & docentur animi eorum, ut Euangelio Christi, ac proinde uni-
uersae quoque Sacrae Scripturae, & omni uerbo Dei certo assentiantur,
& fidem indubitatam adhibeant, ut homo ex eo ipso Euangelio co-
gnoscat, certoque statuatur, Deum sibi propter unicum Mediato-
rem Christum, donare remissionem peccatorum, & uitam aeter-
nam, esse ac fore sibi Deum, & Patrem, & eum se habere, & habitu-
rum Filii loco, & Haereditatem se fore uitae aeternae. Ex hac fide nasci-
tur necessario uera in Christum fiducia, Dilectio Dei, & Studium
uiuendi iuxta mandata eius, quae omnia in credentibus operatur
Spiritus sanctus, per quem renati sumus, & noua creatura Dei,
conditi in Christo Iesu ad opera bona, quae praeparauit Deus, ut in
eis ambulemus.

Vera fides.

Ephes. 2.

Diligenter ergo, ut diximus, docere populum Ministri debent,
cum de fide agitur iustificante, & saluante, intelligi fidem hanc ui-
uam, et efficacem, quam modo definiuimus, non eiusmodi fidem,
quae possit esse sine dilectione Dei, sine bonis operibus, Talis enim
non uera fides, sed uelut somnians, uel mortua potius fides est,
neque intelligi fidem mutilam, qualis est in Sarana, qualis fuit in Iuda,
& est in omnibus, qui de misericordia Dei desperant. Haec enim fides
non toti Euangelio, sed parti tantum Euangelii credit, ei qua Deus
pronunciat de sempiterno malorum supplicio, non autem ei, qua of-
fert gratiam suam credentibus. Hac enim fide qui praediti sunt, cre-
dunt quidem esse Deum, qui omnia condiderit, & regat, qui puniat ma-
los, Non credunt autem, Deum uelle ipsis esse propitium, uelle pec-
cata remittere gratis propter filium suum. Denique nec fidem intelligi
tempo

varie dici & accipi fidem.

Fides historica.

temporariam, qua homines totum quidem Euangelium credunt, sed Fides temporaria. ad tempus tantum. Nam uerbum Dei cum gaudio quidem recipiunt, sed ubi inciderit afflictio, & persecutio, propter Euangelium, deficiunt rursus, & euanescente ex animo ipsorum fide, semen uerbi Dei, quanquam enatum, iam æstu persecutionis extinguitur, & arescit. Quare magna cura Ecclesiastæ homines docere debent, ut cum audiunt uitam æternam habere nos, qui Christo credimus, fide nos renasci, Filios Dei fide iustificari, & seruari, intelligant & considerent hæc dici, de uera, & uiua fide, quæ certam in credentibus excitat fiduciam diuinæ beneuolentiæ, & adoptionis in uitam æternam, Atque ex hac solidum etiam, & ardentem amorem Dei in eis gignit, & inflammat, & inde efficit studium quoque perpetuum, & efficax omnis sanctimoniam, sinceram, & officiosam erga proximos dilectionem. Efficit denique, ut credentes uniuersæ Legi implendæ sese tradant & impendant totos. Quæ uera fides.

DE CRUCE ET AFFLICTIONIBVS



Orro cum hæc fides sincere docetur, & discitur, & ualet in uita Sanctorum, fieri non potest, ita moderante, & perficiente Deo renouationem suorum, quin sinceram doctrinam, & piam uitam, sequatur crux, & afflictio, quibus cum arcano suo consilio Deus probare fidem suorum, & ad implorandam opem suam eos impellere uelit, permittit Satane, ut uariis illos tentationibus exerceat, qui hostis est purioris Doctrinæ, & Christianæ uite, Quare dum hoc ei permittitur, quanta potest & arte & ui resistit, & oblectatur sanæ doctrinæ, & piæ uitæ, commouetque contra ea, quicquid in sua potestate habet, Habet autem in sua potestate mundum rotum, Quamobrem & Christus mundi principem eum uocat, Ioan. XII. Si igitur mundi princeps est, quid aliud expectandum nobis erit, quam ut cum mundo uniuerso nobis aduersetur, & puram doctrinam pariter & uitam oppugnet? De doctrina testatur Christi uox, Ioan. XV. Si me audierunt, & uos audient. Si me persecuti sint et uos persequentur. Non est discipulus supra præceptorem. Quod uero piam uitam persecuturus sit, docet Diuus Paulus, II. Timoth. III. cum inquit, Quotquot pie uiuere uolunt in Christo, persecutionem patientur.

Satan sanæ et purioris doctrinæ aduersatur.

Satan piam uitam persequitur.

Summopere igitur necessarium est, ut Pastores & Ministri uerbi,
G iiii populum

DE CRUCE

populum quanta possunt fide, & diligentia doceant, consolentur, erigant, & confirment, ut ferre crucem, & in patientia uincere aduersa condiscat.

Quanta hominum impietas et blasphemia ex impatientia crucis.

Passim enim audire licet impias & blasphemias hominum uoces, eorum qui in afflictionibus sunt. Cum enim admonentur animum obfirmandum patientia, à Deo enim eas afflictiones immitti, statim reclamant, nequaquam à Deo illas, sed à Satana inferri, Et si pergas testari, à Domino castigari eos, quos diligit, Dicunt optare se non tantopere ab ipso diligi, Et cum incidit aliquid uel incommodi, uel aduersi, præter expectationem, cuius causam ipsi ratione stulta non assequuntur, mox illud magicis artibus ascribunt. Quo errore animi & superstitione tenentur maximè rustici, & cæteri rudiores homines, quo ex errore consequitur, ut cum in aliquam calamitatem inciderint, ilico ad diuinos, & ad magicæ peritos cursitent, hos consulant, horum mendaciis fidem habeant, & eos plerumque, qui maximè innocii sunt, iniquis grauent suspicionibus, & falso traducant, Deinde etiam eorum incantamenta, & magica remedia amplectantur, auxilio utentes dæmonum, quæ horrenda est à Deo uero defectio, & eius abnegatio, quæ certè sunt magna, & horribilia peccata, propter quæ ira Dei, & manifestæ pænæ uenire solent in incredulos, ut Apostolus testatur.

Vt ergo tantæ impietati, & abominationi occurratur, & ad ueram patientiam in cruce præstandam homines perducantur, tali fere modo, & ratione de cruce docendum erit.

. Pet. 5.

Satan nemini nocere potest nisi permittente Deo.

Primo, quàmuis Diabolus una cum suis satellitibus incredibili flagret odio aduersus pios, atque summa ardeat cupiditate nocèdi eis, quocunque tandem modo, & quacunque in re possit, in corpore, animo, fortunis, fama, quemadmodum testatur D. Petrus, qui ait obambulare Diabolum uelut rugientem Leonem, & quærere quem deuoret, certum tamen hoc est, ne pilum quidem nostri capitis mouere posse, nisi id ei permittatur diuinitus, iuxta illud Christi, Matth. X. Nonne duo passeruli minuto asse ueneunt? & unus ex illis non cadet in terram, sine patre uestro? uestri uerò etiam capilli capitis omnes numerati sunt. Ne igitur metuatis, uos plurius estis, quàm multi passeruli. Idem testatur historia Iob, cui nisi permittente Deo, Satan nihil adferre incommodi potuit, neque in fortunis, neque in liberis, neque in corpore, Etenim multis angelorum milibus communiti sumus qui

qui circa nos sunt, & nostri curam gerunt, quemadmodum ad puerum suum Propheta Elifeus inquit, III. Reg. VI. Cùm Syriæ Rex Prophe- tam iuberet comprehendi. Idem David Psal. XXXIII. testatur da- tum esse, non Helifæo tantum, sed omnibus piis, cùm ait, Qui Domi- num metuunt ceu castris circuit illos, Peruigil & saluos Angelus esse fa- cit. Atqui ubi castra collocantur, ibi totus adsit exercitus necesse est. Sic & Christus ipse de paruulis ait, Angeli eorum semper uident faciem Pa- tris mei, qui in cœlis est. Hoc Angelorum præsidium, hæc quam illi a- gunt nostri custodiam, quotidie cernere & experiri licet, si modo ad o- pera Dei animum apponamus, & oculis fidei consyderare studeamus. Quot enim Satan quotidie nouas technas struit? quantum malorum machinatur per sceleratos homines? quibus nihil tamen promouet, ut necesse sit fateri, diuinitus illa Satanæ consilia dissipari, non huma- na aliqua prudentia. Quocirca sedulo docendi sunt homines, ut quic- quid eis acciderit, uel boni, uel mali, excepto tantum peccato, credant id à Deo, & diuina prouidentia sibi euenire, etiamsi ministerio Satanæ & impiorum id fiat.

Piorum tutela atq; præsi- dium per angelos.

Matth. 18.

Quicquid boni uel mali piis acciderit, diuina sit prouidentia, quocirca id tandem fiat ministerio.

Secundo, cùm constet res aduersas non casu, sed permissione, & cer- to Dei consilio accidere, dubitare non debemus, eas nobis in bonū ac- cidere, & signa esse beneuolentiæ Dei, non iræ, quæadmodum docet E- pistola ad Heb. cap. XII. Fili mi, ne neglexeris correptionē Domini, neq; deficias, cùm ab eo argueris, quem enim diligit Dominus, corripit, flagellat aut omnem Filium, quem recipit. Si castigationem sustinetis, ueluti filiis offert se Deus, Quis enim est filius, quem non castigat pa- ter? Quod si alieni estis à castigatione, cuius omnes participes sunt, igi- tur Spurii estis, non Filii. Itaq; cum carnis nostræ habuerimus castiga- tores patres, & reueriti simus illos, an nō multo magis subiiciemur Pa- tri spirituum, & uiuemus? Atq; illi quidem ad paucos dies pro arbitrato suo nos erudiebant. Hic autem ad commodum nostrum, in hoc, ut im- partiat nobis sanctimoniam suam. Omnis autem castigatio in præsens quidem non uideretur esse gaudii, sed molestiæ, at postea fructum tran- quillum iustitiæ reddit iis, qui per illam fuerint exercitati. Idem etiam Paulus inquit I. Corinth. II. Cumiudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Item Rom. VIII. Scimus quod dili- gentibus. Deum omnia cooperantur in bonum, nimirum his, qui se- cundum propositum uocati sunt.

Afflictiones omnes ceclit piis in bonum.

Tertio, docendi sunt etiam homines, crucem & afflictiones, scholam esse, in qua de uoluntate Dei recte erudimur, & instituimur, ait enim Christus Luc. XIII. Qui non baiulat crucem suam, & sequitur me, nō potest

In cruce discimus recte in- telligere uocem diuinam.

DE CRUCE

potest meus esse discipulus, Neq; enim debemus aliū magistrū in ter-
ris agnoscere. Si igitur non possumus eius discipuli esse, nisi crucem no-
stram in nos suscipiamus, nec discere ab eo, quæ ad salutē nostram per-
tinent, sine cruce & afflictionibus possumus. Quare & Paulus hortatur
Rom. XII. ut præbeamus corpora nostra hostiā uiuā, cruce scilicet ma-
ctandā, & probemus quæ sit uoluntas Dei bona, accepta, atq; perfecta.
Multa siquidem, quæ scire nos ad salutem nostram interest, sub cru-
ce, & afflictionibus discimus, quorum tamen omnium finis, & summa
hæc est, ut bonam, & paternam Dei uoluntatem erga nos agnoscamus,
Sed aliqua horum recensebimus.

*Cruce docet nos de pro-
pria infirmitate.*

Alii sub cruce infirmitatem suam & peccata agnoscunt, quæ aliās ne-
quaꝫ in se deprehendissent, ut Iob, Cū enim aliquandiu præsti-
tisset Deo patientiam in cruce, tandem tamen fractus durissimis & a-
cerbissimis malis, quibus Dominus eum exercebat, maledixit diei na-
tiuitatis suæ, & obmurmurauit Deo, quod uitium extra crucē nequaꝫ
hæreret adhuc in se credidisset. In cruce itaq; experimur, quantum mali
adhuc in nobis hæreat, hæc arcana illa cordis uitia, & naturæ uitiosa
concupiscentia producuntur, & reuelantur nobis. Quamobrem qui
in afflictionibus commouentur impatientia, & deiiciuntur animo, uel
uindictæ cupiditate concitantur, uel confugiunt ad malas artes, & re-
media Dæmonum, uel dum agitur de confessione nominis Christi, de-
ficiunt, & Euangelium abnegant, aut aliud quippiam impie, & indi-
gnum Christiana professione faciunt, hi ex huiusmodi lapsu suo disce-
re debent, se nondum Deo uerè credere, lapsus enim huiusmodi indubi-
tati fructus sunt infidelitatis, & conuincunt homines, qui ita labuntur,
diffidere Deo, & de bonitate & ope eius desperare, confidere autem si-
bi ipsi, & aliis creaturis, imo etiam & magicis artibus, adeoq; ipsi Diabo-
lo. Qui itaq; probati cruce, tantam in se adhuc hære impietatem, quæ
antea ipsos latebat, adeoq; se fucatos, atq; uera fide uacuos esse deprehē-
dunt, consternari debent, & hanc suam impietatem expauescere, & soli-
da pœnitentia commoueri, & ad Christum, qui hac eos infidelitate li-
beret, & fidem firmam largiatur, & corroboret, toto corde confugere.
Nam propterea tales immittit Deus ærumnas, & afflictiones, ut in his
tanq̃ in speculo, se homines contueantur, explorent et agnoscat, Dum
enim res sunt secundæ, secure uiuunt, ad Deum non recurrunt, uerbū
Dei audire negligunt, nō inuocant Deum, arbitrantur se nosse eum, et
habere, quibus opus sit, omnia.

*Per crucem reuocantur ad
pœnitentiam ueram de
peccatis.*

Alii sub cruce etiam præterita sua peccata ad mentem reuocant, et
digne tandem ponderant, et deplorant, ueramq; de eis pœnitentiam
suscipiunt,

fufcipiunt, dum enim optato rerum fuffeffu fruuntur, negligunt ferè peccata fua, contemnunt iram Dei, nequè tantam effe credunt, quam prædicari audiunt. At ingruente cruce, & aduerfitate, expauefcit animus, cogitat quæ patitur, effe flagella iræ diuinæ, metuit ne Deus poft hac fe tantum feuerum iudicem, & fcclerum ultorem, non clementem patrem, præftare uelit. Reuoluit in hac diuina caftigatione, omnia fua peccata, quibus pridem, quas luit pœnas, meritus effe, ea digne tandem expendit, & condemnat ipfe fe, dicitq; apud fe, in ifto, & ifto peccato, hanc correptionem Dei probe commeritus fum.

Si uero tum animum uera fubit pœnitentia, & homo ad quærendam gratiam Dei in Chrifto confugit, gratia quoq; iuuatur. Ideo enim immitit nobis Deus afflições, ut peccata agnofcamus, nos ipfos iudicemus, & ad Dominum conuertamur, quemadmodum monet Paulus I. Corinth. XI. Cùm ait. Propter hoc (fcilicet quod indigne, & non religiofe celebratis cœnam Domini) inter uos multi imbecilles, & inualidi, & dormiunt multi, & addit, Si nos ipfos diiudicaffemus, (hoc effe peccatorum egiffemus pœnitentiam, & uitam noftram emendaffemus) haud quæ iudicaremur, hoc effe, non tot malis fubiiceremur. Cùm autem ipfi non iudicamus nos, iudicat & caftigat nos Deus, animo non inimico, fed beneuolo & paterno, ut admoneat nos peccatorum, & reuocet ad pœnitentiam, hoc effe quod ftatim fubdit. At cùm iudicamur à Domino, corripimur, ne cum hoc modo damnemur. Tales itaq; difcunt in cruce benignam & paternam Dei uoluntatē, in eo quod cognofcunt Deum, ut teftatur Ezech. cap. XVIII. Nolle mortem peccatoris, fed ut conuertatur & uiuat, quo etiam flagellis fuis impellit.

Alii uero in cruce non peccata folum, uel non præcipuè, ut quorum remiffionem cōfecuti funt, & quæ misericordia Dei tefta funt, fed multo magis misericordiã Dei erga fe, & immenfam bonitatem eius cognofcunt, quemadmodũ cæcus ille natus Ioan. IX. De quo cùm difcipuli rogaffent, num ipfe, an parētes eius peccaffent, ut cæcus nafceretur, Refpondit Iefus, neq; hic peccauit, neq; parentes eius, fed ut manifeftentur opera Dei in illo. Cùm hæc dixiffet, aperuit ei oculos &c. Huiufmodi fere funt afflições eorum, qui in Chriftianifmo aliquantulum profecerunt, multo enim propenfior Deus effe ad dandum, & fuccurrendum, quàm nos fimus ad petendum, quod ex eo fatis perfpicuum effe, quòd tot et præceptis, et promiffionibus fuis, adeo nos excitat, et urget ad orandum fe, promittens etiam, quicquid in nomine Chrifti Filii fui ab ipfo petierimus, id fe nobis daturum effe. Ut ergo hanc adeo benignam, et uere paternam ipfius erga nos charitatem agnofcamus,

In cruce immenfa Dei bonitas magis innotefcit nobis.

Ioan. 14.

DE CRUCE

agnoscamus, imponit nobis Crucem, in qua cogit nos se inuocare, quo exaudiens nos, & à malis liberans, & beneficiis suis cumulans, uoluntatem suam erga nos bonam declaret, excitetq; nos ad redamandum se, & celebrandum, iuxta illud Psalm. L. Inuoca me in die tribulationis, eripiam te, & tu glorificabis me. Hac ratione crux facile toleratur, & grata fit, Quis enim non uellet ad tempus aliquod cæcus esse, si sciret paulo post ipsius Christi manibus restituendum sibi uisum, & cum externo etiam internum? Quis non optet cum Dauide exilium, & persecutionem pati, si sciret se mirabili modo à Deo liberandum, & ad nomen eius sanctificandum, & ad regnum eius amplificandum, extollendum esse? Quis non eligeret cum Hiob affligi & contemni, si sciret tandem se ipsius diuinæ Maiestatis iudicio pronuncianum iustum, & priorem dignitatem, imò ampliorem accepturum, cum in temporariis, tum in sempiternis bonis? Atqui nos oportet tam certos de auxilio Dei, de liberatione, in quauis etiã afflictione esse, q̃ Dauid, & Hiob, & alii fuerunt, quorum exēpla Scriptura nobis proponit, si modo Deum inuocauerimus uera fide. Quare sedulo de his admoneri populus debet à Ministris Ecclesiarum, ut hoc pacto fides, atq; inuocatio Dei, iam prope extincta, iterum excitetur inter homines, & uigeat.

Cruce adfert peculiarem gloriam seu piam glorificationem.

Et sunt etiam, qui dum affliguntur, discunt peculiarem Dei erga se dilectionem, & gloriam, qua in ipsa cruce afficiuntur, quemadmodum Apostoli Acto. V. Dum pro nomine Christi, & Euangelii confessione uirgis cæsi essent, gaudentes ibant à conspectu Concilii, quod digni essent habiti, ut pro nomine eius contumelia afficerentur. Itaq; peculiari hoc Dei bonitati adscribendum est, quum iudicat nos dignos, ut pro nomine ipsius affligamur, siquidem teste Paulo Rom. VIII. si cum eo patimur, una & cum eo glorificabimur. Ingens sane Dei beneficium, & magna erat Apostolis gloria, tanta præditos esse fide, & amore propagandi regnum Christi, ut gaudendum, & gloriandum sibi ducerent de afflictione, et contumelia, quam pro nomine Christi sustinuerant, unde magnam indubie in animis cæperunt cōsolationem. Ad talem itaq; perfectionem consequendam, Christianis semper annitendum est, quam præstitisse multos Martyrum legimus, uiros et mulieres, pueros, iuuenes, et senes, doctos et indoctos, ut cum D: Paulo dicere aliquando liceat, Ego uero, absit ut glorier, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo Galat. VI.

Porro Pastorum erit hoc loco populum diligenter præmunire aduersus errores Anabaptistarum, qui nullam crucem ualere ad salutem contendunt,

contendunt, quam quæ propter fidem, & confessionem doctrinæ Christi imponitur, nec agnoscere quenquam Christianum uolunt, qui hanc Crucem non habeat, ut propter confessionem Christi persecutionem patiatur. Quorum error similis est errori Donatistarum, qui, teste Augustino, homines ad sui necem compellebant etiam inuitos, & sibi ipsi mortem conciebant.

Debent itaq; Concionatores de tribus afflictionum & crucis generibus populum docere. Primum, quando persecutionem patimur propter confessionem Christi, & iusticiam, qualis afflictio & Crux maxime salutaris & optanda est, iuxta illud Christi Matth. v. Beati qui persecutionem patiuntur, propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cum probra iecerint in uos homines, & insectati uos fuerint propter me &c.

Tria genera afflictionū.

Alterum genus afflictionum est, quibus Deus propter peccata nos corripit, & reuocat nos ad pœnitentiam, quales sunt morbi, inopia, famemes, pestis &c. In his si Deo præstemus patientiam, et obtemperemus uoluntati eius, et gratiam eius in Christo, sic excitati uera peccatorum pœnitentia, et solida fide, quæramus, gratum erit ei hoc sacrificium, quod subindicatur in parabola Lucæ xiiii. De cœna magna, ad quam recusarant uenire inuitati, adducti autem sunt, & compulli pauperes, claudi, debiles, cæci, etc.

Tertium genus Crucis est, qua facinorosi homines pœnas luunt scelerum, et flagitiorum suorum, ut sunt, homicidæ, adulteri, fures, latrones. Hoc quidem genus afflictionis Christianos dedecet, quare summa cura cauendum, ne hoc modo affligantur, ut scelerati et flagitiosi I. Petri III. Ne quis enim uestrum affligatur ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerum, Porro si Christianus affligitur aliquis, ne pudefiat, imò glorificet Deum in parte hac. Verum si quid tale acciderit, et admissum aliquod facinus erit, desperandum tamen propterea non est, sed agnoscendum, nos merito quidem nostro dare pœnas, Quare præstanda patientia, et oranda uenia erit, quo modo et hæc Crux quàmuis flagitiis nostris accersita, sancta fit, et accepta Deo, quemadmodum uidere est in Latrone, qui Christum in Cruce agnouit et inuocauit.

*Crucem nostris flagitijs
& meritis accersitam fieri
quoq; acceptam Deo.*

Hoc loco et illud Ecclesiastæ diligenter monebunt, non esse nostrum eligere, et ut ipsi uelimus, Crucem nobis imponere, sed eam cuiq; ferendam esse, quam imponit Deus, iuxta illud Christi, qui uult meus esse discipulus, tollat Crucem suam, non Christi, aut Petri, aut Pauli, sed propriam. Sua itaq; cuiq; Crux placeat, tantum id caueatur, ne

*Nemini liberam Crucem
eligere pro arbitrio, sed fe-
renda illa est quam Deus
imponit.*

H Crucem

DE CRUCE

Crucem sibi suis ipse accersat flagitiis, & sceleribus. Satis autem probat uel exemplum Euangelistæ Ioannis, non necesse esse, unumquemq; Cruce exerceri propter fidei confessionem, Hic enim quamuis Christo imprimis charus esset, tamen naturali morte, & in extrema senectute diem suum obiit, non traditus neci propter fidei confessionem, ut pleriq; alii Apostoli.

Cruce ueteri Adam necessaria ad deuotanda peccata.

Præterea circa hunc locum & illud debet doceri, affligi nos in hac uita, & uariis exerceri aduersitatibus, non modo utile nobis esse, sed etiam necessarium propter uitiosam carnem nostram, et ueterem Adam, cui non minus necesse est, ut Cruce reprimatur, & dometur, quam corpori cibo opus est, & potu. In secundis enim rebus plerunq; luxuriat uetus noster homo, & insolescit, obliuiscitur Dei, laxat frenum cupiditatis & flagitiis, sicut testatur Moses Deut xxxii. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus & impinguatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Quocirca Salomon prouerb. xxx. orat, Neq; paupertatem, neq; diuitias dederis mihi, ne forte satiatus ab negem te, & dicam, quis est dominus? aut egestate compulsus, furer, periurem nomen Dei mei. Hæc tanta mala ut effugiamus, plane necessaria Crux est, adeo ut si nullam singularem imponat nobis Deus, ipsi carnem nostram humiliare atq; castigare debeamus, Quemadmo-

Castigatio quædam et disciplina carni necessaria.

dum Paulus de se scripsit. i. Corinth. ix. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne quo modo fiat, ut cum aliis prædicarim, ipse reprobus efficiar. Omnino enim mortificari, & interire ueterem hominem necesse est, si renouari nouus debeat. Atq; hoc operatur in nobis Spiritus sanctus, præcipue per legem, & afflictiones, quibus ut Legem intelligamus, excitamur, & erudimur. Vnde in Baptismo Cruci & morti nos subiicimus, iuxta illud Pauli Rom. vi. Quicumq; Baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus. Sepulti igitur sumus una cum illo per Baptismum, in mortem &c. & paulopost, Scimus quod uetus noster homo una cum illo crucifixus est, ut aboleretur corpus peccati, ut posthac non seruiamus peccato, id est, Deus in Christo nobis proposuit exemplum, in quo discamus mori oportere ueterem hominem, ideoq; Cruci semper esse subiectum. Nam qui mortuus est, inquit Paulus, iustificatus est à peccato. Quam ergo necesse est, ueterem hominem mori, atq; ita cessare à peccatis, tam necessaria Crux est, sine qua uetus homo nec domari, nec mortificari potest.

In Baptismo deditimus nos Cruci & omni afflictioni.

Præter istam Crucis utilitatem, & necessitatem, dignitas quoq; & gloria Crucis populo diligenter commendanda est. Ipse enim Deus suum Filium, in quo complacitum sibi fuit, ut uoce de cælo testatus est, pe

Matth. 3.

est, per Crucem, & mortem exaltari uoluit, gloria & honore coronari, Hebr. II. Si ergo filius Dei, tam dira passus est, & per Crucem intrauit in gloriam, discipulus maior non est, nec fœliciori conditione esse debet, q̄ præceptor eius. Quamobrem si nulla alia in Cruce utilitas esset, hac sola de causa patienter, atq; lubenter ferenda tamen sit, ut Christo similes reddamur. Cum enim Christus per obedientiam Crucis magnopere acceptus, & charus fuerit, uoluit Pater omnes cum eo glorificandos, simul cum eo pati, sicut inquit Paulus Rom. VIII. Quos præsciuerat, eosdem & præfinituit conformes imaginis Filii sui, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres, et paulo ante. Quod si filii, igitur & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si quidem simul cum eo patimur, ut & una cum illo glorificemur.

Per afflictiones igitur cum Christo pertingimus ad gloriam nostram.

Nostra quoq; afflictio passioni Christi inserta est, per Baptismum enim infititii facti sumus morti eius, Roma. VI. ut simus certi placere Deo Crucē & passiōes nostras, sicut ei placuit passio Filii sui. Ille enim caput nostrum est, nos eius membra, cōmunes ergo sunt afflictiones utrisq;. Vnde Paulo persequenti Christianos dictū est, Saul, Saul, quid me persequeris? Quare si caput ipsum subiectum afflictionibus fuit, etiam membra subiici illis debent, teste D. Paulo Col. I. Gaudeo super afflictionibus meis pro uobis, & suppleo quod deerat afflictionum Christi in carne mea.

Nostram Crucem esse Christo instam.

Act. 9.

Crux itaq; aditus est ad gloriam & uitam, quemadmodum Paul. ait II. Timoth. II. Certus sermo, si cōmortui sumus, & conuiuemus, si sufferimus, et conregnabimus, si negamus, et ille negabit nos. Neq; unq̄ par est afflictio magnitudini gloriæ, iuxta illud Pauli Rom. VIII. Reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur erga nos.

Cum ergo Crux omnis à Deo sit, et Satan cum toto mundo, ne pilum quidem capitis nostri, sine uoluntate Patris lædere possit, diligenter admonendi sunt homines, ut in afflictionibus non tam in Satanæ, et impiorum malitiam oculos conuertant, unde ad impatientiam, et expetendam uindictam concitentur, quàm ad benignam Dei uoluntatem, et paternum affectum, qui ideo affligit, ut peccata nostra, et infirmitatem agnoscamus, ad ueram et salutarem peccatorum pœnitentiam commoueamur, et impellamur ad quærendam in Christo gratiã, et in omni pietate, fide, et inuocatiōe, atq; celebratione nominis diuini progrediamur, carnem mortificãtes, et ad imaginem Christi perpetuo nos plenius conformantes, quo indies magis saturi uita præsentis, futuram auidius expetamus, paulo post eam etiam plenè perceptu

H ii ri, et

DE ECCLESIA DEI

ri, & cum Christo in æterna gloria regnatum.

1. Cor. 10.

Hæc si hominibus infigatur diligenter, & cõmendentur, facile retinebuntur ne ita frangatur animis in aduersitatibus, ne alii in impatientiam decidant, alii ad impia contra afflictiones præsidia confugiant, sed obfirmato fiducia diuinę bonitatis animo, subiicient se libenter iugo Domini, & requiem inueniēt animabus suis Matth. xi. Præsertim cum habeamus hanc consolationē, quod sit fidelis Deus, qui non sinet nos tentari supra id, quod possumus, imo faciet una cū tentatione euentum, quo possumus sufferre. Tum etiam auxiliū, & consiliū à Deo habemus ordinatū præsentissimū in omnis generis persecutionibus, Vt contra ipsum Diabolum, uerbū Domini, Aduersus uiolētos & scelestos homines, ordinatū à se Magistratum, Contra morbos uaria remedia, & artem medicam. Deniq; cõtra omnia simul, telū potentissimum, orationem fidei. Quare nulla caussa est, cur auxiliū in rebus aduersis petamus à Satana, aut ab arte magica, aut ab aliis, qui & ipsi Diabolo, nō Deo seruiunt, quales sunt, quicūq; nos seducere uel depellere conātur ab obedientia Dei. Vt tamur itaq; dictis à Deo cõmendatis remediis contra mala, quę nos infestāt, et utamur illis secundū uerbū Dei, bona et simplici cõscientia, & si Deus per remedia illa, quę ipse nobis ad depellēda talia mala ordinauit, & deputauit, auferre à nobis non statim uelit, perferamus manum Domini æquo animo, consolationē, & auxiliū nihilo minus ab ipso petamus assiduis & flagrātibus precibus, per Dominum nostrum Iesum Christum, unicum Seruatorē nostrum, Is indubie cuncta aduersa & infesta nobis conuertet tandem ad salutem, & utilitatem nostram, præsentem & futuram.

DE ECCLESIA DEI.

Ecclesiam Christi esse uere credentes, quibus admixti sunt multi impij, non uere credentes.



Isibilis Ecclesia Dei in hac uita, est cœtus uere credentiū uerbo Dei, nobis per Christū, & Apostolos tradito & renatorū spiritu sancto, in quo cœtu multi manēt in hac uita nō renati, habētes peccata cõtra conscientia, cõsentientes tñ in doctrina, & uero usu Sacramentorū.

Ualeat & efficax est uerbum Dei, item Sacramentum, quamuis ab impijs administratur.

Quemadmodum tempore Pauli erant Corinthi, & aliis locis inter Christianos, homines pii, habentes Spiritum sanctum, simul etiam alii qui peccantes contra conscientiam, qui tamen ueræ doctrinæ, & recto usui Sacramentorum non contradicebant, sed his cum reliquis in Ecclesia cõmunicabant. Atq; usu receptū est, pios uocari uiua membra, impios mortua membra Ecclesiæ. Hi dum non sunt legitime excommunicati, possunt obire officia Ecclesiastica, & docendo, & sacramen-

men

menta administrando, neq; oberit eorum impietas pietati illorum, qui illorum ministerio utuntur, sine impietatis approbatione.

Quamquam igitur Ecclesiæ, & qui Ecclesiis præsumunt, magna religione curare debeant, ne indigni ad sacrum ministerium assumantur, & si adsumpti fuerint, ut deprehensa eorum impietate, rursus ab eo amoveantur, tamen qualescunq; sunt, qui in Sacris ministrant, dum ab Ecclesiis tolerantur, ii quibus Sacra Christi administrant, nunq; personam uel dignitatem ministrorum, sed mandatum & promissionem Christi in sacro ministerio spectare, & requirere debent. Dominus enim quamlibet indigni sint, qui Sacra eius administrant, tamē reddit efficacia ad salutem suis, quæ ipse ad hæc in Ecclesia sua instituit, & poscit, ut fides suorum non dignitati administrantium, sed suo uerbo innitatur. Ideo inquit Christus. Qui uos audit, me audit, Hoc est, Verbum meum est, & per me efficax est, hoc niti fidē meorum oportet, nō uirtute, & dignitate ministrorum. Hinc est, quod comparat Ecclesiā reti piscatorio, quo & boni, & mali pisces capiuntur. Et Matth. xiii. testatur malos à bonis non separandos prius, nisi in extremo die. Ecclesiā hic exerceri sub Cruce, & militare oportet, non tantū aduersus carnem, & sanguinem, sed ipsum etiam Diabolum, nonnullis membris eius ueluti in acie succumbentibus, atq; cedentibus, aliis plane cadentibus, aliis se rursus recipientibus, & pugnam repetentibus. Vt cunq; autem multi in Ecclesia Satanae, & carni cedent, & ab his hostibus opprimuntur, semper tamen necesse est aliqua membra Ecclesiæ consistere, et uincere, aliàs plura, aliàs pauciora.

semper aliqua uera et uiua membra Ecclesiæ in terris esse.

Quare perpetuo manebit uisibilis aliqua Ecclesia in terris, quemadmodum pollicetur ipse Christus Matth. ult. Ecce ego uobiscum sum, usq; ad consummationem sæculi. Et Esa. xlix. ait Dominus. Et ego hoc fœdus feci cum eis, dixit Dominus, Spiritus meus qui super te, et uerba mea quæ posui in ore tuo, non defluēt ab ore tuo, et ab ore seminis tui, dixit Dominus, ex nunc et usq; in sæculum.

Hæc sententia docet, quid sit Ecclesia, et quod perpetuo duratura sit, Vt tanq; autem partem tenere magna est consolatio, ut simus certi non abiicisse Deum totū humanū genus, sed uelle perpetuo nos exaudire, et saluare. Vbi autē hoc est facturus? Resp. Nō apud Ethnicos, aut deploratos Iudæos, aut Mahometistas, aut obstinatos aduersarios Christi, sed apud eos solū, qui audiunt, retinent, et credunt uerbum, quod Pater cœlestis in ore Prophetarū, et Filii sui posuit, et ipsum iuxta amplissimas promissiones suas inuocant. Hæc cōsolatio ex doctrina de Ecclesia diligenter cōsideranda, et alte in animos demittēda est, atq; ob id ista à Pastoribus et doctoribus sæpe populo cōmemorari debent, et inculcari.

Vbi Ecclesia Christi certo inuenienda.

DE VNITATE

Est quoq; repræhendendus crassus ille, & perniciosus error Donatistarum, & Anabaptistarum, qui populum à uerbo Dei, et Sacramentis reuocarunt ad personam Ministrorum, negantes ministerium eorum efficax esse, qui haberent peccata contra conscientiam. Hoc tamen in uocatione Episcoporum, seu Ministrorum mandatum Dei est, ut eligantur Ministri Ecclesiis, qui non sunt obnoxii criminibus, Et si dum in ministerio sunt, in flagitia labantur, ut ab eo rursus amoueantur iuxta rationem disciplinæ, quam Dominus ipse præscripsit, de qua infra dicitur. Interim, ut dixi, semper ad mādatum Dei in uerbo & Sacramentis respiciendum est, nō ad personam Ministrorū. Nam de uisibili Ecclesia agimus hic, in qua sunt boni ac mali permixti in hac uita, Et Deus humanum genus in hoc condidit, ut essent, in quibus innotesceret, qui iuuocarent, et celebrarent eum, Ideoq; & Filium suum misit Dominum nostrum Iesum, & in eo immensas diuitias gratiæ suæ erga nos partefecit, ut illæ inter nos explicarentur, et dispensarētur, quò plurimi salui fierent. Et quia hæc opera bonitatis diuinæ manifesta in mundo esse debent, necesse est uisibilem esse Ecclesiam, hoc est, talem cœtū, in quo hæc Dei erga homines uoluntas mundo prædicatur, & celebratur, Ideo & Psal. de tali uisibili Ecclesia inquit, In oēm terrā exiuit sonus eorum.

Necesse est semper Ecclesiam uisibilem esse.

Psal. 18.

Vt uero agnosci, & ab aliis politijs atq; populis discerni possit Ecclesia, propria quædam signa habet, hæc scilicet sequentia. Primum signum est uera doctrina, per Christum & Apostolos Ecclesiæ in Euangelio, uero intellectu, tradita. Secundum est uerus & legitimus usus Sacramentorum, quæ Christus instituit. Tertium signum est, confessio piæ doctrinæ, quæ fit cum inuocando Deum, cōmunionemq; Christi, & disciplinam cum sanctis colendo, tum etiam apud eos, qui extra Ecclesiam sunt, cum opus est, Euangelium asserendo.

DE VNITATE SEU CONCORDIA ECCLESIAE



Ad unitatem Ecclesie requiritur consensus de doctrina.

Qui alieni ab Ecclesia.

Vamuis in plærisq; Ecclesia dissimilis sit politijs mūdi (est enim subiecta Cruci) id tamē cōmune habet, quod in omnibus politijs præcipuum est & optimum, summam scilicet membrorum suorum inter se coniunctionem & communicationem. Consistit autem Ecclesiæ coniunctio et unitas in tribus potissimum. Primū est cōsensus de doctrina Euangelii, et uero eius intellectu, A quo cum alieni sint Iudei, Mahometiste, Hæretici, item aduersarii Euangelii, nec Ecclesiæ mēbra sunt.

sunt, etiã si multũ glorientur Iudæi, et Mahometistæ, se uerũ Deum cõ-
 lere, et eorũ pleriq; præclare et honeste uiuãt. Certũ. n. est eos nõ esse
 ex populo Dei, ac ideo reiectos à Deo & in eternũ dãnatos, quotquot fi-
 lio Dei saluatori nostro maledicũt, & palam profitẽtur se nõ agnosce-
 re, nec recipere doctrinã à Christo per Apostolos Ecclesiæ traditam.
 Proinde hostes Dei sunt, & æternæ damnationi obnoxii, Scriptũ est e-
 nim, Ioan. V. Qui non honorat Filiũ, non honorat Patrẽ, qui misit illũ.

*Cur hæretici damnati, &
 non membra Ecclesiæ.*

Eodem modo etsi hæretici & persecutores Euãgelii, aliquos doctrinæ
 Euãgelicæ articulos retineãt, & se Christianos iactitẽt, multi etiã hon-
 stẽ uiuãt, & uirtutib' externæ uitæ antecellere uideãtur, nõ tamẽ mẽbra
 Ecclesiæ sunt, Certa enim sentẽtia est, Matth. xii. Qui conuitiũ dixerit
 in Spiritũ sanctũ, nõ remittetur ei, neq; hic, neq; in futuro sæculo. Nam
 maledicere Spiritui sancto, est ueritati approbatę maledicere, per Spiri-
 tũ sanctum, & ministeriũ Apostolorũ reuelatę. Item II. Ioan. I. Omnis
 qui transgreditur, neq; manet in doctrina Christi, Deum nõ habet. Sic
 Galat. I. Si quis uobis Euangelium prædicauerit, præter id quod accipi-
 stis, anathema sit. Potest & ex eo facile agnosci ab Ecclesia Christi alie-
 nos esse, qui alienam sequũtur doctrinã, quòd tales partim ethnicas opi-
 niões habẽt de Natura diuina, ut Manicheus, qui duos Deos fingebar,
 alterum bonũ, alterum malũ, ambos æternos, Partim Iudaicos errores
 de filio Dei, & Spiritu sancto, ut Samosatenus & similes. Sic nec obscurũ
 est, & eos ad Ecclesiam Christi nõ pertinere, qui Christo domino glo-
 riam Mediatoris detrahũt, meritis operũ tribuentes remissionẽ pecca-
 torum, & peculiaria opera seu cultus excogitãtes. Idẽ faciũt, qui negant
 Originale peccatũ, & propria dignitate iusticiã quærũt, tollũt proprie-
 tatẽ bonorũ, dãnant iudicia, & Magistratus mandato Dei institutos, ut
 Anabaptistæ, hi detrahũt Mediatori Christo, & Spiritui sancto, qui ar-
 guit Originale peccatum, iudicia, & politicas ordinationes cõstituit, &
 ruetur. Ex quibus cõstat, tales nõ esse uera mẽbra Ecclesię, eo quòd A-
 postolicã doctrinã uel reiiciunt prorsus, uel articulos quosdã in ea dila-
 cerãt, interpretando eos contra uniuersalem uerę Ecclesię consensum.

Secundum, quod ad Ecclesiæ unitatem requiritur, est concordia de
 legitimo usu Sacramentorum eorum, quæ à Christo instituta sunt.

Tertium est obedientia erga Ministeriũ Euãgelii, in omnibus illis,
 de quibus habentur mandata Dei, ut uidelicet populus à Ministris
 Euangelii, qui legitime uocati sunt, & sincere docent, audiant uer-
 bum Dei, accipiant Sacramenta, obtemperent item, si per authorita-
 tem & Iurisdictionem Ecclesię à Christo delatam & institutam admo-
 neantur, & propter peccata obiurgentur, & plectantur, uel excom-
 muneantur.

DE VNITATE

municentur. In his enim, quæ ministris in Euangelio mandata sunt, necessario præstanda obedientia est, Luc. X. Qui uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit, Qui autem me spernit, is cum spernit, qui me misit. Hebre. XIII. Parete his, qui præsumunt uobis, & concedite, si quidem ipsi uigilant pro animabus uestris, tanquam rationem reddituri officii sui, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Patiuntur uero fideles Ministri persecutionem ab apertis Euangelii aduersariis, Et ipsa administratio per se plena magnis & difficilibus curis, & ærumnis est. Quare magna est crux, si præterea accedat etiam insolentia, & contemptus suorum. Ita contra magna eis consolatio, & laborum, & molestiarum omnium leuatio est, cum sui ipsis in Domino obtemperant & gratum pro curis & laboribus animum declarant, Quæ res etiam eò facit, ut totius Ecclesiæ consensus conseruetur, Doctrina Christi magis magisque illustretur, dilectionis officia inter membra Ecclesiæ uigeant, & totius Ecclesiæ instauratio præclare procedat, Vt contra, ubi existit contemptus, & contumacia subditorum, distrahitur sancta populi Dei concordia, obscuratur & uitatur doctrina Euangelii, impediuntur mutua instauracionis officia, nascuntur & alia scandala multa, & petulantia multorum crescit. Vt igitur Ecclesia Domini & conseruetur, & crescat, præcepit ipse necessariam obedientiam ministris Ecclesiarum præstari in iis rebus, quæ ipsis in Euangelio mandata sunt, Nam Christi, non suum illi imperium exercere debent. Quare neque illis ius est, ex se populo Christi quicquam præcipere, Neque populus illis, si id fecerint, obedire debet, Nam in iis, quæ contra Deum sunt, ut sunt quæcunque non ex mandato Christi de religione statuuntur, obedire Christiani nemini possunt. At dum Pastores Ecclesiarum ea requirunt, & imponunt, de quibus mandatum Christi habent, qui hic obedire recusant, Christi iugum reiiciunt. Ad hanc Ecclesiæ concordiam, & membrorum Christi inter se consensionem, hortatur Paulus magno Spiritu, cum alias, tum ad Ephes. IIII. Hortor itaque uos ego uinctus in Domino, ut ambuletis ita ut dignum est uocatione, qua uocati estis, cum omni submissione, ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes uos inuicem per charitatem, studentes seruare unitatem Spiritus per uinculum pacis, Vnum corpus, & unus Spiritus, quemadmodum & uocati estis in una spe uocationis uestre. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma.

Manifestum autem est, Paulum unitatem Spiritus uocare hoc loco, eam quæ est in uera Christi doctrina, & obedientia mandatorum Dei. Hanc enim operatur Spiritus sanctus in credentibus, & hæc Spiritus unitas, ueram adfert & conseruat pacem, & ædificationem Ecclesiæ.

Ad

Ecclesiæ obedientiam in
his consistere, quæ in Euan-
gelio mandata sunt illi.

Ad hanc unitatem conseruandam & ratio & ordo eligendi, seu uocandi ministros Ecclesiæ, quam Spiritus sanctus in Sacris literis præscribit, facit, Nam quemadmodum D. Paulus ait, Ephes. IIII. Christus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores, & Doctores, Quanq̃ autem Christus ipse, quemadmodum hic Apostolus testatur, Ecclesiæ suæ Ministros eligit, atq; constituit, hoc tamen ferè perficit opera & ministerio Ecclesiæ suæ, Huic mandauit perpetuo erudire, & instituere aliquos ad hoc ministerium, qui deinde instructi ad hoc ipsum ministerium, per legitimam explorationem atq; electionem uocari, atq; constitui debent. Itaq; & ratio aliquos ad Sacra Ecclesiæ munera cum educandi atq; formandi, tum etiam educatos atq; formatos assumendi, & ordinandi, cum idonei fuerint, iam inde ab initio usq; semper in Ecclesia mansit. Et seruari hæc ordinatio religiosè perpetuo debet, ut ædificari semper Ecclesia possit per idoneos Doctores, & Curatores Ecclesiarū, quemadmodum ad Ephes. IIII. & I. Timo. III. Item ad Titum I. Apostolus ista diligenter tradit, atq; commendat. Episcoporum uero præcipua hæc cura esse debet, ut ad hoc ministerium Ecclesiæ alantur, erudiantur, & formentur semper aliqui, Deinde etiam eligantur, & ordinentur probati, qui illud religiosè, & salutariter obeant, ita ut Apostolus ad Timotheum suum, & Titum præcepit, & deinde etiam plurimorum Conciliorum decretis & canonibus sancitum & instauratum est.

Ordinaria uocatio Ministrorum Ecclesiæ.

Ecclesiam primum educare et formare ministros suos, post eligere probatos deest.

DE ORATIONE CHRISTIANA

Purimum etiam habet momenti ad pietatem conseruandam, alendam, & augendam uere Christiana oratio, quemadmodum supra monuimus. Per eam enim petendum, & accipiendum est, quicquid à Deo per fidem expectamus. Verum & hoc religionis exercitium ita refriguit, imò & fere extinctum est, ut uix ulli nunc orare uere, & Christianè norint. In prima uerò & crescente Ecclesia ita uiguit orandi studium, ut non pauca miracula per orationem facta sint, cuius plurima sunt exempla. Neq; nunc minor esset orationis uis, si studiosè, & uera fide illam urgeremus. Ut igitur orandi diligentia iterum restaretur, Pastorum & Ministrorum Ecclesiæ erit, omni studio, & diligentia populum ad eam exhortari, et de ea ad hunc modum docere.

Orationis efficacia.

Primum,

DE ORATIONE

Primum, quandoquidem fieri uix potest, ut quisquam uere, & ex animo oret, quem non adigat præsens periculum aliquod, aut uitæ necessitas, Curatores Ecclesiarum & Doctores in primis in id incūbant, ut populo ponant ob oculos orandi necessitatem, ex malis, & periculis quæ omnibus incumbunt, & merito quemuis ad serio orandum debent impellere.

Periculorum duo genera urgent ad orandum.

Malorum autem & periculorum duo genera nos ad orandum urgent, Alterum genus manifestum est, alterum tectum, Ad illud quod omnes norunt, pertinent morbi, egestas, persecutio, infamia, odiū, bella, pestis, annonæ caritas, sectæ, hæreses, & quæcunq; alia aperte infesta sunt, siue sint mala corporalia, siue spitualia.

Corporalis necessitas ad orandum.

Hæc autem mala etsi omnes sentiant & ferant acerbe, tamen per quàm pauci sunt, quibus ea ita accipiuntur, & doleant, ut oportebat, & poscit religio Christi, nempe ut flagella Dei, & pænæ peccatorum suorum, quas deprecari uera pœnitentia, & fide studeant. Proinde Pastores, & Ecclesiastæ populum diligenter docere, & monere debent, hæc mala omnia, ex ira Dei aduersus peccata contingere, ut in his non solum periculum, et dolorem suum, sed multo magis iram Dei discat cōsiderare. Deinde quanta ex his damna, quæ pernicies corporis et animi, et omnis honestatis oriatur, ut ita ad religiosam et ardentem orationem populus excitetur.

Occulta pericula quæ cogant orare.

Occulta pericula quibus obnoxii sumus, laquei sunt, quos Satan omnibus occasionibus struit, quærens perditionem corporis, et animæ, rerum, et nominis. Quos laqueos nunq̄ effugere possemus, nisi Deus ex immensa sua misericordia, et amore, per Angelos suos nos protegeret. Alioqui enim nullo negotio uenenato afflatu uitam ei iperet, hic latrocinia excitaret, et cædes, alibi tempestates, alibi bella, Aliis horrendis spectris mentem adimeret, Hunc à uia abduceret in inuia, Alium ex equo, alium ex gradibus, alium in flumen præcipitatum occideret, Alius edificiū ruina occūberet, Alium laniarent fere, Alium uenentæ bestię uel inficerēt uel tollerent, Alibi incēdia excitaret, alibi profunderet totis cum nubib⁹ imbres. Hunc ad uim sibi ipsi ferro, laqueo, aut præcipitio inferendam adigeret, Alium totum mente & corpore occupatum exagitaret, Hunc malis artibus instrueret, quibus aliorum uitæ, & bonis incommodaret, ut uariis incantationibus fieri uidemus, Alibi omni flagitiorum genere disciplinam & honestatem euerteret, Alibi coniugia, ac familias odiis, rixis, uenenis, ac cædibus impleret. Alibi res publicas magnis motibus, ac seditionibus turbaret,

Varij laquei & multiplices insidiæ Satanae.

Huic

Huic ingenium, atq; animum ad sacra deprauanda, Illi ad corrupendas Leges ciuiles adderet. Hunc uoluptatibus irretitum perderet, & corpore, & animo. Alium persecutionibus & malis fractum, ab omni pietatis studio pertraheret ad uitam securam, impœnitentem, & Epicuream. Alium ad grauiora protractum flagitia, adigeret ad desperationē. Iam grauisimis scandalis Ecclesiam perturbaret, iam mentitus Angelum lucis, falsa dogmata, & noxia uitæ exempla ingereret. Iam hæreses & idololatrias excitaret. In summa, nihil esset in tota hac rerum natura ab eius malitia, & uirtutum, quod non deprauaret, corrumpere, ac perderet, omnia calamitatibus, peccatis, morte, ac omni malorum genere oppleret, nisi ipsius tyrannidem frangeret, ac impediret Deus. Est enim princeps mundi, præpotens, qui dominatur in aere. Ephes. II. Et efficax in incredulis, ut haud difficile ei sit, talia scandala, & errores ferere, quibus electi etiam, si fieri posset, in exitium abducerentur. Quæ admodum in Iob satis uidere est, neq; hodie exempla desunt similia, quibus nos Deus admonet, ut periculi, quod nobis imminet à ui & infidiis Satanæ, ita etiam suæ protectionis, qua conatus & molimina Satanæ infringit, ut hanc eius defensionem iugiter oremus, & cum gratiarum actione agnoscamus. Talia uero interiora & latentia pericula, uulgus non satis intelligit, & cum sunt res tranquillæ, & pacatæ, agit secure, neq; orat quicquam. Quare Concionatores hæc pericula populo diligenter explicare, & ostendere debent, ut discat quàm multæ, & necessariæ causæ sint, quæ ad orationem excitare, & impellere assiduo debeant, & carnalem illam securitatem excutere.

Secundo, concionatores obseruare debent promissiones diuinas, quæ passim in Sacris literis propositæ sunt, in quibus promittit Deus se eiusmodi pericula auersurum, & ubi in ea inciderimus, erepturum. Et eas, ubi feret occasio, populo studiose commendare, ut discat in orationibus eas religiose intueri, et eis animum suum ad certam fiduciam opis diuinæ impetrandæ erigere, et confirmare. Vt enim exaudiatur oratio, necesse est, ut in fide, et nomine Christi fiat, uti monet Christus ipse. Quicquid petieritis in oratione credentes, accipietis, Matth. XXI. Item, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis, Ioan. XVI.

*Promissiones proponendæ
Populo quæ ad orandum
solicitent.*

Vt igitur credamus exaudiri orationem nostram, necesse est, ut habeamus Dei uerbum, et promissionem, cui credamus, falsa enim alioqui fiducia esset, et impietas, si nostro tantum ipsorum iudicio, et persuasione niteremur, Ideo promissio ex Dei uerbo, cui innitatur
oratio,

DE ORATIONE

Quid orare in nomine Christi.

oratio, est prorsus necessaria, sine qua fieri non potest, ut uere oremus, aut etiam exaudiamur. Sed & hoc addendum est, ut fiat in nomine Christi, Id autem fit, cum non solum his uerbis oramus, Oramus te Pater omnipotens Deus, per Iesum Christum filium tuum, Dominum nostrum, sed cum ea tantum oramus, quæ ut oraremus præcepit Christus, ut in hunc modum uere possimus orare, Non ex propria, uel cupiditate, uel fiducia ad te orandum accedimus, Domine Deus Pater celestis, sed ex instituto, & mandato unigeniti Filii tui, cuius hanc habemus sententiam, & promissionem, quod propter ipsum nos sis exauditurus, Neque oramus confisi nostra dignitate, aut meritis nostris, Scimus enim nos nihil præter iram, & pœnam meritos, sed in nomine filii tui, id est, ut propter ipsum, & meritum ipsius, nos exaudias. Hoc demum uerè est orare in nomine Christi, neque fieri potest, quin exaudiamur, quoties hoc animo, & eiusmodi certa fiducia oramus, ut testatur Ioan. I. Episto. cap. V. Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quod si quid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos, Et si scimus, quod audit nos, quicquid petierimus, scimus quod habemus petitiones, quas postulauimus ab eo.

Quantum peccatum sit in oratione dubitatio.

Diligenter ergo & hoc populo exponent Concionatores, quantum peccatum sit in oratione dubitatio. Cum enim oratio nostra promissionem Dei habeat propositam, sequitur, eum qui se exaudiri dubitat, dubitare etiam, num Deus uerax sit, num præstet quod pollicetur. Nulla uero potest Deo fieri contumelia grauior, quam si dubitemus, num Deus uerax sit, Et ob id dubitantis oratio nihil potest impetrare, quem admodum docet Iacobus cap. I. Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui uentis agitur, & impetu rapitur. Non existimet homo dubitans, quod accipiet quicquid à Domino &c. Homo hæsitans in omnibus suis factis nihil tranquilla conscientia conficere potest.

LUC. 17.

LUC. 24.

Dei mandatum est ut oremus.

Videndum interim pastoribus & Doctoribus Ecclesiarum est, ut conscientias infirmiores piorum, quæ de Dei promissionibus uacillant, tractent lenius, eorum imbecillitatem commoda aliqua consolatione subleuent, Christum eorum infirmitatem per aliquantum temporis clementer laturum, quemadmodum & discipulorum suorum tulit, qui bus etiam post resurrectionem summa lenitate incredulitatem exprobauit, Sed hortabuntur, ut cum discipulis constanter orent, Domine adauge nobis fidem.

Tertio docebunt populum, præceptum nobis esse à Deo, ut quæcunque bona desyderamus, ea ab ipso dari nobis petamus, sicut quæ premunt mala, depelli ab eodem. Petite inquit Christus Matth. VII. & accipietis.

accipietis, Item Ioan. XVI. Petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum. Lucę etiam XVIII. apta similitudine docet, semper & sine ulla intermissione orandum esse. Idem requirit Dominus initio Decalogi, cum ait, Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me, Sanctifices nomen meum. Qui enim Dominum, Deum suum agnoscit, hoc est, eum, qui solus largiatur omnia bona, solus depellat cuncta mala, & nihil præsidii, aut fiducia collocat in ullam creaturam præter Dominum, & exoptat propterea toto corde, tota anima, totis uiribus, sanctificare, celebrare, & glorificare nomen Domini, hunc sanè necesse est à Deo petere omnia, & rogare auxilium contra omnia mala, cumq; propterea prædicare, & celebrare, iuxta illud Psal. L. Inuoca me in die tribulationis tuę, & eruam te, & honorificabis me. Quare ut peccat contra legem, qui parētes non honorat, furtum committit, mentitur, & in alia præcepta impingit, ita peccant grauissime, et contra prima præcepta Legis, qui Deum in suis periculis non inuocant neq; ab eo petunt, quicquid ipsis opus est, siue corporale sit illud, siue Spirituale.

Hoc uero peccatum quò facilius caueatur, Christianum et pium institutum est, ut pueri ad orationem diligenter instituantur et assuefiant, et eis forma, modus, & orandi ordo præscribatur, quando uidelicet, ubi, quoties, et quid orandum sit, Non ut hoc religione Legis sanciat, unde conscientias superstitione, obligari contingat, sed ut animi eorum tantum ad orandum inducantur et assuefiant, quos etiam puerilibus illecebris et munusculis allici ad orandū cōuenit. Quicquid enim à primis annis in consuetudinem ducitur, id tenacius in omnem ætatem hæret, siue prauum illud, siue rectum sit. Rursus magna cum difficultate non consueta in ætate grandiore discuntur, et in usum ueniunt, etiamsi sint et utilissima, et optima, et quorum usum magnopere habere desyderamus, Deum uerò timentibus, et præcepta eius magni facientibus nihil uel tardum, uel difficile est. Admoneant igitur Ministri Ecclesiarum parentes, et eos ipsi in eo etiam adiuuent, ut ad orationem pueri statim instituantur, et assuefiant, præcipuè cum cubitum eunt, cum surgunt, cum mēsam accedunt, cum ab ea recedunt, in templo, quando non est auscultationi Sacrarum lectionum uel concionum uacandum, uel cum Ecclesia pariter psallendum. Perq̃ utile id quoq; fuerit, ad pietatem in eis corroborādā, assuefacere eos, ut cum soli sunt, semper orent, aut aliquid ex Sacris literis, uel de operibus Dei secum cogitent, Dici enim non potest, quot, & quā grauia peccata ac mala caueri possint, si ociū, & dissolutæ illę ac uagæ cogitationes eorū,

I qui soli

Quo pacto pueri ad orationem instituendi.

BREVIS EXPLICATIO

qui soli agunt, piis precibus uel sanctis meditationibus coerceantur. Talem autem puerorum institutionem & exercitium Deus etiam per Moſen commendauit, cum ait Deut. VI. Verba hæc, quæ ego hodie præcipio tibi, erunt in corde tuo, & explicabis & infiges ea, & meditareſ ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atq; conſurgens. Et ut nullam habeamus excuſandi cauſam uel per negocia non licere, uel non poſſe nos diſcere, quomodo orandum ſit, Chriſtus ipſe non ſolum monuit, non opus eſſe multis uerbis, ſed aptiſſimam etiam, nec minus breuem, ac facilem orandi formulam præſcripſit, eam ſcilicet quam Dominicam uocamus, qua breuiſſimis uerbis complexus eſt, quicquid orandum uenit, modo nos eam uere intelligere, & expendere diſcamus. Quo pacto autem intelligenda, ac perpendenda ſit, paſtores ex Catechiſmo, ſi ipſi non habebunt rationem commodiorem, tradere poterunt.

Orationem omnem diſcendam ex Dominica a Chriſto præſcripta.

BREVIS EXPLICATIO PRECATIONIS DOMINICAE.



Summa uero eorum quæ conſyderanda ſunt in hac præcandi formula, quam Dominus tradidit, hæc eſt Primum omnium fundamentum piæ orationis obſeruandum eſt, fiducia paternæ beneuolentiæ, cuius Dominus eo admonuit, quod præcepit appellare Deum Patrem, & noſtrum quoq; Patrem, quâlibet miſeri peccatores ſumus. Hæc fiducia ante omnia firmanda eſt fide in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut ſtatuamus Deum & nobis Patrem eſſe, et nihil quod paternum ſit nobis iam filiis ſuis negaturum, propter Chriſtum filium ſuum primogenitum inter multos fratres, in quo nos qui propter peccatum abdicati & reiecti eramus, in gratiam recepit, & in filios ſibi regenitos, & adoptatos, conſortes & hæredes fecit uitæ æternæ. Quare, quæ eſt paterna eius in nos charitas, exorari ſe à nobis patietur, ſi in nomine filii ſui orauerimus, quemadmodum ipſe mandauit nobis. Cælorum mentionem adiecit, ut cogitemus nobis iam in cæleſtia in Chriſto ſubuectis & collocatis, cæleſtia maxime petenda, ſperanda & meditanda etiam eſſe. Quocirca in rebus, quas cum precari à Deo, tum deprecari debemus, hunc præſcripſit ordinem, ut uota de rebus Spiritualibus antecedant uota rerum corporalium, Primum

mumenim omnium uotum docet nos orare, ut Sanctificetur nomen Dei, hoc est, ut apud nos ipsos, & in toto orbe, nomen Dei, sempiterna Dei potentia, sapientia, & bonitas, Maestas diuina, Deus ipse in Christo Domino, per claram, synceram, & constantem confessionem & prædicationem Euangelii, publicè & priuatim, omnium dictis & factis prædicetur, illustretur, agnoscat, inuocetur, & celebretur. Secundum, ut ad hanc nominis diuini prædicationem adueniat indies potentius & plenius Regnum eius nobis, & omnibus ad id uocatis, hoc est, ut effundat Pater cœlestis in nos Spiritum Filii sui semper opulētius, qui efficiat, ut apud nos & ubiq; floreat & uigeat iusta puraq; religionis administratio, uerbi, sacramentorum, & sacræ disciplinæ dispensatio, omnibus, qui credunt nomini eius, in corpus suum, ueluti membris ita coniunctis & coagmentatis, quo per uniuersos & singulos, qui in Christo uiuunt, tum singulariter per Sacrum Ecclesiæ ministerium, huius ipsius corporis Christi instauratio fiat & incrementum, tum numero ad Ecclesiam pertinentium, tum progressu pietatis eorum, qui ad Ecclesiam iam peruenerunt.

Explicatio primi uoti.

Explicatio uoti secundi.

At quia huic operi Spiritus sancti obstat & repugnat inhabitans in nobis peccatum, & quæ extra opponuntur scandala, ut quanquàm in Ecclesia, in regno Christi simus, & in eo quotidie ad pietatem instituemur, tardos tamen progressus in pietate faciamus, recte subiectum tertium uotum est, quo precamur, ut Voluntas Dei fiat in nobis, qui adhuc in terra uersamur, & mole corporis deprimimur, ita ut fit in cœlis à sanctis Spiritibus, hac carnis sarcina, & his mundi impedimentis liberatis, ea promptitudine & studio, siue quid faciendum, siue patiendum sit pro nomine Christi.

Explicatio tertii uoti.

Et quia quod diu uiuimus, opus habemus cibo, potu, & aliis uitæ huius necessariis, ualitudine prospera, & commoda reipub. administratione, quarto uoto & hoc precamur, nomine panis quotidiani, ut nomen Dei sanctificare, regnum eius promouere, & in eo proficere omni pietate facilius & commodius possimus. Quotidie iubemur hæc uitæ necessaria petere, ut cogitemus ea non in nostris penuariis, sed in Dei prouidentia esse reposita, & gratuita Dei beneuolentia perpetuo nobis subministrari, non parari nostra industria, uel uiribus, quanquã quisq; suam industriam et operam ad hanc quoq; benignitatem Dei secundum uerbum Dei adhibere debet. Addit nostrum & quotidianum ^{ἐπιούσιον} id est, quem instans usus huius uitæ requirit, ut doceat nos, non debere in rebus his corporalibus quicquam petere, & ultra quàm poscit usus uitæ, ad promouendum regnum Christi in proximis, com-

Explicatio quarti uoti.

BREVIS EXPLICATIO

parare, tum modum quoq; huius usus eum agnoscere, quem non infinita nostra cupiditas, sed Pater cœlestis statuerit, cuius nimirum solius est, nobis filiis suis dimensum nostrum admetiri, ut illum demum panem nostrum ducamus, & suffecturum abunde nobis ad pie beateq; uiuendum non dubitemus, quemcunq; præbuerit Pater cœlestis.

Explicatio quinti uoti,

His ergo partibus huius formulæ precædi docuit Dominus, quæ bona nobis à Patre cœlesti orare debemus, Spiritualia & corporalia. Deinde docet & mala deprecari, delicta & peccata nostra, quæ nunquam non admittimus, & pœnas, quas propter illa diuinæ iustitiæ debemus. Quare docuit orare, Remitte nobis debita nostra, Nunquam enim tam religiose officium nostrum facimus in iis, quæ præcepit Deus, quin longe plura adhuc debeamus, ad plenam Legis diuinæ obedientiam. Iam non solum hæc debita non impletæ Legis contrahimus, & cumulamur quotidie, sed etiam plurima plane contra Legem admittimus, propter quæ grauissimas pœnas Deo debemus. Neutra uero debita soluere unquam possumus, Neq; enim tantum Legi Dei nunquam satisfacimus, unde debita non impletæ Legis noua semper facimus, sed etiam subinde contra Legem Dei multa committimus, Unde & debita pœnarum infinita contrahimus. Quare docuit nos Dominus simpliciter ad misericordiam Patris cœlestis per ipsum (nam in eius nomine hæc & omnia oranda sunt) confugere, & orare remissionem debitorum, & nulla quidem satisfaciendi conditione adiecta. Solutus enim ipse Dominus pro peccatis nostris satisfecit, & eam satisfactionem donat nobis, cum ipsi nos committimus. Professionem autem proposuit, quam & præstari omnino requirit, remittendi omnia debita, quæ proximi uideri possunt debere nobis, siue quòd contra officium nos iniuriis affecerunt, siue quòd officio suo erga nos non satisfecerunt.

Cum enim Deus in omnibus præceptis suis ea tantum nobis præcipiat, quæ pertinent ad salutem & fœlicitatem nostram, summam præceptorum fecit, ut amemus et iuuemus nos inuicem, ex sincero corde, et perpetua beneuolentia, et poscit quàm seuerissime, ut offensiones mutuas, quæ propter ingenii nostri prauitatem et imbecillitatem semper incidunt, nobis inuicem ex animo condonemus, utq; alter alterius iniuriam suis beneficiis uincere et submouere studeamus, et ultionem ipsi committamus, imo oremus, ut eam lædentibus nos remittat. Ita firmam et perpetuam uult inter nos uigere beneuolentiam, et omni genere officiorum confirmari. Iam cum nemo possit à Patre

Patre cœlesti debitorum suorum remissionem orare, nisi qui se sub manu eius totum humiliet, eiusq; se placitis penitus addicat, commodum sane Dominus præscripsit, in hac precandi formula, ut remittere nos fratribus, quæcunq; debere nobis uideantur, siue officia, siue pœnas, eo loco precationis coram Patre nostro cœlesti profiteamur, quo ab eo oramus, ut remittat nobis, quæ reuera debemus ipsi sanè infinita, & obsequia, quæ nunquam plene præstamus, & supplicia, quæ meremur, cum propter neglecta officia, tum propter grauissimas contumelias, quas Maieitati eius facimus, tam multa admittendo contra officium, quod ei debemus.

Quæ debita nostra si recte agnoscimus, ut necesse est nos ea agnoscere, si ex uero corde ueniam eorum petimus, non dubitabimus, quæcunq; nobis à proximis moleste accidunt, esse castigationem paternam Dei, multis modis mitiorem, quàm meriti sumus, & fore etiam eam salutaris remedio nobis contra peccata, Quibus de causis facile erit proximis omnem offensionem ex animo remittere. Singulari igitur studio admonebunt populum Concionatores in hac particula, Sicut & nos remittimus, non esse eam remittendi rationem, quasi peteremus à Deo, ut ita nobis peccata remitteret, ut nos remittimus, sed esse professionem remissionis, quam & nos nostris debitoribus coram Patre nostro cœlesti facimus, sicut ab ipso petimus, ut nobis remittat debita nostra, ac si dicamus, Pater cœlestis remitte nobis debita nostra, nos quidem libenter remittimus & condonamus omnibus, qui nobis debere quicquã uideri possunt, Agnoscimus enim nihil nos tam graue à quoquam pati, quin grauiora meriti simus, Ideo libenter ea ferimus, & cunctis, qui nos aliqua molestia afficiunt, ex animo remittimus.

Quia uero non satis nobis est Deum nobis peccata quæ admittimus, & pœnas quas illis meriti sumus remittere, sed necesse est nobis etiam custodiri ab eo, ne Satan nos uariis tentationibus ad peccata in posterum pertrahat, subiicit Dominus alterum uotum deprecandi mala. Non inducas nos in tentationem, id est, ne permittas Satanæ, ut nos ulla interna uel externa tentatione à fide & obedientia tua abstrahat. Sed libera nos ab hoc malo ueteratore & infidiatore salutis nostræ, ne ulla in re nobis præualeat. Tentationes docebunt Ecclesiastæ hoc loco innumeras esse, & nobis prorsus insuperabiles, nisi diuinitus adiuuemur. Nam tentat nos Satan & intus & extra, Suggestit enim praua consilia menti, & excitat in animo fœdas cupiditates, Extra sollicitat falsa doctrina, & hypocrisis uite, Irritat ad peccatum alienis flagitiis, Depellere nititur à fide & studio Dei innumeris calamita-

Explicatio sexti uoti.

DE ABVS

tibus. Hæc permittendo Satanæ Deus tentat nos, & explorat, hoc est, ostendit nobis, quàm infirmi adhuc in fide simus, & impellit ad quærendam opem suam in Christo, quemadmodum supra latius explicatum est in capite de Cruce. At Satan molitur hisce tentationibus ab omni fiducia in Deum, & studio pietatis nos uel seducere, uel abstrahere. Quare semper orandum nobis, ne nos Deus in tentationem inducat, id est, hære, præcipitari, & immergi illis sinat, sed ut liberet nos à tentatore, ut in fide & obedientia ipsius perseueremus.

Amen subiectum monere debet, ut non dubitemus Deum quæ orauimus iuxta hanc formam, propter Filium suum certo præstiturum, idq; ut suum regnum, potentiam, & gloriam in nobis tueatur, & illustret. Itaq; commodum & illud additum est, Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in sæcula sæculorum Amen, Cætera in Catechismo.

DE ABVS IN ORATIONE.

Primus abusus in oratione.



Reprehendent etiam diligenter abusum & impietatem quæ in oratione inuecta est, & eam prudenter euellere studebunt. Nam hætenus multi grauissimi abusus irreperunt, quorum primus est, cum uerbis in oratione utimur non piis, & quæ cum sacris literis non conueniunt, ut cum oramus remissionem peccatorum, propter merita Sanctorum, quod his postremis temporibus uulgatissimum factum est, qui abusus in prima Ecclesia planè non fuit. Huc etiam pertinet, cum ea oramus, quæ orare non debemus, quod pluribus fit modis, quàm quis enumerare possit. Ad hos abusus corrigendos diligenter commendanda, & expendenda sunt illa uerba Pauli, Rom. VIII. Siquidem hoc ipsum quod oraturi simus ut oportet, non nouimus, uerum ipse Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Nam si ipsi nescimus, quid, aut quomodo orandum sit, & est oratio proprium opus Spiritus sancti, meritò reuocandus populus est ad eas orationes, quæ in Sacris literis sunt propositæ, quo discat Deum secundum ipsius uoluntatem orare, & certus sit suam orationem probari.

secundus abusus orationis.

Secundus in precando abusus est, cum ab illis aliquid petitur, à quibus

bus peti non debebat, ut cum homines orant Sanctos, qui nunc cum Domino uiuunt, ut intercedant pro eis, aut ipsi eis conferant ea, quibus opus habent, ut cum S. Sebastianum orant, ut defendat aduersus iacula & uenena, S. Anthonium aduersus ignem sacrum, S. Apolloniam contra dentium dolores, etc. Item cum Sanctorum Statuas, atq; imagines inuocant, tanquam ipsos Sanctos, ut sit ab illis, qui ad certas Statuas ex uoto commeant, quæ ^{ut dicitur in scriptura} totum ferè mundum occupauit, & ut tollatur, populus diligenter à sanctis ad Deum reuocandus est, his potissimum argumentis.

Primum, quod nullum mandatum extat, inuocandos esse Sanctos defunctos, quare etiam non possumus non esse dubii, recte ne, an secus id fiat, Deo ne gratum sit an ingratum. Quod uerò cum dubitatione fit, ex fide fieri non potest, & eo ipso peccatum est. Quicquid enim non est ex fide, peccatum est, ut testatur Paulus Roma. XIII.

Quo pacto populus reuocandus ab inuocatione sanctorum.

Secundo, constat orationes quæ in Scripturis habentur, ab ipso spiritu Dei formatas, atque perfectas esse, ac ideo esse absolutissimas, nobisque maxime imitandas. Atqui nulla in omni Scriptura extat forma huiusmodi inuocationis directæ ad Diuos, quare nemo eiusmodi forma uti poterit, quia hominum in eo auctoritatem Diuinæ præferat, Quorum enim in precando formas usurpat, horum sequitur magisterium, eoq; magisterio Spiritus sancti anteponeat. Ea uerò grauissima contumelia est Diuinæ Maiestatis. Iam si formis precandi uti liceat, quas Scriptura proponit, hæ ipse formæ docebunt, quàm non conueniat inuocare Diuos.

Quis enim non horreat dicere ad Diuum Petrum, uel alium quempiam Diuorum, Pater noster, qui es in caelis, quam formam orandi nobis Christus præscripsit? Non enim Deus est, non Pater noster est. Neq; omnino conuenire posset, si uel S. Petrum, uel alium aliquo Psalmo proposito uellemus inuocare. Qui itaq; sanctos inuocant, faciunt id ex hominum commentis. Cum ergo præferre commenta hominum dictatis & exemplis spiritus sancti, sine grauissima contumelia Dei nemo possit, omnia autem exempla orationum tradita à spiritu sancto Deum solum inuocare doceant, neq; ullum extet, quo appellentur Diui, qui uis facile intelligit quàm indignum sit Christianis, qui opem Dei ueris precibus querere debebant, uti hoc nouo inuento appellandi Diuos, quod cum doctrina & exemplis spiritus sancti omnino non conuenit, neq; sequi præscriptum spiritus sancti, cui tamen summa Religione inhærere debebant.

Matth. 6.

Tertio, talis abusus fortiter reiicitur Dei uerbo, quod noster Ser-

DE ABVS

uator Iesus Christus Satanæ Math. III, opposuit, Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Et Deus non uult alium mediatorem, quàm suum Filium Dominum nostrum Iesum Christum, I. Timoth. II. Vnus enim Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus, Et Deus testatur, quod uelit propter illum exaudire, & uelit sic coli, Sicut de Christo extat testimonium, Tu es sacerdos in æternum. Item Math. XI. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego refocillabo uos. Item Ioan. XV. Quicquid petieritis Patrem in meo nomine, dabit uobis. Et ad Roma. III. Quem proposuit Deus reconciliatorem. Ideo enim fiducia collocatur in Christum, quia extat promissio & mandatum Dei de ipso, De Sanctis uerò nullum tale habemus uerbum, quòd Deus uelit coli illorum inuocatione, uel quod propter illos uelit exaudire. Est igitur horribilis impietas, fiduciam debitam Christo transferre in Sanctos, sine uerbo & mandato Dei. Insuper hoc etiam nomine cultus ille damnatus est, quod tantum humana opinione est institutus. In hoc autem abusu damnando Concionatores urantur ea moderatione, ne imperiti homines incipiant de Sanctis irreuerenter sentire, uel loqui, Aliud enim est Sanctos inuocare, aliud uenerari, aut honorare, Honorandi sunt, non inuocandi & adorandi, quod tamen uulgo fit.

Psal. 110.

Honor sanctorum in quibus consistat.

Is autem uerus honor, & pia Sanctorum ueneratio est, Deum laudare, quòd donis adeò præclaris eos ornauerit, constanti fide, uero timore, uariis uirtutibus, quæ omnia ita populo sunt proponenda, ut de illis & diligenter cogitet, & ea magnificiat, & Deum imprimis, qui talia in sanctis operatur, laudet, eiq; gratias agat, tum ipsos etiam sanctos prædicet, quòd tam pie donis illis usi sint. Hoc enim pacto & fides Christi in nobis confirmatur, quòd nimirum Deus nobis quoque pro nostra portione sit benefacturus, & excitatur studium exempla illorum sedulo imitandi. Ita uetus Ecclesia Sanctos coluit, quod ex aliquot solennibus orationibus, quas Collectas uocant, cognoscere licet. Sic enim Ecclesia precatur.

IN MEMORIA APOSTOLORVM PETRI ET PAULI

Deus qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri & Pauli martyrio consecrasti, Da Ecclesie tue, eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exordium, per Christum Dominum nostrum.

ET IN FESTO D. IOANNIS BAPTISTAE.

Deus qui præsentem diem honorabilem nobis in Beati Ioannis Natiuitate

tiuitate tribuisti, Da populis tuis Spiritualium gratiam gaudiorum, et omnium fidelium mentes dirige in uiam salutis eternæ per Christum Dominum nostrum.

ITEM IN NATALITIIS

Diui Stephani.

Da nobis quæsumus Domine imitari, quod colimus, ut discamus et inimicos diligere, quia eius natalitia celebramus, qui nouit etiam pro persecutoribus orare per Christum Dominum nostrum.

IN COMMEMORATIONE

Diui Laurentii.

Da nobis quæsumus omnipotens Deus uitiorum nostrorum flammæ extinguere, qui beato Laurentio martyri tuo tribuisti tormentorum suorum incendia superare, per Christum Dominum nostrum.

IN MEMORIA DIVAE

Agathæ.

Deus qui inter cætera potentia tuæ miracula etiam in sexu fragili uictoriam Martyrii contulisti, concede propitius, ut cuius natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur, per Christum Dominum nostrum.

IN COMMEMORATIONE

Diuæ Cæcilie.

Deus qui nos annua beatæ Cæcilie Martyris tuæ solennitate lætificas, Da ut quam ueneramur officio, etiam piæ conuersationis sequamur exemplo, per Christum Dominum nostrum.

Huius generis sunt omnes istiusmodi preces paulo uetustiores. In aliis, quæ in sequentibus temporibus factæ sunt, quanquã admisceatur de meritis Diuorum, & intercessionibus, tamen non inuocantur ut Domini, non appellantur, non rogantur, ut sua ipsi pro nobis Patri merita offerant, aut nos suis intercessionibus adiuuent, sed inuocatur, & rogatur unus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, ut ipse dignetur Sanctorum suorum in nobis quoque benefacta remunerari, eorumque pro nobis intercessionem cum excitare, tum efficacem facere idque per Dominum nostrum Iesum Christum, non uirtute Sanctorum.

Tertius abusus est, cum uerba piæ alioqui & Christianæ orationis trahuntur ad finem impium & illegitimum, ut dum per orationem Dominicam, aut uolumus sanguinem sistere, aut Lupos arcere, ne oues rapiant

rapiant, Sicut quidam conantur Psal. XXXV. detorquere ad uulnera declinanda, Cuius generis superstitiones & impietates innumerae exercentur clanculum ab impiis incantatoribus. Populum itaque Concionatores singulari cura monebunt, quàm graue sit peccatum, quanta impietas, ad tales artes magicas & incantationes uerbo Dei abuti, Qui abusus perniciosus atq; detestandus est, non minus, quàm reliquæ doctrinæ falsæ & idololatricæ.

Quartus abusus orationis est existimare eam ualere ex opere operato.

Abusus quartus est, cùm finis orationis peruertitur, cùm homines orationum uerba ea opinione recitant, ut hoc ipso recitationis opere gratum quendam cultum Deo & Sanctis præstare uelint, cùm non ut præstemus eo opere officium aliquod Deo, sed ut gratuitum Dei auxilium, meritis obnoxii periculis & malis imploremus, aut ut non merita beneficia indigni recipiamus, preces ad Deum fundendæ sint.

Et ut pleniore sensu, tum propriæ miseræ, tum diuinæ in Christo bonitatis, & ardentiore opis diuinæ desyderio, preces fundantur, sunt uerba Sacra in precibus usurpanda. At pridem uulgus in eum errorem per infidos pastores inductum est, ut uerba precationis Dominicæ, Angelicæ salutationis, Psalmorum, & aliarum precationum, certo numero & modo recitata, offerat Deo, D. Virgini, aliisque Sanctis, tanquam acceptum aliquod obsequium uel munus, quo se putat præclare de Deo & Sanctis mereri, peccata sua expiare, beneficia Dei sibi conciliare, Qui abusus precandi non solum pugnat cum uerbo Dei, sed iudicio rationis etiam ineptus & ridiculus est, facile uerò tolli potest, si populus de oratione instituat ea ratione, quam ante tradidimus.

Quintus abusus est existimare eam ratione locorum magis acceptam esse Deo.

Quintus abusus est in orando, neque minore cura reprehendendus, & corrigendus, quòd ratione locorum, quorum alia aliis magis sancta existimant, magis commendari orationem Deo, & citius exaudiri uulgo creditur, ut si preces fiant ad certas Statuas, aut reliquias Sanctorum, & alia loca, ad quæ peregrinationes religionis ergo suscipiuntur, quæ summa contumelia est gratiæ & meriti Domini nostri Iesu Christi, per quem solum acceptæ sunt preces nostræ apud Deum, quocumque loco fiant, ut ipse promisit, I. Ioann. XV. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Qui & mulieri Samaritanæ dicebat, Mulier, crede mihi, uenit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem, Deus Spiritus est, & eos qui adorant eum, in Spiritu & ueritate oportet adorare. Ioann. III. & Matth. XVIII. ait. Si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Vbi enim sunt duo, uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio

medio eorum. Ecce Dominus hic promittit fore ut exaudiamur, si in oratione consentiamus, & se medium fore inter nos, & omnia à Patre nobis impetraturum, quodcumq; & ubicunq; in ipsius nomine conuenerimus & consenserimus. His promissionibus detrahunt omnes ii, quicumq; existimant se uspiam locorum certius & citius exaudientos propter Statuas, uel reliquias Sanctorum, uel ob aliam quamuis loci prærogatiuam externam. Verum eo tamen libentius ad templa, & loca publica præcatum conuenire decet, & ad orandum religiosius confert, quia eo ad orationem Ecclesia conuenit, & quia ibi ministerio uerbi, aliisq; Sacris exercitiis, ipsoq; una nobiscum orantium cœtu, ad orationem magis excitamur. Ita loca priuata id commodi habent ad orationem faciendam, quòd in illis precari licet animo magis attento, & ad Deum plenius sublato, Nam minus incidit in his locis, quod mentem ad alia, quàm quæ aguntur in precibus, auocet. Hinc legimus Dominum Iesum plerumq; in montibus ac hortis orasse, sicut & nos iussit Patrem occluso cubiculo orare in secreto. Vt enim exaudiat oratio nostra per se nullus locus quicq; præ alio præstat, Sed præcationis efficacia tota nititur Christi merito, & interpellatione eius pro nobis, ac fide certa promissionum Dei, in quibus animus credens meritum Christi, & intercessionem apprehendit.

Ubiunq; locorum Deum in Christo inuocamus exaudimur.

Cur & in Ecclesijs & in priuatis locis libenter orandum.

Matth. 6.

Quare ueteres ad Sepulchra S. Martyrum orarint

Quòd uero ad Sepulchra Sanctorum Martyrum apud ueteres præces habitæ sunt, & Sacri conuentus celebrati, id eò factum est, ut ex recordatione fidei, quæ in Martyribus tam præclarè eluxit, populus ad similem pietatem & fidem cum à Deo sibi orandum, tum ad eam sese excitandum magis excitaretur & inflammaretur, Nam cum locus ipse, tum laudes Martyrum, quæ illis in locis cum prædicatione Euangelii Christi, usuq; Sacramentorum celebrari consueuerant, admonerent & testabantur uirtutes Martyrum dona fuisse gratuitæ bonitatis Dei, impetrata eis merito Christi, & effecta in eis Spiritu sancto, nobisq; ad hoc proposita, ut eadem nobis à Patre cælesti petamus, & speremus per Christum, ipsiq; nos ad studium eorum amplius excitemus.

DE

DE VERO FALSO QVE VSV IMAGINVM



Quis uerus usus imaginū.

Falsæ et superstitiosæ imagines seu Statuæ.

Onstat uulgus passim abusu & superstitione imaginum & Statuarum grauitèr adhuc detineri. Plæriq; enim se tum efficaciter precari arbitrantur, cùm preces suas coram Statuis & Imaginibus dicunt, Indeque uarie ornare, & luminibus accensis, suffitu, & aliis donis, tum etiam ad eas à longinquis locis ex uoto commeando, uenerari eas, & colere solent, Quin nonnullis uim quandam iuuandi attribuunt, non minore impietatis, & idololatriæ furore, quàm olim ethnicos, & damnatos Iudæos fecisse legimus. Pastores itaq; & Ecclesiastæ singulari studio in hoc incumbunt, ut populum ab hac ^{ειδωλομανια} omniq; abusu imaginum, & Statuarum auocent. Docebunt itaq; primum, nullum posse Christianis usum esse imaginum, nisi cùm proponuntur imagines, quæ ueras & tales res & eo modo exhibent, ut recordatio earum rerum conducat ad fidem excitandam, & homines prouocandos ad officia pietatis. Et si nihil aliud uitii secum afferret, id tamen in usu imaginum indignissimum Christianis est, quòd mentientes imagines proponuntur, quæ res uel planè uel ex parte confictas, tum etiam sæpe superstitiosas & impias cogitationibus hominum obiiciunt. Quòd enim uel pingunt, uel sculpunt Anthonium cum igne et porco, Rochum cum ulcere, quod curat Angelus, Leonhardum cum catena, impia figmenta sunt, quibus miser populus docetur petere ab Anthonio dono porcorum præsidium contra ignem Sacrum, à Rocho remedium contra pestem suis item donis et cultu, Auersionem uel solutionem uiuculorum à Leonhardo. Talibus uero fallacibus imaginibus, quæ manifestam impietatem, et ^{ειδωλολατρειαν} suggerunt, et confirmant, templa ubiq; plena sunt. Quæ impia Simulachra, dum nullo sane loco ferri à Christianis debebant, perspicuum est, q̄ indignum sit, ea conspici in templis, ubi solus Deus in Christo prædicandus, et adorandus est, idq; in Spiritu, et ueritate, Libri qui falsa et impia dogmata continent, è manibus populi Christiani eripiuntur, et merito, auertenda enim est omnis scandali occasio. Quæ igitur diuinæ Maiestatis contumelia, in locis eius nomini et cultui consecratis, tam manifestè doctrinam impietatis proponere in Simulachris, et imaginibus, præsertim cùm uelint imagines esse Biblia laicorum.

Peccatur præterea & illo abusu imaginum & Statuarum, quod Simulachra Diuorum sculpuntur & finguntur habitu, & cultu ad sæculi lasciuiam

uiam pompamq; conficito, à qua certè uanitate & luxuria Sancti magnopere abhorrerunt. Hac igitur mendacitate imaginum, & statuarum, non solum exempla moderationis & humilitatis, quæ in sanctis fuerunt in omni uita, & usu rerum præsentis sæculi, obscurantur, sed contraria uitia commendantur. Quæ enim cernuntur ipsis Sanctis iam in cælo uiuentibus, tanquàm ornamenta adfingi, sibi quoq; expendenda homines colligunt. Quantopere enim in imitationem pro uocent flagitiorum picturæ, quæ flagitia cum aliqua commendatione repræsentant, etiam Comicus agnouit, cum introducit adolescentem prædicantem se animatum ad stuprum fuisse contemplatione tabulæ, in qua pictum erat stuprum Iouis, indeq; collegisse. Ego homuncio hoc non facerem?

Deinde Pastores & Ecclesiastæ pari studio dedocere populum debent adorationem statuarum & imaginum, ne ante illas procumbant uel genua flectant. Id enim Scriptura adorare uocat, & seuerissime prohibet, cum alias plurimis in locis, tum ipso etiam Decalogo, & adiuncta comminatione ultionis in tertiam ac quartam generationem. Ita enim præcipit. Exodi XX. Ne facias tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, neq; rerum cælestium, neq; terrestrium, neq; earum, quæ sub terra in aquis sunt, non adorabis ea, (id est, non prosternes te illis, uel genua flectes) neq; coles ea. Nam ego Dominus Deus tuus, Deus Zelotes sum, animaduertens in iniquitatem patrum in filiis, in tertiam & quartam generationem.

Docebunt igitur & admonebunt Ecclesiastæ populum summo studio, facere apertè contra hoc Dei præceptum, Primum omnes eos, qui se ante imagines & statuas prosternunt, genua flectunt, caput inclinant, uel aperiunt, manus & oculos precandi modo ad illas tollunt. Deinde & eos, qui illas uestiunt, & ornant, qui eis suffitum faciunt, lumina accendunt, offerunt, & donaria suspendunt, Hymnos cantant, similesq; honores & cultus exhibent, qui uni Deo debentur, cum scilicet exhibentur studio quærendi opem Dei arcanam. Etenim & Principibus, & honoratis uiris sui honores & adorationes debentur. Sic enim interpres Scripturarum reddit uerbum supplicare, Sed his signa ista beneuolentiæ et reuerentiæ exhibenda sunt, animo Maiestatem Dei in illis respiciente, et uenerante, Deiq; opem, non illorum, sed neq; tantum ab illis, sed per illos, et iuxta uerbum Dei, quærente. Idola uero, ut nihil sentiunt, nec ullius operis diuini instrumenta sunt, ad quod sua uoluntate et opera ministra

K rent,

rent, nullum Deus prorsus honorem impendi eis uoluit. A qua idololatria & Apostolus dehortatur, cum scribit Corinthiis. Neque simulachrorum sitis cultores, sicut quidam illorum. Item fugite à simulachrorum cultu. I. Corinth. X. Et I. Ioan. V. Filioli, caute uobis à simulachris.

Porro qui arcanam aliquam uirtutem Dei diuorum simulachris attribuunt (ut uulgo homines illis simulachris attribuunt, ad quæ & uoto, & libero studio commere solent) hi sibi fingunt ex simulachris Deos, & crassissimam illam impietatem admittunt, quam Deus passim in Scripturis, & secundo etiam capite decalogi damnat, quo uentur habere & colere Deos alienos, propter quam etiam populum suum Iudaicum, & Gentes alias, olim post grauissimas Prophetarum minas, extremis calamitatibus adfecit, & crudelissime exterminauit è terra promissionis, & benignitatis suæ. In hac impietate hærent & ii, qui preces suas ideo uersi & supplices ad statuas & imagines faciunt, quod confidunt eas sic fore efficaciores.

Ab his igitur tam execrandis, & exitiis superstitionibus, impiis cultibus, & idololatriis, quæ pridem per omnes Christiani nominis populos horrendum in modum regnarunt, Pastores, & Ecclesiastæ reuocare, dehortari ac deterrere suos studebunt, quanto poterunt studio, subinde commemorando & explicando illis, quas, & quam horrendas pœnas Deus iis, qui hoc idololatriæ scelere se implicuissent, in Lege, & Prophetis suis, minatus est, & intulit.

Admonere quoque diligenter populum Ecclesiastæ debent, de periculo impietatis, quod cum usu imaginum semper coniunctum est, præsertim earum imaginum, quibus representantur res, & homines, habentes aliquam commendationem Sanctimonix. Mirè enim propensum est hominum ingenium ad idololatriam, Quare suspectum nobis esse debet, tantum studium imagines & statuas parandi, & templis inferendi, quod etiam si ornatus tantum causa fiat, & animos contemplantium eas ad pias cogitationes prouocandi, tamen sumptus non exigui, qui insumuntur in huiusmodi imagines & statuas, quæ nihil sentiunt, & opera hominum sunt, detrahuntur uiuis imaginibus membris Christi, quæ figmenta Dei sunt. Præterea non deest grauis occasio ipsius abusus, quo circa Diuus Epiphanius, cuius Epistolam Diuus Hieronymus suis scriptis aduersus Ioannem Episcopum Hierosolymitanum addidit, sic testatus est, Habere in templis imagines,
iudi-

iudicari religioni nostræ, & authoritati Scripturarum aduersari, Idq; scripsit tanquam sententiam communem Ecclesiæ, de qua nemo dubitaret.

Adhortabuntur itaq; populum Ecclesiæ, ut potius sacra Biblia paret, quod multo minoris poterit, quam imagines, ea diligenter legat, atq; ex creatione rerum omnium, ex mirabili gubernatione Dei, inde ab initio conseruatione & protectione piorum, Suppliciis impiorum, quæ in Bibliis proponuntur, discat agnoscere, admirari, recordari, & colere Diuinam Maiestatem, potius quam in statuis. Tum ut in Sacris cœeribus frequens adsit, tractationem uerbi Dei religiose audiat, Sacramenta pie percipiat, & precibus fideliter incumbat. Hæc enim Deus ipse nobis in hoc proposuit, ut per ea cognitionem, amorem & studium ipsius in nobis paremus, conseruemus, & augeamus. Quapropter dum his instrumentis religionis rite utimur, certi sumus adesse incrementum Spiritus sancti, & periculum abesse superstitiosis, cum in usu imaginum, ut in uento hominū, periculum non desit, & eis Spiritus sanctus adesse non possit. Quantumlibet enim ornentur uerbis, & pingatur studium collocandi imagines in templis, & admonitio sacrarum rerum, quam his imaginibus tribuunt, tamen negari non potest, hoc quicquid de imaginibus & statuis in templis proponendis afferri potest, commentum hominum esse, quod adeo uerbo Dei non nititur, ut Deus ueteri populo usu tali imaginum interdixerit, & Sancti patres in nouo populo eum non tulerint, quod ex facto & scripto D. Epiphani, cuius supra meminimus, clarè patet.

*In uerbo et lectione sacrae
Scripturae potius quaerendus
Deus, et discendus
quam imaginibus.*

Proinde Concionatores studiose populum docebunt, & admonerunt, nunc tempus esse, ut Deum adoremus & colamus in Spiritu & ueritate, & ad excitandam hanc adorationem, & hunc cultum, pie utamur iis instrumentis, quæ ipse nobis tradidit, pia lectione & auditione Sacrarum Scripturarum, & sermonum, quibus illæ uel publice, uel priuatim explicantur, religioso usu Sacramentorum, assiduitate Sacrarum precum, tum etiam pia consyderatione, & contemplatione operum Dei, & iudiciorum, quæ perpetuo in oculos, in manus, in animum incurrun, & quibus semper fruimur. De qua animi nostri in Deum excitatione, & incensione studii ad cuncta pietatis officia, paulo ante, in explicatione secundi præcepti dictum est.

Addent & illud circa hunc locum, & studiose animis populi infingent pii Pastores & Doctores Ecclesiarum, quicquid nobis Deus ex

ternarum facultatum largitus est, id esse infumendum in uiuas Dei imagines, proximos nostros, membra Christi, ut Christum in his cibemus, potemus, uestiamus, hospitio excipiamus, curemus ægrotum, consolemur, & iuuemus uinctum, Non disperdamus in parandis, orandis, uestiendis, honorandis imaginibus, & statujs, quibus nihil uitæ est, nihil sensuum, lignis, lapidibus, metallis, inanibus operibus manuum nostrarum, in res, quæ Deo abominationi sunt, quod toties testatur in Prophetis suis. Qui in extremo iudicio, cum testabitur sibi & præstitum, & non præstitum, quicquid officii fratribus suis minimis, qui nobiscum uixerunt, uel præstitimus, uel non præstitimus, indubie horribiliter appellabit eos, qui neglectis in ægestate, penuria & ærumna membris ipsius, uiuis imaginibus, bona non sua, sed ipsius, profuderunt in statuas & imagines, quæ huiusmodi sensum beneficiorum nullum habent.

Et hunc ergo precandi abusum ad imagines & statuas, & cæteros, quos notauimus omnes, extirpare funditus ex animis populi Christi, Pastores & Ecclesiastæ maximopere curabunt, Pugnans enim contra prima Decalogi capita, Et tradere, explicare, & infigere semper ea studebunt, ex quibus religionem omnem pie & efficaciter orandi Deum populus condiscat, & ei salutari pietatis exercitio recte adsuefcatur, & inhæreat sedulo, Vt quicquid ei mali uel accidat, uel impendeat, quicquid desyderet & requirat boni, mox & recta semper confugiat ad Patrem cœlestem, per unicum Mediatorem nostrum Christum, & hunc unum inuocet in nomine Filii sui, certa & filiali fiducia erga charitatem eius plusquam paternam, solido etiam timore, reuerentia, & mentis sollicita supplicatione erga Maiestatem eius. Atq; utatur ad talem inuocationem, & precationem excitandam, incendendam, & fouendam, summa religione ijs instrumentis et organis, quæ Deus ipse in hoc nobis præscripsit, & commendauit, Sacris conuentibus, Scripturis suis diuinis, Sacramentis, et pia omnium donorum, operum, & iudiciorum eius contemplatione.

LVII

DE CHRISTIANO

IEIUNIO.



Acra litera ieiunium nobis proponunt tanquam proprium quoddam praeparamentum, et uiam quandam ad orationem magis grauem & seriam pro remissione peccatorum, pro singulari misericordia, & gratia Dei & aliis singularibus beneficiis & donis. Quemadmodum Niniuita supplicabant Deo cum ieiunio seuerissimo, pro remissione peccatorum, & pro condonatione poenae, quam Deus eis annunciauerat. Ionae. III. Tale etiam ieiunium fuit, quod Deus populo Israelitico X. die mensis VII. mandauerat, qui dies expiationis erat, quo uniuersus populus Deum pro remissione peccatorum supplex oraret. Leuit. III.

Augustinus ad Casulanum Presbiterum Epist. 86. de Ieiunijs priscorum. Ego, inquit, in Euangelicis & Apostolicis literis, totoq; instrumento, quod appellant Testamentum nouum, animo id reuoluens, uideo praecipuum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat praecipuum Domini: uel Apostolorum non inuenio definitum.

Tale ieiunium praecipit etiam Deus Ioelis II. Cum populus difficultate annonae, & graui bello propter peccata diuinitus puniretur. Conuertimini, inquit, ad me in toto corde uestro, cum ieiunio, fletu, & planctu. Item eodem loco, Canite tuba in Sion, sanctificate ieiuniu &c.

Tale etiam I. Samuclis VII. describitur. Et conuenerunt in Masphath, hauseruntq; aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atq; dixerunt ibi, Peccauimus Domino. Item Dauidis in morbo filii, quem primu habuit ex Bathseba. Percussit quoq; Dominus paruulum, que peperit uxor Uriae Dauid, & desperatus est, deprecatusq; est Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus seorsum iacuit super terram. Item Achab cum ipsi Helias uindictam diuinam propter iniustam necem Naboth annunciaisset I. Regum xxi. Tale fuit & triduanum illud Pauli ieiunium, cum eu Dominus prope Damascu conuertisset, & ademisset uisum Act. ix.

2. Samuel. 12.

Ieiunium uero cum oratione pro singulari beneficio & auxilio Dei coniunctum erat, quod instituit Iosaphat cum Moabita & Ammonita aduersus ipsum copias maximas eduxissent. Simile fuit Esdrae, cum reditum in Iudaeam pararet, Et illud, quod suo populo indixit Hester, cum Regem pro salute populi uellet interpellare. Tale etiam, quod sibi indixerat Ecclesia Sanctorum Antiochia, cum impositis manibus dimissura esset Paulum & Barnabam, ad Euangelium praedicandu Gentibus Act. xiii. Tale etiam ieiunium fuit, quod iidem hi duo Apostoli celebrarunt, cum in Ecclesijs Asiaticis, quas Christo lucrifecerant, constituere uellent presbyteros. Act. xiiii

Ieiunium coniunctum cum oratione pro singulari beneficio et auxilio Dei.

Quòd uero ad omnem grauiorem, & attentio-
 rem orationem sem-
 per adiungendum ieiunium sit, satis docet, quod de coniugibus scribit
 I. Corinth. 7. D. Paulus, Vxori uir debitam beneuolentiam reddat, similiter & uxor
 uiro, ne fraudetis uos inuicem, nisi si quid ex consensu pro tempore, ut
 uacatis ieiunio, et orationi.

Hæc & alia similia S. Scripturæ testimonia de ieiunio diligenter ob-
 seruabūt Concionatores, & populum ex eis fideliter docebunt. Primū,
 ieiunium esse propriam quandam rationem, ac partem quandam an-
 xiæ & seriæ orationis ad Deum, quemadmodum citata loca & similia
 testantur, non autem esse opus per se gratum Deo, uel salutare nobis.

Quanam uera ieiuniorum
 natura seu ratio,

Secundo, illud etiam diligenter monebunt, ieiunium sicut & oratio-
 nem, nisi ex uera fide, & ex solida pœnitentia de peccatis suscipiatur, &
 obseruetur, non modo non esse rem acceptam Deo, sed plane abomi-
 nandam, ut si ex instituto & consuetudine hominum, uel etiam ad o-
 stentationem ieiunetur, quod Christus Dominus notauit Matth. VI,
 Obscurāt facies suas, quo perspicuum sit hominibus ipsos ieiunare, Ve-
 rum & gratum Deo ieiunium suscipi debet ultro, & ex animo qui sen-
 tiat molem peccatorum in conscientia, iram, & uindictam Dei de pec-
 catis suis expauescat, qui impellatur inde ad quærendam & oran-
 dam peccatorum ueniam summo studio, uel qui cupiat se ad oran-
 da Dei beneficia religiosius expedire, & quodāmodo sanctificare.

Quare semper illud populo diligenter inculcandum erit, cum de ie-
 iunio agetur, quod est Ioele II. Conuertimini ad me, inquit Dominus
 ex toto corde uestro, cum ieiunio &c. Vt discant homines nullum iei-
 unium placere Deo, nisi quod oritur ex uera pœnitentia, & uiuo dolore
 de peccatis, & uera cōuersione ad Domini misericordiam, apud quem
 singulari & ardenti studio remissio peccatorum quærat.

Tertio, ex locis citatis & similibus docebunt Concionatores, non ef-
 se ieiunium tantum abstinentiam à cibo & potu, sed requiri præterea,
 cum ieiuniū pars quædam esse debeat sollicitæ orationis pro remissio-
 ne peccatorum & gratia Dei, ut in diebus ieiuniorum ab omnibus nos-
 uoluptatibus, & negotiis huius uitæ prorsum subducamus, et toti ora-
 tioni uacemus, cum magna, & ex corde proficiscente totius uitæ humi-
 litate, & corporis castigatione. Vnde erat quod Dominus in Ioele præ-
 cepit Sanctificare ieiunium, uocare cœtum, cōgregare senes, sponsam
 & sponsam, omnes habitatores terræ in domum Dei, & clamare ad Do-
 minum. Iubet adduci etiam infantes & lactantes, ut horum conspectu
 & misericordia excitarentur ad maiorem pœnitentiam peccatorum, &
 ardentio-rem orationem pro uenia.

Hinc

Hinc est, quod Iudæos Deus Esa. LVIII. tam grauitè arguat, quia in diebus ieiuniorum negotiorum suorū rationem haberent, & reposcerent credita, atque testatur se auersari ipsorum ieiunia, neque esse ea, quæ ipse præcepisset. Quo loco illud diligenter considerandum, quod ea de causa eorum orationes non exaudierit, neque ieiunia acceptarit, quod diebus ieiuniorum sua prosequerentur studia, Ecce, inquit, in ieiuniis uestris inuenitur uoluntas uestra. Quapropter conuenit, ut iis diebus, quibus ieiunia indicta sunt, populus ea hora, qua ad Sacram Concionem, & communes preces conuenitur, ab omnibus aliis operibus, & negotiis prorsus abstineat, totusque uacet audiendo uerbo Dei & orationi. Habet enim hæc communis Ecclesiæ oratio amplissimam promissionem propositam, Matth. XVIII. Quod si duo ex uobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Conueniendum igitur ad eam est, & ita ei incumbendum, ut nihil aliud agatur, mensque et animus huic uni rei totus intentus sit.

Quænam feriat ad ieiunium seruanda.

In priuatis tamen ieiuniis, in quibus tota Ecclesia ad uerbum Dei, & orationem non conuocatur, labores corporis honesti et moderati nihil impediunt ieiunium, ut neque orationem. Valet enim & labor ipse ad castigandum corpus, & animum à uanitate sæculi abstrahendum, & ad orationem excitandum, tum etiam ad subueniendum egentibus. Quamquam autem quolibet tempore in hoc corporis labor suscipiendus sit, ut sit unde inopia fratrum subleuari possit, hoc tamen eo tempore maximè faciendum, quo misericordiam & benignitatem Dei singulari studio imploramus, tum maximè ualeat illud Pauli. Qui furatus est ne furetur amplius, sed potius manibus laboret, ut possit egenti succurrere. At ieiunium illud ex anxio studio placandi & orandi Deum susceptum, cuius aliquot exempla ex Scripturis antea recitauimus, hominem ab omni alia cura & rebus abstractum, totum precibus & cæteris actionibus religionis addicit, Quemadmodum est uidere in Dauidis ieiunio, quod ægrotante filio, quem ex Bathseba genuerat, sibi indixerat, tantum in puluere iacebat, lamentabatur, et Domini clementiam precibus pulsabat. Idem faciebat & Paulus in ieiunio illo triduoano, cum Dominus eum ad se conuertisset.

Corporis laborem non impedire ieiunia.

Quarto, docebunt Pastores & illud studiosè, ad ieiunium pium largas elemosynas addendas esse, omnia iniqua onera proximis remittenda & subueniendum egentibus liberaliter. Ita enim dicit Dominus Esa. LVIII. An ne hoc esset ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem,

Ad ieiunium requiri largas elemosynas.

K iiii animam

DE CHRISTIANO

animam suam, contorquere quasi circulum caput suum, & faccum & cinerem sternere? Nunquid istud uocabis ieiunium & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegit Dominus? Dissolue impias obligationes, & remitte usuras inique prementes, mitte liberos qui inopia fracti sunt, omnèque debitorum onus dirumpe, frange esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuam, Cùm uideris nudum operi eum etc.

Quale ieiunium S. Patres damnarunt & quale probarint.

Hac de causa & S. Patres omnia ieiunia damnarunt, ut non Christiana, neque Deo accepta, quàm tumuis seuera alioqui abstinentia in eis seruetur, & acris corporis castigatio adhibeatur, si non ii qui ieiunant, se à peccatis ad Dominum toto corde conuertant, ac depositis curis omnibus, ac negociis huius uitæ, toti uacent orationi & aliis exercitiis religionis, tum in pauperes præcipuam benignitatem exercent. Quare docuerunt, ut hi qui ieiuniis pie uacare uelint, quicquid ieiunando comparferint, id omne in pauperes erogarent. Quod & exquisitissimum, & ex ipsa natura pietatis sumptum, ut uidelicet fideles, dum singulari studio Dei misericordiam implorant, & beneficentiam eius expetunt, ipsi quoq; tum præcipuè misericordes & beneficos erga egentes proximos se exhibeant. Talibus enim uictimis placetur Deo, Hebr. XIII.

Quod ieiunando comparsum est, in pauperes erogari debere.

Veteres celebrasse communionem Cœnæ Domini diebus ieiuniorum ad uesperam, quemadmodum est uidere apud Athanasium de uirginitate.

Ex hac Diuina doctrina de ieiunio Christiano, Concilium Cabilonense statuit requiri ad uerum ieiunium, ut ieiunantes ad orationes uespertinas adessent, quibus peractis, & celebrata communionem, & distributa eleemosyna cibum capiant. Veteres enim Eucharistiæ sanctæ communionem in diebus ieiuniorum ad uesperam celebrarunt. Sed hæc de ieiunio publico sint dicta. Duplex enim habent Christiani ieiunium, Priuatum, quod sibi quilibet, aut suæ tantum familiæ indicit, Et publicum atq; commune, quod à moderatoribus Reipub. uel Ecclesiæ præpositis, toti Ecclesiæ indicitur, propter communem aliquam et singularem necessitatem, quæ omnes premat.

Duplex ieiunium priuatum scilicet et publicum.

2. Samue. 12.

Cùm Dauid suum peccatum deploraret, atque laboranti filio restitui sanitatem oraret, priuatum ieiunium celebravit. Priuatum fuit ieiunium Cornelii, cuius meminit Lucas Acto. X. Item Prophetissæ. Publicum autem ieiunium erat ieiunium Niniuitarum, Hester, Iosaphat, et multorum aliorum, quod et Ioelis II. requiritur, et annuum ieiunium in die Expiationis indictum Leuit. xxiii.

Iona 3.
Ester. 4. et 14.

Huiusmodi uero ieiunia publica Sancti olim Episcopi ac uetus Ecclesia,

clesia, duplicia celebrarunt, Quædam annua certis ac statis tempo-
 ribus constituta, Quædam non certa, sed quæ pro incidenti necessita-
 te suscipiebant, ut essent ad orationem expeditiores. Illius generis est
 ieiunium Quadragesimale, & alia per annum certis diebus recurrentia,
 quæ humanis traditionibus numero quidem quotidie cumulata sunt,
 sed de pia abstinentia & Religioso precandi Deum Studio plurimum
 detractum. Institutum enim ueteris Ecclesiæ iam olim miris modis
 deprauatum est. Prisci enim Episcopi suos quidem diligenter ad ieiunium
 cohortati sunt, sed conscientias reliquerunt liberas, neq; damna-
 runt eos, qui ieiunare aut nollent, aut non possent. Sicut & Paulus ad
 ieiunium tantum hortatur, & Dominus ipse nullum præceptum hac de re
 imposuit, sed docuit tantum, quomodo obseruandum sit in gratiam sci-
 licet Patris, non hominum. In hac adhortationis moderatione & li-
 bertate Christiana, multi pie & uere ieiunabunt, Nunc cum indican-
 tur strictissimè ieiunia, nihil aut parum ieiunii seruator, imo maxima
 pars populi nescit quid sit uerum ieiunium. Et si qui ieiunant, & cor-
 pus castigant, faciunt id manifesta cum impietate & contumelia gratiæ
 diuinæ, quando quidem eo opere satisfacere pro peccatis suis, & prome-
 reri aliquid uolunt. Ad hæc damnarunt Patres aperte eos, qui sollici-
 ti magis essent de ciborum delectu, quàm de uera abstinentia & casti-
 gatione corporis. Quin & eos reprehenderunt, qui quàmuis se afflige-
 rent abstinentia, nihil tamen aliud quàm ipsam abstinentiam ieiunando
 spectabant uel præstabant. Hoc enim sine omninò ieiunandum est,
 ut ad orandum Deum simus expeditiores, attentiores, & ardentiores.
 Nunc ieiunium aliud nihil existimatur, quàm abstinentia à carnibus
 quadrupedum, & auium, ouis, Nam piscibus & aliis cibis lautius atq;
 exquisitius gulæ seruitur diebus ieiuniorum, quàm aliis, & tantum pran-
 dio adiicitur, quàm tantum ad iustam cœnam satis esset. Deinde ut pro ue-
 teri consuetudine uideantur post uespertinas preces cibum sumere,
 eas preces, quæ pro ratione nominis sub uesperum fieri debebant, ha-
 bent ante Meridiem. Hoc quid aliud est, quàm irrisio & contumelia
 diuinæ Maiestatis? à qua magna diligentia dehortari concionatores,
 & ad ueram ieiunandi rationem, quam exposuimus, homines reuoca-
 re debebunt. Sed de ipsa ratione indicendi & obseruandi ieiunia publi-
 ca, suo tempore statuemus, eam adhibaturi moderationem, quam con-
 fidimus nostris hominibus profuturam ad pietatis studia fouenda,
 & amplificanda, ita ut omnium Ecclesiasticarum ordinationum finis
 et scopus hic esse debet, ut pietati et conseruandæ et promouendæ in-
 seruiant.

Quædam stata ieiunia
 & certis temporibus con-
 stituta, Quædam non.

Prisci ad ieiunium cohortati
 tantum sunt, non mi-
 nis mandarunt aut coege-
 runt ad illud.

Abusus ieiuniorum.

Christiana moderatio ieiuniorum.

Quare

DE CHRISTIANO

Quare quoties occasio erit tractandi de ieiunio, siue ex Scripturis quæ exponendæ erunt, siue ex tempore ieiuniis constituto, siue ex aliis accidentibus, Concionatores populum diligenter monebunt de impietate & abusibus ieiuniorum, eosq; corrigere studebunt. Primum & ante omnia, ne existimet quisq; ideo ieiunandum sibi esse, ut eo opere aliquid à Deo promereatur, neue persuasum habeat probari Deo ullum quantumuis durum ieiunium, si illud non sit susceptum ex uera peccatorum pœnitentia & dolore, & certa fiducia misericordiæ Dei propter Dominum nostrum Iesum Christum exorandæ, hoc est, cum conuersione ad Deum ex toto corde. Deinde ut sic instituatur & obseruetur ieiunium, ut seruiat ueræ & piæ humiliatiōi, castigationi & sanctificationi corporis, quo Spiritus ad orationem, & alia pietatis exercitia sit expeditior. Hoc demum pium & gratum Deo ieiunium est, ad quod homines sedulo Prædicatores uerbi hortari debent.

Quopactō homines abdu-
cendi et reuocandi ab ab-
usibus ieiuniorum.

ieiunium quod Sæctis fit.

In primis autem auocabunt populum Concionatores ab ea impietate, qua quidam Sanctis ieiunant, aut ex imposta, ut uocant, satisfactiōe, aut propria uoluntate, ut eo officio à Sanctis ipsis certa beneficia obtineant, aut intercessionem eorum apud Deum pro certis beneficiis impetrent. Nam, ut antea ostendimus, Christianum ieiunium preparatio quædam est ueræ & fidelis orationis ad Deum per Christum Dominum nostrum, non opus, quo per se Deus colatur, multo minus quo Sancti demerendi sint. Ieiunio enim humiliamus nos, & rogamus remissionem peccatorum, atq; sanctum Spiritum, quo quæ grata Deo sunt faciamus, quæ tamen ipsa per Christum tantum grata sunt, non nostro merito, quia solus Deus, non Sancti, inuocandus & colendus à nobis est.

Origenes in Leuiticum
homilia 10. cap. 16. Iei-
unia a malis actibus, ab-
stine a malis sermonibus,
contine a malis cogitatio-
nibus. Noli contingere pa-
nes furtiuos peruersæ do-
ctrinæ, non concupiscas
fallaces Philosophiæ ci-
bos, qui te a ueritate sedu-
cunt, tale ieiunium Deo
placet. Athanasius de uir-
ginitate, Non enim qui
tantum ab edulys ieiunat,
ille præstat uirtutem, sed
qui abstinet ab omni ma-
lo opere huic imputatur
ieiunium.

Et quia uera ratio ieiunandi tantoperè deprauata est, & omnis luxuria in cibo & potu tantoperè creuerit, ut multi diebus ieiuniorum admodum seueriter abstineant à cibo, aliquando etiam à potu, ut non nisi aqua utantur, qui postridie statim, & in ipsis festis Sanctorum, ad quæ se ieiunio preparauerant, non uereantur ad ebrietatem usq; potare, et turpiter uiuere, Concionatores, id quod S. Patres fecerunt, maximè urgebunt abstinentiam à peccatis, et ab omni luxu et uoluptatibus carnalibus, atq; hortabuntur ad modestiam et uitæ temperantiam, quod etiam Apostolos legimus fecisse.

Ita poterit populus ad ieiunium uerum et
pium tandem perducī.

DE

DE SACRIS OB- LATIONIBVS



Diligenter hac de re docendus est populus, Christum unicum illud Deo gratum & propiciatorium esse sacrificium, per quod gratiam, salutem, & omnia beneficia à Deo consequimur, ita ut testantur hoc omnes Prophetæ & Apostoli, potissimum uero declarat, docet, & contestatur id Epistola ad Hebræos, à quarto capite in decimum usque.

Christus uerum sacrificium.

Chrysostomus in Epistola ad Hebr. Homilia 17. cap. 9. & Cyrillus ad Reginas de recta fide testantur de unica oblatione.

Sacrificium proprij corporis & animæ.

Porro per Christum offerimus Deo Patri & corpora & animas nostras, acceptum sacrificium per fidem in laudem & gloriam nominis eius. Ad quod nos hortatur D. Paulus Roma. XII. cum inquit, Obsecro uos fratres per misericordiam Dei, ut præbeatiscorpora uestra, hoc est, uos ipsos & totam uitam uestram, hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum uestrum, Et ne accommodetis uos ad figuram sæculi huius, sed transformemini per renouationem mentis uestræ, ut probetis quæ sit uoluntas Dei, quod bonum est, acceptumq; & perfectum.

LACTANCIUS IN EPITOME
diuinarum institutionum.

ostendam quid sit uerum sacrificium Dei, quis iustissimus ritus colendi, ne quis arbitretur aut uictimas, aut odores, aut dona præsentia desiderari à Deo, a quo si fames, si sitis, si algor, si omnium rerum terrenarum cupiditas abest, Non ergo utitur his omnibus, quæ templis atq; fidelibus inferantur, scilicet sicut corporalibus corporale, sicutiq; incorporalibus incorporale sacrificium necessarium est. Illis quæ in usum tribuit homini Deus, ipse non indiget. Et omnis terra sub potestate ipsius, Non indiget templo, cuius domicilium mundus est, non indiget simulachro, qui est & oculis et mente incomprehensibilis, non indiget terrenis luminibus, qui solem cum cæteris astris in usum hominibus potuissent accendere. Quid igitur ab homine desiderat Deus, nisi cultum mentis, qui est purus et sanctus? Nam illa quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem sunt, hoc sacrificium uerum non est, nec quod ex arca, sed quod ex corde profertur, non quod manu, sed quod mente libatur, hæc acceptabilis uictima est, quam de se ipso animus immolat. Nam quid hostiæ, quid thura, quid uestes, quid aurum, quid argentum, quid preciosi lapides conferunt, si colentis pura mens non est? Sola ergo iusticia est quam Deus expetit. In hac sacrificium, in hac Dei cultus est.

Sic gloriatur per Christum Iesum cap. XV. administrasse se Euangelium Dei, ut fieret oblatio gentium acceptabilis sanctificata per Spiritum sanctum. Huiusmodi sacrificium est & illud, de quo Psal. LI. canit. Sacrificium Deo Spiritus contritus, & cor humiliatum, per ueram scilicet agnitionem peccati & pœnitentiam. Nam qui per Euangelium uere Christum agnouerunt, & per Christum Deo se totos deuouere, hi circumuenti à Satana, & à cupiditatibus suis ita uicti, ut in peccata grauiora labantur, & cum propter peccata pœnas Deo dant, & uariis afflictionibus exercentur, offerunt Deo in precibus, quibus gratiam orant, cor pœnitentia delictorum percussum, metu diuini iudicii tactum, & Spiritum humiliatum, atq; contractum. Hos cum Deus rursus consolatur, conscientiam eorum erigit, & liberat cunctis periculis & afflictio-

Sacrificium Spiritus contriti & humiliati cordis et Sacrificium laudis.

DE SACRIS

& afflictionibus, gratias agunt Deo, celebrant eum, offeruntq; sacrificium laudis, fructum labiorum confitentium nomini eius, Hebr. XIII. Quemadmodum Psal. CVII. testatur, commemoratis præcipuis periculis & calamitatibus, quib⁹ Deus homines castigare & exercere solet. Clamauerunt ad Dominum cum affligerentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos, Quare confitentur Domino propter misericordiam eius, & propter mirabilia eius erga filios hominum.

*Sacrificium beneficentiæ
erga pauperes.*

His Sacrificiis precandi, celebrandi Deum, et gratias agendi, coniunctum est Sacrificium beneficentiæ et communicationis erga proximos, et maximè egenos. Talibus enim uictimis placetur Deo, Hebr. XIII. Cùm enim pii à Deo tam ampla beneficia orant, uel si pro acceptis gratias agunt, tum ipsius pietatis natura, atq; adeò proprietas exigat, ut præcipuè in gratiam et laudè Dei, liberales et benefici sint erga pauperes, maximè cùm sciant Dominum hæc officia tanq̃ sibi facta acceptare. Vnde etiam Patribus in ueteri Testamento Deus præcepit, ut tribus illis uicibus et annuis festis, quibus apparere debebant in conspectu eius omnes uiri, ne apparerent ante ipsum uacui, sed offerret unusquisq; secundum quod posset ex ea benedictione, quam à Domino quisq; accepisset, Exod. XXII. et Deuter. xv. Quas oblationes erogari uoluit ad sustentandos Leuitas, alendas uiduas, pupillos, aduenas, et reliquos pauperes. Hinc uetus Ecclesia eum morem retinuit, ut cùm ad audiendum uerbum, et Sacramentorum communionem conueniret, offerrent fideles Domino suas oblationes, et Domino consecrarent in usus pauperum.

Oblationes ueteris Ecclesie.

Ex his locis Scripturæ, et instituto ueteris Ecclesie, Pastores docentur bunt populum, Primum, ut Christi sacrificium agnoscant unicum illud Sacrificium esse propiciatorium et bonæ fragrantia, quod per se Deo Patri sit acceptum, et nobis peccatorum remissionem, gratiam atq; alia Dei beneficia mereatur, et id esse, quod in omnibus legis Sacrificiis adumbratum est, quodque illa omnia Deo accepta reddidit. Quemadmodum etiam Sacrificium nostri ipsorum, et quæcumq; grata Deo officia præstare possumus, Deo approbantur, et accepta sunt propter hoc unicum Christi sacrificium propiciatorium, Extra Christum nihil est gratum, nemo quicq̃ gratum Deo offerre potest extra Christum.

*Omnia Sacrificia nostra
per Christum Deo accepta esse.*

Quamobrem sedulo inculcandum populo est, ne existimet ullo quoduis precioso Sacrificio, uel oblatione posse gratum Deo cultum exhiberi, ex dignitate et gratia, uel rei, uel offerentis, si non id ipsum Sacrificium,

crificium, uel oblatio offeratur, & grata fiat in Christo Domino, per ipsius meritum.

Secundò, ne alia Sacrificia exhibere Deo cogitent, quàm quæ modo commemorauimus, uidelicet Sacrificium sui ipsius, contriti Spiritus, & cordis afflicti propter peccata, Item Sacrificium laudis, & gratiarum actionis pro beneficiis acceptis, cum beneficentia erga pauperes, atq; aliis adiunctis, quæ ad Christi regnum propagandum faciunt. Quare offerre Deo magna donaria, ad ædificanda, ornanda, & ditanda templa, altaria, & monasteria, ultra quàm id ad propagandam religionem Christi conferat, idq; ea falsa opinione, quasi hæc Deo multo magis grata sint, quàm si eiusmodi dona in pauperes propter Christum conferantur, nequaquam ea sacrificia sunt, quæ requirat Deus, aut approbet, sed quibus magis ira Dei prouocetur. Et propterea monendus est populus, corporalia bona Deo offerenda esse, non in alium usum, quàm ut promoueatur Christiana religio, ut instituat & conseruetur sacrosanctum Ministerium, ut cõsulatur necessitati pauperum, ut omnibus suppeditetur, quantum cuiq; ad pie uiuendum opus sit.

Cur Deo corporalia bona offerenda.

Proinde erigere amplas templorum moles, & eas pluribus ornare, quàm conueniat ad hoc, ut decentem locum Ecclesia habeat, in quo conueniat ad audiendum Dei uerbum, communicanda Sacramenta, ad orandum, & ad alia pietatis exercitia, Deo non probatur. Nihil enim hæc faciunt ad ædificationem fidei in Christum, aut proximi salutem, ad quæ omnia Christianorum officia, & bona opera referri debent. Cum summa omnium mandatorum Dei, & finis Legis sit Christus Iesus, ut scilicet eum uerè agnoscamus, & apprehendamus, ita ut nos in illo, & ille uiuat in nobis, Et finis præcepti sit charitas, ex puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata. I. Timoth. I.

Quomodo extruenda et exornanda templa.

Valeat itaq; quod docet D. Hieronymus, ita extruenda esse & ornanda templa Christianorum, ut ex his appareat diuitias & gloriam, nostram esse sitam in Cruce Christi, & nos tali seruire Domino, qui Ecclesiam suam in summa mundi paupertate sine auro collegerit.

Ad Rusticum Monachum et Demetriadē uirginem.

Cū populo ueteris Testamenti alia ratio fuit, qui suos ritus, suas ceremonias, suam politiã, suū in tabernaculo, & templo ornatū habuit, quæ omnia, ubi Christus aduenisset, cessauerunt. Vnum tantum ille populus templum habuit, cui externum aliquem splendorem adhibuit, & interim mandatum fuit, ne ullum inter se mendicum paterentur. Deut. xv.

In extremo iudicio Christus pronunciaturus ultimam de omnibus sententiam, ita dicturus est, Esuriui, sitiui, nudus, peregrinus, infirmus,

l uinctus,

uinctus erā, & ministrastis mihi, quicquid enim uni ex minimis meis fecistis, mihi factū interpretor, ite igitur in regnum Patris mei, quod paratum uobis est ab initio. Eis uero, qui ista officia in minimis suis non præstiterunt, dicet, Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius, De templis uerò & monasteriis extruēdis, & eorū ornatu, nullam mentionem audiemus. Doceant ergo Pastores populum ueros Deo cultus præstare, uerā & uiua templa eius exornare, hoc est pauperibus & afflictis, ueris Christi membris ac fratribus succurrere, ac benefacere, Hoc nō modo Deus ipse præcepit, sed & sancti Patres requirūt à nobis. D. Ambrosius scribit, lib. II. Officior. XX. Si quis expostulanti Domino, cur Ecclesię opes, aurum, & uasa pretiosa non erogarit in usus pauperum, & captiuorum redemptionem, excuset ornatum templorū, atq; dicat, timui ne templo Dei ornatus deesset, auditurum à Domino, Aurum Sacramenta non requirunt, neq; auro placent, quę auro non emuntur, Ornatus Sacramētorum, redemptio captiuorum est, Et uere illa sunt uasa pretiosa, quę redimunt animas à morte, Ille uerus thesaurus est Domini, qui operatur quod sanguis eius operatus est, Tunc inquit uas Dominici sanguinis agnosco, cū in utroq; uidero redemptionem, ut calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Hęc ille li. Off. c. II. Innata uero nobis cæcitas, et rebellio aduersus Deū facit, ut nunq̄ uere ex eius præscripto colam⁹, Et ex ingenita superbia & inhumanitate, & neglectu fratrum nostrorū fit, ut inaniter profusa & perdita, uel nō bene collocata putemus, quę insumuntur in egenos & contemptos coram mundo homines. Itaq; homines eo prolabantur, ut dona sua Deo malint offerre ad orārum lignorum, lapidum, & ossium mortuorum, atq; ad conseruationem nihili hominum, quàm in usus pauperum, cum ille tamen testetur se sibi facta interpretaturum, quęcunq; propter eum contulerimus in pauperes, & largissimè remuneraturum ea in præsentī & futuro sæculo promittat.

Qui fiat ut homines dona sua conferre in ornatum lignorum & lapidum, quam in usum pauperum malint.

Quapropter falsa ista & peruersa opinio carnis grauius taxanda in hominibus, & diligenter corrigenda est, ut illa ingrata Deo Sacrificia omittant, & ueris & Deo gratis Sacrificiis egenis & hominibus afflictis adsint. Et debent Concionatores populum docere & hortari sedulo ut donaria sua, & oblationes omnes in commune Ecclesię gazophilatium conferat, & quidem liberaliter, Et addent non diuitum tantum, sed omnium hominum hoc officium esse, pro modo facultatum, quę cuiq; à Domino concessæ sunt. Obtulit enim Christus se pro omnibus, non minus pro eis, qui tenuioris fortunæ sunt, quàm pro iis qui splen-

Elemosinæ & oblationes in commune Ecclesiæ Gazophilatium conferende.

splendidioris. Omnes ergo gratos esse decet, & memores uiduæ illius pauperculæ, quæ iudicio Christi oblatione quadrantis, plus contulit in Gazophilacium, quàm cæteri omnes. Marci XII.

Nos quoq; Deo uolente, de instituendo Ecclesiæ Gazophilacio, eam rationem inibimus, qua non modo pauperibus, & mendicis succurri possit, sed & stipendia adolescentibus nonnullis bonæ spei constitui possint, qui educentur & instituantur ad Ecclesiæ ministeria.

*De instituendo communi
Gazophilacio Ecclesiæ.*

Quamobrem populum Pastores Ecclesiarum diligenter hortabuntur, ut oblationes suas Domino liberaliter offerat, quoties ad uerbum Domini audiendum, ad sacrum Baptismum, ad cœnæ Domini communionem percipiendam, ad communes preces conuenitur, uel diebus dominicis, uel aliis solennibus festis, cum nuptiæ benedicuntur cum gratiæ Domino aguntur pro iis, qui à morbis restituti sunt, cum pro puerperis quæ egrediuntur è puerperio, & quodocunq; Deus hominibus peculiaria beneficia contulerit, quod et quotidie facit. Quotidie enim Dei beneficiis amplissimis fruimur, Quare etiam quotidie paratissime & nostram gratitudinem piis oblationibus testari debemus, quo ministerium Ecclesiæ semper instaurari, atq; commode sustentari, & omnium necessitatibus benigne succurri queat. Grauis enim & impia ingratitude esset, cum homines ante hæc tempora tam multa liberalissime contulernit, in ligna, in lapides, in mortuorum ossa, in stationarios, in multos alios nullius frugi homines, Sacramenta, et reliqua Ecclesiastica pecunia redimere sint coacti, Nunc in tanta lucæ Euangelii nolle uel paululum contribuere, ad fouendum et augendum necessarium et salutare Ecclesiæ ministerium, ad alendos inopes, membra Christi, fratres nostros, præsertim cum iam à multis superuacaneis impendiis, quæ iam commemorauimus, liberati sint. Magna igitur diligentia populus per Prædicatores auocari debet à superstitionis illis oblationibus, quas consueuit offerre Sanctis mortuis, eorum statuis, ac reliquiis, et ad uera et grata Deo sacrificia, de quibus diximus, instituendus et adhortandus.

*Quando conferendæ obla-
tiones & elemosinæ.*

PRAEMVNITIO ET MANDATVM CONTRA ERRORES ANABAPTISTARVM.



Vltipliciter cum ex uerbo Dei, tum ex historiis rerum Ecclesiasticarum praemoniti sumus, Satanam omnibus modis moliri, ut excitet, & in Ecclesiam inuehat uaria scandala tam doctrinae, quam uitae. Quare & Pastores Ecclesiarum, & Praefecti nostri summo studio aduigilare debent, ut hos perniciosos Satanæ conatus auertant, & frangant, & populum Dei ab omni falsa doctrina seruent, & liberent. Qua in re hoc tempore maxime aduigilandum. Manifestum est plerisque in locis sursum ac deorsum Anabaptistas cursitare, & apud simpliciores miris artibus & dolis sese insinuare, qui etiam non paucos dementarunt, quos irretitos detinent.

Populum docendum esse de articulis, de quibus maxime mouent controuersias Anabaptistæ.

Contra hoc maximè utile fuerit, si Pastores populū sapius doceant de iis nostræ religionis capitibus, de quibus Anabaptistæ potissimum controuersias mouent, & deliria illorum ex uerbo Dei accuratius confutent. Hinc populus certo cognoscens, quàm impia sint illorum dogmata, facile ita praemunitus statuet, necessario fugiendos esse, atque condemnandos dogmatum talium autores, atque quo magis ab impiis istorum figmentis, & blasphemis abhorrebit, eò facilius conseruabitur in studio syncerioris doctrinae, & consensionis Ecclesiasticæ. Quæ diligētior talium locorum tractatio, & copiosior explicatio facit etiam ut uniuersi in Ecclesia de doctrina Christi latius & certius erudiantur, & confirmentur.

Et ut populus contra impia istorum hominum figmenta praemuniti certius possit, clare & perspicue de singulis articulis dicendū sapius, quàm sint noxii & pestilentes, & pleni exitiali Reipub. perturbatione, seditione, atque horribilibus blasphemis in Deū, & sanctū Euangeliū eius. Alia enim faciunt ad euertendam externā politiam, Alia ad confirmandam cæcitatem, et ignorationem peccatorum, ad inflandam fiduciam propriæ iusticiæ, & confirmandum contemptum & uiolationem Sacramentorum, & Sacrosancti ministerii Ecclesiæ. Præcipua itaque ex his populo nominatim exponenda sunt, & sæpe repetenda.

seditionis articuli Anabaptistarum.

Qualia sunt, quòd dicunt, administrare Rempubli. exercere publica iudicia, in facinorosos animaduertere, esse munera & opera aduersa & contraria præceptis Christi, quæ homo Christianus facere non debeat. Item deferre iusiurandum, & facere etiam delatum ab iis qui publi-

publicam potestatem administrarent, uel à legitimis Iudicibus, esse contra Euangelium. Item quòd proprium habere peccatum sit, Quòd debeant omnes Christiani res suas in commune conferre. Item quòd possit Catabaptista uxorem, quæ non approbet eius errores, relinquere, & è contra.

Hos errores constat esse seditiosos, coercendos perinde atq; alia seditiosa consilia, & facta coerceri solent. Quare publici Magistratus hos iusta seueritate punire debent. Pastores uerò & Doctores Ecclesiarum debent populo per Scripturas demonstrare, hæc commenta aduersari Euangelio, & principium habere ex innata hominibus arrogantia, rebellione, & confusione, quæ contra regnum Christi pugnant. Anabaptistæ qui non tenent differentiam spiritualis, & politicæ uitæ, non intelligunt Euangelium de cognitione Dei, & de eius inuocatione in Christo Iesu Domino nostro, & de æterna iusticia docere, & interim non improbare externa illa, edere, bibere cum gratiarum actione, itè ciuilia illa, regere Respublicas, exercere iudicia, bella gerere, milirare, magistratibus obtemperare, coniugium, tenere proprium, laboribus & legitimis contractibus quærere & tueri rem familiarem, ornare artes utiles uitæ, rectè docere iuuentutem, & similia, quæ sunt in piis ueri cultus Dei. Hæc profunt ad pietatem, & ad publicam tranquillitatem, & prodest hanc dignitatem rerum politicarum illustrare, quam cum intelligere cæperint, tum lubentius sese homines ad hanc ordinationem diuinam accommodabunt, & in his officiis fidem exercere discunt, & charitatem, Et ex animo magistratibus obtemperabunt, Atq; quantum in illis, pacem publicam, & honestam uiuendi rationem conseruare & tueri studebunt.

Monasterium falsa dogmata.

Sed præter iam dicta seditiosa dogmata, nonnulli adhuc immaniora protulerunt, quales fuerunt, qui urbem Monasterium occupauerant, qui docuerunt Magistratus ab eis dissentientes abrogandos, & nouam tyrannidem sub nomine regni Christi constituerunt. Quod non solum ad euertendam & uituperandam ordinationem diuinam pertinet, qualis est omnis publica potestas. Rom. xiii. sed etiam peccatum est contra mandatum de celebrando nomine Dei, sub falso diuini nominis prætextu, legitimos Magistratus opprimere, & Euangelium in externam politicam gubernationem transformare. Quam immanitatem quo plausibiliorem facerent, Spiritum sanctum furoris sui auctorem finxerunt, mentientes uisiones & prophetias, quas contra scriptum uerbum Dei, quod plane contemnendum docuerunt, impudentissime attulerunt, Quæ omnia extremæ impietatis, & immanitatis faci-

CONTRA ERROREM

nora sunt, in quæ Deus animaduertere solet horrendis & memorabilibus exemplis, etiam in hac uita, quemadmodum apparuit in his ipsis, quos modo nominauimus, Monasteriensibus. Nam quæ apud hos acciderunt, sunt sane horribilia, & cum iis conferenda, quæ iam inde à constitutione mundi memorabilia euenerunt. Hæc exempla & iudicia Dei tam atrocia, sæua ac tremenda, homines religiose consyderare Pastores diligenter hortabuntur, quibus consyderatis uehementius abhorrebunt, & ab Anabaptistis, & ab omnibus aliis hæreticis, & certius cognoscere atq; constituere discent de uerbo Deo audiendo, quod Deus ipse in Sanctis suis Scripturis adeò benignè nobis proposuit, & mirabiliter etiamnum conseruat, Et uitam omnē ex uerbi præscripto cū summo timore, & pia sollicitudine instituere incipient, cæterus Ecclesiasticas studiose colent, φιλαυτιχῶν, contemptum Ecclesiæ & sacri ministerii abiicient, et alienam functionem et officia non inuadent, Profecto aduersarius noster Diabolus non cessat, neq; dormitat, sed aduigilat, et infinitis artibus et dolis quærit homines uariis imposturis et scandalis à Deo auellere. Quare populus Chiuisti à Pastoribus suis maximo studio, et sæpe adhortandus est ad timorem Domini, et assiduīs precibus, et sana doctrina, et sedula adhortatione in Sinceritate fidei, et communiōne Ecclesiæ retinendus, et in uia Domini deducendus.

Quid præmunire nos contra sectas debeat.

Impia Anabaptistarū dogmata in rebus Spiritualibus.

Alterum genus impiorum dogmatum, quibus Anabaptistæ Ecclesiam Christi oppugnant, est de rebus Spiritualibus. Primum enim negant Peccatum originale, et nolunt agnoscere, quanta immundities, quanta impietas, & in æternū exitialis corruptio, ex lapsu Adæ in nos omnes deducta sit. Deinde, quia non admittunt peccatum et uitium originis, reiiciunt etiam Baptisma puerorum, et maximam partem hominum, quantum in ipsis est, abstrahunt à Deo & ab æterna salute.

Tertio, iactant se iustos esse, & placere Deo, non pure & simpliciter propter Christum, sed propter propriam quandam mortificationem sui, propter sua bona opera, & propter persecutionem, si quam patiuntur. Quapropter multa sibi opera cōminiscuntur, de quibus mandatum Dei non habent, insolenti hypocrisis sese uenditant, reiiciunt dignitatem rerum ciuiliū, et putant illam commentitiam crucem, magnam esse passionem, et quantum possunt, extinguūt doctrinam de fide, docentes confidere propriis operibus.

Quarto, contemnunt externum Ecclesiæ ministeriū, et doctrinam, negant Deum per hæc efficacem esse. Docent expectandas esse priuatas illuminationes, et uisiones, Quamobrem communes Ecclesiæ conciones, et Sacros cæterus populi Christi fugiunt, Sacramentis detrahunt,

hunc, quæ aliud nihil esse uolunt, quàm externæ confessionis et societatis Symbola, ut tesserae sunt Imperatorum in bello, negant esse opera & ceremonias ideo diuinitus institutas, in quibus Dei misericordiam, meritum & communionem Christi agnoscamus, accipiamus, et amplectamur per fidem, et Deum per hæc in animis nostris operari, & ea quæ his signis dona offert, etiam re ipsa præstare credentibus.

Et si uero non omnes Anabaptistæ hæc impia dogmata uniuersa teneant, pauci tamen sunt, qui non plerisque horum imbuti sint. Nec desunt, qui adhuc his tetriora sectentur & doceant.

Contra hos communes errores Anabaptistarum certis temporibus debent concionatores sapius, ut dictum est, populum docere, et explicare eos ipsos locos Sacrae scripturae, propter quos Anabaptistæ præcipuè tumultuantur. Quo officio nõ solum hoc Ecclesiis commo- dabunt, quod cauebunt ne fermentum Anabaptistarum sese latius dif- fundat, & plures corrumpat, sed id etiam effecerint, ut fideles Christi de omni doctrina Christi, & præcipuè de iis capitibus, de quibus isti hæretici controuersias mouent, uberius & certius instruuntur, atq; con- firmantur, de Magistratibus ciuilibus, & dignitate rerum politicarum, de iuramento, de publicis iudiciis, de pœnis, de rerum proprietate, de legitimis contractibus. Et hæc sapius docendo reperere plurimum proderit, ut animi Christi fideiũ muniantur contra Anabaptistarum deliramenta. Hæc omnia diligenter ex Scripturis ostendere, & ex pro- priis testimoniis Spiritus sancti demonstrare populo studebunt, uni- uersam istam rationem ciuilis uitæ, & societatis, & gubernationis indu- bitato traditam & constitutam esse à Deo ipso, esse uerè opera & bene- ficia Dei, quæ ipse suis benedictionibus ornare uelit, quod S. Paulus Roma. XIII. clarè testatur, Et prædicant una cum Mose Prophetæ, et Apostoli omnes, esse mandatum Dei, obtemperare Magistratibus le- gitime constitutis, ne subditi rebelles sint Magistratibus, neue eos lo- co suo derurbare nitantur. Et est hic locus Pauli de Magistratibus ue- rè, propriè, ac diligenter explicandus, propter Spiritus tumultuosos, qui regnum Christi non bene extolli credunt, nisi aboleantur omnes terrenæ potestates, nec libertate per ipsum data se frui, nisi quoduis hu- manæ seruitutis iugum excusserint. Euangelium uero docet & offert regnum Christi Spirituale, hoc est, Christum sedere ad dexteram Patris, & interpellare pro nobis, & dare remissionem peccatorum, et Spiritum sanctum Ecclesiæ, hoc est, credentibus in ipsum, et inuocan- tibus eum. Euangeliũ non solum nihil de uita, societate, aut imperiò ci- uili detrahit, nihil in his turbat, sed ad ritè colendã hanc uitã, cõmunio-

CONTRA ERRORBS

nem gubernationem rerum ciuiliū rectè Deum animat & instruit. Nam efficit in omnibus, qui solidè credunt Euangelio, ut se propter Christum Dominum toto corde omnibus subiiciant, quibuslibet inseruiant & commodent in omnibus rebus, quæ uel ad usum corporis, uel ad societatem ciuilem pertinent. Itaq; in hac ipsa ciuili uita, ac societate, & sub imperio ciuili fidem suam exercent, & charitatis exempla erga proximos, quibuscum uiuunt, ad omnem usum eorum omnibus modis edunt. Quicquid est humanitatis, quicquid comitatis, quicquid ad fidelem & honestam societatem, & communicationem rerum præsentium, quicquid ad conseruandam & ornandam reipub. gubernationem pertinet, uel conducit, id uel soli Christiani rectè intelligunt, & promptissimè præstare student. Ita & dogmata illa, quæ pertinent ad uitam spiritualem, de quibus turbas mouent Anabaptistæ, debent Pastores subinde accuratius & solidius explicare & excutere, ut de Peccato originali, de Baptismate infantū, de iusticia fidei, & hæc ex scripturis Sacris docebunt, ut de peccato originis, quàm horrendum malum sit, quòd humana ratio non uideat ea damnata, quæ hærent in natura hominis, ignorationem Dei, uacare metu Dei, diffidere Deo. Item ratum habere Deum baptismata infantium nostrorum, infantes per baptismum adoptare in filios, et constituere hæredes gratiæ suæ, et uitæ æternæ, Remissionem peccatorum, communionem Christi, consortium uitæ nouæ et beatæ tantum esse in Ecclesia Christi, non apud Iudæos, aut Turcos, aut ullos alios homines, apud quos non prædicatur Euangelium, non administrantur Sacramenta Christi, sed nomen & doctrina Christi potius blasphematur. Hoc cum ita sit, & constet Deum uelle nostri quoq; seminis Deum esse, id est, seruatorem, et uitæ nouæ & beatæ largitorem, qui per Christū scilicet Filii Abrahæ, et hæredes facti sumus promissionis & fœderis, quod cum illo Patre omnium credentium Deus pactus est, Gene. x vii. id quod Paulus firmissimè probat, Galat. III. Efficitur certè, et planum fit infantes nostros, ex nobis peccatoribus natos & perditos, oportere Christo offerri, eique per Baptisma incorporari, quo per eum in Ecclesia peccatis abluantur, et iusticia eius donentur et induantur. Etenim cum apud nos regnum Christi reuelatum sit, et mysterium redemptionis et salutis factæ per Christum multo clarius et plenius exhibeatur et prædicetur, quàm antea (Multi enim Reges et Prophetæ uidere et audire ea optauerunt, quæ nos uidemus et audimus, et non est illis datum) necesse est, ut uel Euangelium Christi et communionem Sanctorum inter se omnium, qui unquam uere Sancti, et Deo grati fuerunt, planè ignorant,

Baptismus infantium quo pacto probandus & ita uiliendus.

rent, uel impio sanè furore in Christum & Ecclesiam eius ferantur, quicunq; non uolunt infantes nostros Sacramento regenerationis à peccatis purgandos, & Ecclesiae Dei inserendos esse, cum infantes ueteris populi eo Sacramento, quod illis tum Deus in hunc usum tradiderat, oportuerit ita Sanctificari, & corpori Christi, quod est Ecclesia inferi. Cur enim nostri pueri minus ad regnum Dei pertineant, quam prioris populi: quando per Christum sanctae radici populi illius insiti, & beatæ pinguedinis huius oleæ participes facti sumus, Roman. XI. Ad hæc potentiore etiam Spiritu Dei donati, Roma. VIII. Atqui tam nos, quam Iudæi, in peccatis gignimur, & opus est per Christum à peccatis nos liberari, & ad uitam Dei perducere, idque in Christi Ecclesia, Non est enim extra Ecclesiam salus, ubi nec uerbum, nec Sacramentum est. Sunt igitur pueri inserendi Ecclesiae, & adhibendum est signum, quod testatur ad eos pertinere promissionem. Et quoniam hoc tempore Euangelium, gratia Dei, et redemptio Christi in Ecclesia multò illustrius & efficacius prædicantur & exhibentur, cum uerbis, tum Sacramentis, quam factum sit apud ueteres, nemo profectò, qui de his ritè admoneatur, nisi planè impius sit, non agnoscat, & infantes nostros baptisinate, Sacramento scilicet regenerationis, mudandos esse et à peccatis abluendos, Christo Domino nostro, & eius Ecclesiae inserendos, in qua Christus efficax est per uerbum, & per Sacramenta, sicut Paulus inquit Ephes. V. Christum dilexisse Ecclesiam, & se ipsum pro ea tradidisse, ut eam sanctificaret, & mundaret lauacro aquæ &c. Non describit Ecclesiam sine signis & sine Verbo. Quare et alio loco dicit. Vnum corpus, et unus Spiritus, unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Quæ certè testantur, hos qui ad Ecclesiam pertinent, signo etiam aliquo externo Ecclesiae insertos esse. De his si homines solidè et subinde diligenter moniti fuerint, Sanctum Baptisma reuerèter habebunt, religiosius ad illud conuenient, et astabunt, et gratiam Dei sibi et infantibus ardentius orabunt, atque purioribus animis, maioreque sanctificatione sui, offerre Christo Domino liberos cum suis, tum totius Ecclesiae studebunt, iuxta uerbum Domini, Sinite paruulos uenire ad me, talium enim est regnum cælorum. Quod suauiusimum dictum Domini nostri liberatoris certiore quoque fide amplectentur, et maiore pietate gratias Deo agent pro tanto eius beneficio. Excitabuntur etiam et inflammabuntur, ut liberos suos Christo insitos, curent maiore diligentia illi et Ecclesiae educare, et ut possint Ecclesie prodesse, eius cognitione imbuere, cumque adoleuerint, ut membra Christi Ecclesiae

Math. 19.

eius

CONTRA ERROREM

eius tempestiue consecrare filios et heredes Dei, et coheredes Christi.

Ad eundem modum explicanda & illustranda est iusticia fidei, collatione commentorum Anabaptisticorum. Ea enim collatio maiorem lucem huic mysterio afferet, Cum clarè scilicet ostendetur, quid intersit inter ueram Christi iusticiam, & istorum hæreticorum hypocrisim. Illa enim quam Euangelium docet, est fide certa apprehendere misericordiam Dei in Christo Domino, ita ut ea sola animus constanter confidat, & filiali fiducia Deum Patrem per Christum inuocet, et studeat eam pro omni facultate Spiritus sancti, quam ab ea perceperit glorificare bonis operibus, quibus proximis modis omnibus prodesse possit. Sed iusticia, quam docent, & in qua se iactant Anabaptistæ, tota consumitur in confictis ab ipsis operibus, & in patientia malorum, quæ nulla pia de causa ipsi sibi uel imponunt, uel accersunt, quod abstinent ab Administratione Reipub. qua tamè eximia beneficia hominibus præstantur, quod reliquã civilem societatem contemnunt, iudicia reiiciunt, militare recusant, commercia & consuetudines reliquas in hac uita necessarias fugiunt, quibus omnibus Christiani fratribus et proximis suis prodesse studebunt, Præterea quod subducunt se etiam ab Ecclesiastica communione, sacros cœtus, doctrinam publicam, & Sacramenta Ecclesiæ, rident, officia proximis suis denegant. Deniq; quod obstinata amentia perferunt profusionem & spoliationem facultatum, exilium, carceres, uincula, flagra, mutilationem membrorum, & uaria genera mortis, propter hæc commemorata, et alia ab eis seditiosè et impiè dicta et facta. Hæc istorum hominum bona opera sunt, hæc illorum iusticia est, Quæ cum Pastores et Doctores Ecclesiæ in Concionibus et priuatis admonitionibus, ad Diuinas Scripturas et germanam conditionem et naturam Christianismi exegerint, et cum uerè bonis operibus et iusticia fidei contulerint, cognitio et studium ueræ iusticiæ in populo Christi mire corroborabitur et accendetur, et fuga, atq; detestatio hypocriseos, et eumentitæ istius iustitiæ phanaticorum hominum confirmabitur.

Ita cum singulari etiam studio exposuerint et commendarint, quod identidem facere debent, quomodo Dominus Ecclesiæ ministerium instituerit, et quàm illud religiosè præstari et excipi uoluerit, quæ ac quanta per ipsum ad salutem nostram efficere, nimirum gratiam suam et Filii sui redemptionem et communionem per hæc exhibere dignetur, homines Sacrum ministerium maiore in precio habebunt, ut utantur eo religiosius, missis inanibus illis illuminationibus & uisionibus, quas homines phanatici expectant et quæren-

et quærendas aliis suadent, publico Ecclesiæ ministerio contempto.

Hanc generalem ac breuem commemorationem & instructionem de erroribus & impiis dogmatibus, & pernicioso Schismate Catabaptistarum uisum est hoc loco inferere, ut Pastores & Doctores Ecclesiarum admoniti & instructi discant, quomodo eos possint reuocare in uiam sanæ doctrinæ, & communionis Ecclesiasticæ, quos deprehenderit à fanaticis illis Spiritibus seductos esse, qui nondum fuerint furore hæretico obstinati, Et eos qui in sana doctrina & consensione Ecclesiæ adhuc perstant, aduersus imposturas & hypocrisim eorum, quos Satanas in hac amicitia tenet penitus obfirmatos, communire, & in synceritate fidei, & communionem Ecclesiæ cōseruare, & ab omni illorum commertio, atq; communionem abstrahere, Quandoquidem sermo eorum, ut cancer, sanam carnem in corpore Christi depascit. At quia hæretici singulari uersutia pollent, & infano quodam studio ad defendenda, & propugnanda impia sua commenta feruntur, Pastores gregis Dominici, ne quis ipsorum ignauia aut imperitia pereat, & ab his lupis abripiatur, instruere se contra illorum Sophismata, & insidias planè diabolicas debent, & lectione Sacrarum literarum & lectione eorum scriptorum, quæ contra hæc à uiris piis et doctis edita sunt hoc tempore.

Hac igitur ratione Pastores contra fraudes et insidias aduigilēt in publicis concionibus, et cura etiā, si opus sit, singulorum, qui illis cōmissi sunt. At quisquis intellexerit esse aliquem in ciuitate, oppido, uel pago, in quo ipse habitat, qui erroribus Anabaptistarum assentiatur, & probare eos ausit, huic ex munere Electoralis dignitatis, quam gerimus, mandamus, ut eum quàm primum indicet Præfecto eius loci, quod & bonum, & Christianum ciuem decet, qui synceritatem Religionis, et salutem Ecclesiæ, omnibus aliis commodis lubenter præferre debet, Præfectis uerò nostris præcipimus, ut eum qui de Anabaptismo, uel accusatus fuerit, uel suspectus erit, ocyus ad se uocari curent, adhibeant et Pastorem et alios idoneos Ecclesiæ Ministros, atque alios uiros pios et probatos. Ibi uel Pastor, uel aliquis ex Ministris, qui ad hanc rem fuerit instructior, debet accusato de erroribus Anabaptisticis proponere ea, de quibus suspectus habeatur, Qui si aliquem errorem cōfessus fuerit, in aliqua tolerabili publica custodia detineri debet, ut opportuno tēpore examinari & doceri plenius possit. Si uero nullum agnoscat, neq; per ueros testes ullius erroris Anabaptistici cōuinci possit, liber est dimittendus. De iis aut, qui fatebuntur se cum Anabaptistis in uno, uel altero dogmate sentire, id obseruari uolumus, Præfectus eius loci, in quo talis fuerit, cum primū licuerit Superintendentē eius Ecclesiæ,

Quomodo & quid agendum cum Anabaptistis.

DE ERRORE ANABAPTISTARVM

fiæ, & alios idoneos ad tale negocium, cum ex ministris, tum ex cæteris probatoribus Ecclesiæ uiris uocabit, Corâ his, & Præfecto Super intēdens eum, qui in aliquod Anabaptisticum dogma inciderit, rogabit nō de eo tantū, quod ipse agnoscit, sed & de præcipuis horū hominum cōmentis diligēter inquiret, de quibus antea præmonuimus, Si deprehendatur, uel periculum sit, eum adhuc aliis insanis doctrinis illaqueatum esse. Nam sunt Catabaptistæ, qui execrandum et dānandum errorem illum iudaicum in pectoribus circūferunt, qui fingunt Ecclesiam ante nouissimum diem, politiam quandam mundanam futurā esse, in qua regnent pii, et armis deleant omnes impios, et occupent omnia imperia. Sunt etiam, qui confundant naturas in Christo, alii tātum diuinā, alii tantum humanā in eo agnoscunt. De his ergo et de aliis, si qui sunt, erroribus, tales homines interrogari accurate debent, et de iis quos agnouerint, diligenter et cum omni lenitate Spiritus Christi admoneri et institui, ac si fieri queat, ab omni errore ad sinceritatē fidei et consensionē Ecclesiæ reduci debēt, idq; debet aliquoties tētari. Agitur, n. de salute eorum, pro quibus, ut ab erroribus reuocarētur, Filius Dei crucē subiit, et acerbissimam atq; ignominiosissimam mortē pertulit, Proinde nullum laborem subterfugere debemus, dum modo ad caulas Christi liceat reducere oues Christi, quæ aberrare cœperint. Tādiu igitur tētandum est, si liberari ab errorib⁹ tales possint, quā diu aliquā spē ex uera et cōsulta charitate superesse intellexerimus, ut proximū lucrifaciamus.

Huic correctioni errantium hominum si Dominus adfuerit, & incrementum suum dederit, ut aliqui ab admissis erroribus resipiscant. Volumus ut ii, qui se reduci in uiam passi fuerint, errorem in quem inciderunt, et omnia impia dogmata, quæ Ecclesiam hoc tempore potissimū infestant, coram illis omnibus, qui in eorum examinatione et cōuersione adfuerint, palàm et disertè abnegent et abiurent.

Si qui autē reiecta pia admonitione et doctrina in impietate sua perstiterint obfirmati, horum causam debet Præfectus eius loci ad superiorem Magistratū deferre, Is tales pro ratione personæ et erroris puniet, uel exilio, uel aliis grauib⁹ pœnis, iuxta legem Imperii et imperialem Constitutionem de his decretam et editam.

Id certè notum omnibus esse uolumus, neminem in nostris ditioribus et locis nostro imperio subiectis tolerandum, qui unum aut plures ex erroribus Anabaptistarum ausit approbare.

Eadem ratione agi uolumus cum omnibus, qui ullum falsum dogma, quod pugnet cum receptis Symbolis fidei nostræ, excitet, spargat, aut probet.

DE ADMINISTRATI
 ONE RELIGIONIS. HOC EST, DE
 TRACTATIONE ET DISPENSATIONE DOCTRI
 NAE, SACRAMENTORVM, ET DISCIPLINAE
 CHRISTI IN ECCLESIA.

ET PRIMVM DE RATIONE ET ORDINE
 SACRARVM CONCIONVM.



IN DOMINICIS ET FESTIS
 diebus Concionatores populo solitam
 Euangelii lectionem recitabunt & expo
 nent, inter administrationem Eucharis
 tię, ut fieri solet, & ex ea de iis potissimum
 populum docebunt, admonebunt, & argu
 ent, quę maxime necessaria, & profutura
 illi ad Christianam uitam intellexerint.
 Et quoniã omnes Sacra Scripturę lectio
 nes nobis de Deo in Christo agnoscen

*Diebus festis pro consueto
 More Euangelium expo
 nendum.*

do, de eius omnipotentia, & misericordia, De pœnitentia, & remissione
 peccatorum in nomine Christi concionentur, facile prudens, & fidelis
 Concinator, ex qualibet lectione illud potissimum deligere & doce
 re poterit, quod ad salutem & ædificationem faciat præsentis Ecclesię.
 Quare Pastores, & Doctores Ecclesiarum fideliter populum curare de
 bent, & certis temporibus periculum facere, quantum in pietate singu
 li promoueat, ubi quisq; adhuc nutet & laboret, an in doctrina fidei,
 an de fiducia misericordię diuinę, an in timore & metu iudicii Dei, an
 uero in patientia, dilectione, uel morum disciplina, quo grauioribus
 semper morbis & uitiis populi, tempestiua & salutaria ex uerbo Dei
 remedia proferre & adhibere possint, ceu ex diuite quodam pharma
 copolio.

*Conciones dirigantur sem
 per in grauiora et uulgatio
 ra populi uita.*

Lectiones Scripturę initio concionum recitatę, diligenter populo
 explicari debent, & quidem semper integre. Nam populo uerbum Dei
 proponendum est, ut illud intelligat, & inde ad pietatem instituat, ut
 quare tantum explicari debet, quantum fuerit prælectum populo, ut
 fructum inde aliquem pietatis capiat. Sed Concionatores, & ministri
 Ecclesiarum id unice studebunt, ut doctrina, & adhortatio, quam ex

*Lectiones Scripturę initio
 lectas, post Ecclesię expli
 candas.*

M propo

DE SACRIS CONCIONIBVS

propositis lectionibus proposituri sunt, semper respiciat ad ea, in quibus populus potissimum laborat, & ea maxime urgere debent, quæ ad emendationem populi, & salutarem institutionem conducere intellexerint, quod & Sanctos Patres fecisse uidemus, qui recitatam Sacram Lectionem primum ordine exposuerunt, deinde in iis præcipue locis docendo, hortando, & arguendo immorati sunt, qui maxime ad institutionem, admonitionem, & correctionem populi faciebant.

Cæterum quia doctrina omnis & adhortatio tum demum recte intelligitur, et in animum altius demittitur, si ex certis & prius cognitis principiis, ceu fundamentis, deducatur, & in iis concludatur, debent Concionatores doctrinam omnem, & exhortationem in concionibus suis ad aliquem Catechismi locum referre, & inde confirmare, ut ad præcepta decalogi, ad articulos fidei, orationem Dominicam, ad Sacramentum, & similia præcipua Scripturæ & Religionis nostræ capita, populo magis nota. Et quia in his summariis tota Christiana doctrina, & quicquid ad pietatem pertinet, consistit, & ea populo utcumque nota & familiaria sunt, magnam adfert lucem doctrinæ, & magis populum mouet, si conciones ad hæc capita, tanquam ad certum scopum, referantur, & ostendatur ad quam Catechismi partem, id quod docent uel monent, pertineat, istud plurimum ad id proderit, ut populus in omni pietate, fide in Christum, & charitate erga proximum, indies magis & magis crescat.

Doctrinam omnem & adhortationem ad præcipuum aliquem Catechismi locum referendam.

Populus in primis de communibus uitæ officiis et uocatione sua monendus est.

Debent Pastores etiam diligenter populum instituere de communibus huius uitæ officiis, & actionibus, pro singulorum uocatione, ut de officio coniugum inter se, parentum erga filios, & è contra, Quid heri famulis, & famuli suis heris debeant, Quo loco habendi Magistratus, curatores Ecclesiarum, et quauis in re præpositi alii, quanta his debeat reuerentia, quomodo uiuendum sit cum præstantioribus, cum æqualibus, & inferioribus, Hæc subinde in concionibus ex uerbo Dei proponenda, & inculcanda sunt, potissimum uero festiuis diebus, quibus frequentior populus conuenire solet. Et diligenter sunt hominibus inculcandæ laudes uitæ politicæ, & præsertim prima ætas magna cura & arte assuefacienda est, ut discat ualdè reuerenter sentire de Magistratibus, legibus, & omnibus rebus politicis. Hæc reuerentia et Reipublicæ utilis est, et nutrix magnarum uirtutum.

Quid Dominicis diebus ad uespertinum conuentum docendum sit.

Diebus dominicis, etiam diebus Festis, in uespertinis precibus debet fieri aliqua exhortatio, quæ est deligenda ex Epistola diei Domini,

nici,

nici, uel Festi, quam, ubi recitata fuerit populo, Concionatores diligenter interpretabuntur. Poterunt, si ita uisum fuerit, aut acta Apostolica, aut Euangelistarum unum, aut aliquam Epistolam Pauli, aut Psalterium etiam ordine populo enarrare, Sed libros Mosis, ueteris Testamenti historias, Prophetas, nullus Prædicatorum, nisi quibus Decani commiserint, explicandos suscipiant.

Volumus etiam, ut Festis & Dominicis diebus, tum matutino, tum uespertino tempore sacri conuentus habeantur, & Sacræ lectiones proponantur, & preces fiant, si per ministrorum copiam fieri poterit, & populus studiosè accesserit. Sic enim cõsuletur melius famulis, & aliis ex plebe, quibus integrum non est semper adesse ad conuentus Ecclesiæ primarios. In matutino conuentu explicetur Catechismus, si comode fieri potest, sin minus, in conuentu uespertino. Nam certa omnino hora diebus Festis tractationi Catechismi assignanda propter rudiores, & propter iuuentutem. Constitui uero ea hora Catechismo debet, quæ sit populo maximè cõmoda. Quin & per septimanam, si non duo dies, saltem unus Catechismo tribuendus est, à Martio ad Nouembrem. Inde usq; ad primum Ver, Catechismus in Profestis diebus poterit omitti, propter pueros ætate rudiores, qui adesse non poterunt propter frigus intensius.

In singulis uero Ecclesiis tales ad Catechismi tractationem eligi debent Ministri, qui ad id maxime & prompti & idonei inueniri poterunt, etiam si non sint Sacerdotes, aut in cæteris ordinariis ministeriis. Cæterum quomodo, & qua forma exponendus sit Catechismus, post dicetur.

In ciuitatibus uolumus et operosis diebus binos singulis diebus haberi Sacros conuentus, in quibus Sacræ lectiones recitentur, cum precibus & Psalmis, si non defuerint Ministri, & à populo impetrari poterit, ut diligenter adsit, Horæ his conuentibus constituantur, quæcunq; populo erunt magis commode.

In pagis, si per populum licet, ter in septimana Sacri conuentus habeantur, in quibus preces matutinæ, & exhortationes ex Sacris literis fiant. Si toties per populi negligentiam fieri non licebit, ut uel semel, uel bis conueniatur curandum erit.

Diebus Dominicis certa hora tribuenda tractationi Catechismi.

Catechista aliqui deligendi.

Quales esse debeant conuentus diebus profestis.

DE SACROSAN CTIS SACRAMENTIS IN GENERE.



Astores & Doctores Ecclesiarum meminerint esse officii sui, magna cura populum docere & instituere, non solum in ipsa Sacramentorum administratione, sed etiam subinde in concionibus, cum locus postulauerit, quid in tractatione, & dispensatione cuiusq; Sacramenti agatur, & exhibeatur, Quomodo se homines ad percipienda Sacramenta præparare debeant, qua item fiducia illa sumere necesse sit, & in quo fiduciam percipiendi beneficii diuini in Sacramentis ponere oporteat, quantumq; studii & Religionis ad Sacramentorum tractationem requiratur, non solum ab iis, qui ipsi utuntur Sacramentis, sed etiam ab iis, qui administrationi eorum, & dispensationi interfunt, maximè uero à Ministris, qui Sacramenta aliis exhibent & distribuunt.

In primis uerò, & sedulo monebunt populum, ut ne existimet consequi se posse gratiam Dei, & communionem cum Christo in Sacramentis, ex uis & merito operis externi, siue eius, qui Sacramenta administrat, siue eius, qui ea sumit, sed tantum uirtute Dei, & merito Christi, qui in suo uerbo & Sacramentis efficax esse uult, & iis qui Sacramenta iuxta uerbum suum uera fide percipiunt, omnia ea indubitato præstare, quæ Sacramentis suis exhibet, & uerbis suis testatur.

DE BAPTISMO.

Baptismus quid.



Baptismus est Sacramentum regenerationis, quo Christo Domino inserimur, incorporamur, sepelimur in mortem eius, induimur ea, atq; efficitur per eum filii, & hæredes Dei. Quare Sacramentum hoc oportet summa reuerentia & Religione tractare & percipere, Ac propterea ea ratio administrandi hoc Sacramentum incundum, & eiusmodi tempus, quo administratur, ordinandum est, ut omnia seruiant ad excitandam & augendam reuerentiam et religionem, quo sacrosanctum hoc Sacramentum pie & salutariter administratur et percipiatur.

Apud

Apud ueteres duobus tantum anni temporibus, Paschæ scilicet & Pentecostes, Baptisma publice administratum est, Quam constitutionem, quia difficile forsitan sit reuocare, uolumus ut Baptisma non nisi Dominicis et Festis diebus, quibus tota conuenire Ecclesia solet, administraretur, siquidem non obstiterit imbecillitas infantium, de quibus metuendum, ne non superesse possint ad proximum diem Festum, quò Eucharistiæ tractatio cum Baptismate coniungatur, & ii, qui infantes ad Baptismum attulerunt, corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, ex more & instituto primitiuæ Ecclesiæ utantur.

Tertullianus de corona militis.

Vt autem religiose & reuerenter omnia cum administrantur, rum percipiantur in hoc Sacramento, parentes infantium Pastoribus Ecclesiarum id maturius significare, & ab iis Baptismum unacum susceptoribus, infantibus suis petere humiliter debent, Vt si uel parentes, uel susceptores, uel utriusque obnoxii sunt manifestis criminibus, à Pastore uel corrigantur, si modo correctionem admiserint, uel si incorrigibiles sunt, à communione Baptismi arceri possint, ne ad iudicium, & cum periculo offendendæ Ecclesiæ, tam diuinæ actioni adstant. Tam enim reos se faciunt corporis & mortis Christi, qui huic Sacramento Baptismi indigne adstant, & infantibus suis non uera fide in Christum illud expetunt, quàm qui corpus & sanguinem Domini sumunt indigne, id est, non iuxta institutionem Christi, absque uera scilicet pœnitentia & fide in Christum. Quare si ad Pastores ueniant petitum Sacrum Baptisma, uel parentes infantium, uel eorum susceptores, qui manifestis criminibus & flagitiis contaminati sunt, hos ad pœnitentiam adhortabuntur, & ut hac uice non intersint administrationi huius Sacramenti admonebunt, ne & sibi ipsis iudicium Dei accersant, & Ecclesiæ sint scandalo. Tales enim propter flagitia sua non habent partem in regno Dei, neque ad Sacramentorum Communicationem admittendi sunt, nisi publice pœnituerint. Si uero parentes in talibus criminibus deprehensi fuerint, cognatos suos, uel alios amicos, qui Ecclesiæ uera & uiua adhuc membra sunt, rogabunt, ut in eorum loco infantibus suis Baptismum petant. Si susceptores indigni Ecclesiæ iudicentur, alii rogandi erunt, de quibus bonum extiterit testimonium.

Baptismum maturius petendum esse parentibus pro suis infantibus.

Qui actioni Baptismi adstare uel adesse debeant, qui non.

Manifestis criminibus polluti, non intersint administrationi Baptismi.

Qui loco illorum parentum aut susceptorum pueris Baptismum expetere debeant.

In petitione uero Baptismi, rogabunt Pastores, an non Baptis-

DE BAPTISMO

Rogandum de Baptismo
qui dari solet infantibus in
periculo mortis.

Quomodo susceptores ad-
monendi ut recte adsint
administrationi Baptismi
& ipsis tum sumere cœ-
nam Domini conueniat.

mum infantes iam receperint, quod fieri solet, dum recens natis mors imminere creditur, Si enim Baptizati fuerint, tum Pastores ea, quæ paulo post de huiusmodi infantibus subiicientur, facere debent, Sed si baptizati non sint, uel non certo, uel non ut oportet, baptizati, & parentes & susceptores non rei fuerint criminum eorum, propter quæ essent à Baptismo arcendi, moneri à Pastoribus diligenter debent, de immenso beneficio regenerationis in Christo, quod pueris expetunt, item de horribili lapsu & reatu, unde infantes per Christum Iesum in Baptismo liberantur. Deinde hortantur illos, ut religiose adsint primum Exorcismo & Catechismo, deinde etiam administrationi Baptismi, Postremo, ut simul utantur Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, Hoc enim fieri decet non ideo tantum, quòd membra sunt Christi, & a symbolos adesse mensæ Domini non oporteat, uerum etiam, quòd indignum sit infantibus communionem Christi petere, & suscipere in Baptismate, & sibi ipsis non eam sumere Sacramento, quo illa ipsis quoque offertur, Non enim, si uera fide communionem Christi infantibus in Baptismate petunt & percipiunt, poterunt sibi ipsis eandem non petere, & oblatam in Sacramento non cupide excipere.

Veteres hoc Sacramentum Cœnæ Domini etiam infantibus una cum Baptismo administrabant, sed cum non sine causa mos ille exoleuerit, congruit, & omnino ex officio est pietatis, parentes unà cum susceptoribus & cognatis, qui sanctissimum Sacramentum regenerationis suis infantibus accipiunt, cœna Domini singulari Spiritus desyderio uti, ut & sibi Christi communionem accipiant, quam pro infantibus in Baptismo susceperint. Quod & ad aliorum, imo totius Ecclesiæ ædificationem confert, & Sacram Christi communionem cæteris commendat.

Catechismus cum Exorcismo tractandus pridie diei quam Baptisma administratur.

Vt ergo diligentius & maiore religione omnia in administratione Sacri Baptismatis gerantur & perficiantur, uolumus, ut ubicunque id commode fieri poterit, Catechismus parentum, & susceptorum, item Exorcismus infantium exhibeatur, pridie eius Festi, uel Dominici diei, quo Baptisma exhibendum erit. Cum enim Baptisma administrari debeat in summa Liturgia, dum tota Ecclesia collecta est, conuenit in his Sacris actionibus utriusque Sacramenti, eam adhiberi moderationem, quæ conducat religioni populi
excitantur

excitandæ, non prebeat prolixitate occasionem aliquam negligentia
uel pio animi ardori minuendo. Quare ubi id licebit, utile fuerit actio-
nem Catechismi et Exorcismi, more ueterum, ab actione Baptismi
tempore seiungere. At ubi populo, uel quòd plerique à templo longi-
us habitant, uel alia iusta de causa, commodum adesse non fuerit,
ibi licebit Catechismum et Exorcismum cum Baptismo simul admi-
nistrare.

Istud tamen Pastores, quantum omnino fieri potest, studebunt,
ut sanctissimum hoc Sacramentum Baptismi, quod est prima ado-
ptio, susceptio, & ingressus in Regnum Christi, non nisi coram uni-
uersa Ecclesia, et summa cum grauitate et religione administretur
et percipiatur.

Quando igitur Catechismus et Exorcismus, pridie quàm Baptis-
mus administratur, habebuntur, infantes deferantur ad uespertinum
conuentum, in quo alioqui populus propter instans festum, uel ce-
lebrationem Dominicæ diei adesse solet, parentes & cognati exem-
plo Sanctorum ueterum cum susceptoribus adesse simul, et deduce-
re ad templum suos infantes debent, Quibus congregatis et aliis,
debent Pastores et Ministri, his, qui infantes attulerint, et toti re-
liquo populo, singulari grauitate et religione, primum exponere per-
spicue mysterium S. Baptismatis, et ingentia Dei beneficia, quæ in
illo exhibentur. Deinde exhortabuntur illos ad piam et fidelem
perceptionem tanti Sacramenti, et beneficiorum Christi adeo inæ-
stimabiliū. Tum requirent à parentibus, et susceptoribus infan-
tium renunciationem Satanae et mundi, et confessionem præcipuo-
rum articulorum Fidei, et Religionis nostræ, quam illi confessionem,
et renunciationem clarè & grauitè coram uniuersa Ecclesia facere
debent.

FORMA CATECHISMI, HOC EST,
INSTITUTIONIS, EXHORTATIONIS, ET
interrogationum ad susceptores, et omnes eos
qui infantes ad Sacrum Baptisma adferunt.

Primum omnium Pastor adstantibus sibi reliquis Ministris ita
eos, qui infantes ad Baptismum offerunt, exhortabitur.

Dilecti in Christo Iesu, quotidie ex uerbo Dei audimus, & propria
experiētia discimus, tam in uita, quàm in morte, iam inde ab Adæ lap-
M iiii su nos

*Adhortatio & institutio
de Baptismo.*

DE BAPTISMO

*Adhortatio & institutio
de Baptismo.*

*Comminatio peccati ori-
ginalis.*

*Dominum iussisse paruos
sibi adduci.*

Math. 19.

*Quid & quomodo oran-
dum à Domino pro infan-
tibus baptizandis.*

su nos omnes concipi, & nasci in peccatis, esse reos iræ Dei, & damnatos propter Adæ delictum, nisi liberemur morte, & meritis Filii Dei Christi Iesu, nostri unici liberatoris. Cùm itaq; præsentés hi infantes communi nobiscum sorte nati sint, dubium non est, quin & ipsi peccato et originali morbo commaculati sint, atq; obnoxii æternæ morti, & damnationi. Sed Deus Pater pro ineffabili sua clementia, & misericordia ergà genus humanum, Filium suum misit, ut mundum seruaret, quare etiam & hos infantes seruatos uult. Ille peccata totius mundi tulit, et tam paruulos, quàm nos adultos à peccatis, morte, Diabolo, et æterna condemnatione liberauit & saluos fecit, qui uoluit sibi offerri paruulos, ut iis benedictionem impartiretur. Quare pro Christiana pietate uestra, hunc puerum assumite, & ad Christum adducite, et offerte piis uestris precibus, quò peccatorum suorum ab illo consequatur remissionem, transferatur in regnum gratiæ ereptus à Tyrannide Satanae, & constituatur heres æternæ salutis. Et uobis certissimum sit, Dominum nostrum Iesum Christum, hoc opus charitatis uestræ erga hunc infantem clementissimè respecturum, & preces uestras exauditurum, quia ipse suo uerbo mandauit, Sinite paruulos uenire ad me, talium est enim regnum cælorum. Quapropter dilecti hortor et obsecro uos, quotquot adestis, ut magnitudinem huius actionis, atq; operis, quod agimus, religiose uobiscum expendatis, Videtis enim, quàm miserabiliter Ecclesia infantulos istos imbecilles, et omni uirtute destitutos, huc supplex, sed tamen constanter afferat, Quò sanè opere clare confitetur eos esse filios iræ Dei, peccati, & æternæ mortis; Proinde piis uotis, & ardenti oratione pro eis orat, gratiam et auxilium Dei impetrare eis cupiens, quò per Baptismum renati ex Deo, filii Dei efficiantur. Ne putetis igitur leue quiddam, et puerile quid tractari in hac Sacrosancta actione, qua bellum suscipitur cum Satana, qua non tantum ille ab infante expellitur, sed infans Sacramento astringitur, quò cum hoc semper, ut cum Regis sui Christi hoste beligerari debeat, ad extremum usque Spiritum summa contentione pugnare. Quare magna cum fiducia, et ardentissimis precibus inuocandus est Deus, ut non modo è potestate Satanae liberare, sed et confirmare, et defendere uelit hunc infantem, ut in omni uita, et maximè in ipso mortis articulo consistere, et fortiter repugnare illi possit.

Quamobrem et uos animos uestros tollite, et cogitate hic præcipua religione uerbum Dei uobis audiendū esse, uiua fide inuocandum
Deum

Deum, & grauissima de causa ad orationē hic inuitari uos. Ita ergo agite, ut Deus religionem uestram uideat, eamq; approbet, nec committite, ut sacratissimum hoc Sacramentū Baptismatis per uos indigne tractetur, & Satanæ ludibrio fiat, atq; Deus contumelia adficiatur, qui tantas hic diuitias gratiæ suæ effundit. Nam ipse uocat hoc Sacramentum lauacrū regenerationis, quo nos è tyrannide Diaboli, peccati, mortis, et inferni ereptos, filios suos efficit, & hæredes uitæ æternæ, participes omnium beneficiorum suorum, quia coheredes Christi sui.

Quãtas res Deus in Baptismo nobis conferat.

Quarè per Deum, & salutem uestram uos obtestor, ut tam superabundantem gratiam Dei, quæ hoc Sacramento exhibetur, dignè estimetis, & cum summa animi gratitudine amplectamini, quandoquidem Baptismus magna est nostra consolatio in periculis, & afflictionibus, estq; aditus primus ad omnia beneficia Dei, ad beatam sanctorum omnium societatem.

Vt igitur præsentiore animo, & religione maiore ineffabile hoc Dei beneficium expendamus, initio uidendum nobis est, in quanta mala nos Adæ lapsus coniecerit, Et econtra, quàm immensam gratiam Deus humano generi per Filium suum exhibuerit in eo, quòd per Baptismum nos ab iis redemerit, Et tertio, quòd semper nobis in conspectu esse debeat in omnibus periculis tanta Dei misericordia, quantisque cum laudibus celebrari conueniat Dei gratiã, quam per Baptismum accepimus.

Tria in Baptismo expendenda.

Primum ergò diligentissime expendendum est, omnes nos per peccatum Adæ, & Satanæ inuidiam obnoxios iræ Dei, adeoq; damnatos nos esse, sub potestate & regno Diaboli, detineri sub morte, peccato, & inferno captiuos, adeò ut nos natura filii iræ, nullis uiribus humanis, nullis uirtutibus, uel operibus Deum placare potuerimus. Quicquid enim in nobis, item omnia opera nostra, propter uitiatam naturam maledicta sunt à Deo, & subiecta tyrannidi Satanæ.

Quanta corruptio humani generis, & miseria propter lapsum Adæ.

Cùm enim per inobedientiam primi parentis Adæ (à quo in naturalem hanc, et terrenam uitam progeniti sumus) omnes rei & maledicti à Deo nascamur, adeo ut omnes in eo mori necesse sit, & terrenam imaginem eius in mortali hoc corpore circumferamus, sequitur totam uitam, & omnes actiones naturæ nostræ ita corruptæ, damnatas à Deo esse, quantumuis etiam speciosissimæ et sanctissimæ coram hominibus appareant. Quicquid enim ex carne natum est, caro est, hoc est, alienum à Deo, repugnans Spiritui, et addictum morti, et gehennæ. Quapropter caro et sanguis non assequen-

Galat. 3.

Ioan. 3.

1. Corinth. 15.

DE BAPTISMO

Rom. 8. assequentur regnum Dei. Quicquid enim caro est, carnalia sapit, et uiuit, Est inimicum Deo, nam Legi Dei non subditur. Quare qui carnales sunt, Deo placere non possunt, Sapientia carnis mors est. Quare Dominus noster Christus cum Nicodemo disputans ita concludit, Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.

Quam opulenta gratia Dei collata in Baptismo. Tit. 3.

1. Pet. 3.

Secundo cogitandum quam opulenta sit gratia diuina collata nobis in Baptismo, in quo uerè apparet eius erga nos benignitas, et *φιλανθρωπία* quòd non ex operibus iusticiæ, quæ nos fecissemus, sed secundum suam misericordiam per lauacrum regenerationis, et renouationis Spiritus sancti saluos nos faciat. Hic enim uirtute uerbi sui abluuit, et extinguit, quicquid reos nos facit & dānat, Quemadmodum olim in mari rubro hostes populi sui submersit, atq; per diluuium perdidit totum humanum genus, exceptis octo animabus, quæ in arca seruatae sunt, Ita lauacrum hoc aquæ, nos per uerbum saluat, non ablutione sordium in carne, uti in aliis lotionibus fieri solet, sed stipulatione bonæ conscientie erga Deum, per resurrectionē Iesu Christi. Virtute enim patris diuini in conscientis mundamur, & certi reddimur & uerbo & externo signo, peccata quæ nos polluebant & damnabant, omnia esse planè abolita, quia remissa & mortua. Itaq; ex Baptismate certò statuimus, nos Deo acceptos, & fœdere gratiæ sempiterno ei coniunctos esse, adeò ut nihil ab ipso seiungere & damnare possit. Quare porrò non modo fugere peccata, sed etiam extimescere, & abhorrere ab eis debemus, non aliter atque ab inferno, ut qui peccatis mortui sumus, Omnes enim, teste Paulo, qui in Christum Iesum baptizati sumus, in mortem eius baptizati sumus, consepulti cum illo per Baptismum in mortem, Proinde peccatis, & toti ueteri homini mortui sumus, et perducti in Christo eò, ut nihil condemnare, uel à gratia Dei separare nos possit, Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato, non amplius tyrannidi peccati mortis & inferni subiectus, etiamsi adhuc peccati in carne reliquias sentiat, tamen eæ non imputantur ad condemnationem, propter iustificationem Spiritus in Christo.

Rom. 6.

A Baptismo peccatum in nobis mortuum esse & non damnare.

Rom. 6.

Rom. 6.

Baptismus nouam uitam in nobis operatur.

Rom. 6.

Præterea Baptismus nouam uitam operatur in nobis, et acceptam Deo, Vt enim Christus à mortuis resuscitatus est per gloriam Patris, ita efficit suo in nobis Spiritu, ut et nos in nouitate uitæ ambulemus, Nam si insiticii facti sumus illi per similitudinem mortis eius, certè & resurrectionis participes erimus in uitam æternam, illud scientes quòd uetus ille homo cum illo crucifixus est, ut aboleretur corpus peccati, ut posthac non seruiamus peccato.

Quare

Quare reputemus nos peccatis reuera mortuos esse, et Deo uiuere in Christo Domino nostro, in quo & circumcisi sumus, circumcissione, quæ fit sine manibus, dum exuimus corpus peccatorū, per circumcissionem Christi, Cum illo sepulti sumus per Baptismum, in quo simul etiam cum illo resurreximus per fidem operationis Dei. Deus etenim qui Christum à mortuis resuscitauit, nos unà cum eo conuiuificauit cum peccatis etiam mortui essemus per præputium carnis nostræ, seu carnalis uitæ. Quam̄ enim uita nostra in Deo abscondita sit cum Christo, tamen cum Christus uita nostra apparuerit, tunc & nos simul cum illo manifestabimur in gloria, ut quos pro ingenti sua misericordia clementer regenuit Deus in spem uiuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, & immarcescibilem, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, uerbo scilicet Dei uiuo, per quod Baptismus consistit, & omnia iam dicta efficaciter & reuera in nobis operatur.

Coloss. 3.

Ephes. 2.

Coloss. 3.

1. Pet. 1.

Tertio, de tanta amplitudine gratiæ Dei, et beneficiis per Baptismum collatis nos consolabimur, et semper gratias Deo agemus, idque est studiosius, quo grauioribus premamur calamitatibus, confirmandes hinc fidem nostram, Deum quam̄ non uisibili modo, tamen uirtute Baptismi per uerbum & Spiritum efficacem esse in nobis, mortificare ueterem, & instaurare nouum hominem. Quare confirmemus conscientias nostras, nos Deo cure, & ei propter meritum Filii sui gratos & charos esse, & cum rebus aduersis agitatur, & exercemur uariis ærumnis, cogitandum erit baptizatos nos esse, & Baptismo per meritum Christi omnia peccata & mala nostra deuicta & mortua esse, indiesque magis ac magis per crucem, & uarias afflictiones, quas nobis Dominus mittit, confici & aboleri, & nouum hominem in nobis uirtute resurrectionis Christi, continuo renouari, & instaurari. Merito itaque Deo pro tam ineffabili sua misericordia agendæ gratiæ sunt, atque simul orandum, ut opus suum, quod cœpit in nobis, & omnibus, quos ad Baptismum uocauit, semper promouere, ac perficere tandem dignetur. Tales exhortationes uel breuiiores, uel longiores, pro temporis ratione concionatores habebunt, ex dictis et aliis Scripturæ locis, quibus subiicientur interrogationes sequentes.

Quomodo Baptismo confirmanda fides.

INTERROGATIONES AD SUSCEPTORES ET PARENTES INFANTIVM.

C Reditis uera esse, quæ modo uobis ex uerbo Dei proposita sunt, de corruptione naturæ per peccatum originale, de regeneratione

DE BAPTISMO

generatione in Christo Domino nostro, & communionem æternam cum Deo, quæ exhibetur per Sacrum baptismum:

Respond. Credimus.

Petitis ergo ex animo & uera fide, infantem hunc uestrum, per uos Christo adductum & oblatum, à tali naturæ corruptione, per meritum & uirtutem Christi in Baptismate liberari, reconciliari Deo, & in nouam atq; perpetuam uitam regenerari:

Respond. Petimus,

Renunciatis igitur & uestro & infantis nomine Diabolo, atq; omnibus eius operibus:

Respond. Renunciamus.

Etiam mundo, & omnibus concupiscentiis eius:

Respond. Renunciamus.

Creditis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ:

Respond. Credimus.

Et creditis Deum uelle & uobis, & huic infanti, cum Baptizatus fuerit, esse Patrem, & omnipotenti sua uirtute, sapientia, & misericordia uelle uos ab omni malo seruare, atq; omnibus beneficiis cumulare, ac propterea supra omnia uobis timendum eum, & diligendum esse:

Respond. Credimus.

Creditis in Dominum nostrum Iesum Christum Filium eius unicum, qui, ut redimeret nos, factus homo est, passus, & mortuus, atq; à morte resuscitatus est, ascendit in cœlos, sedetq; ad dextram Patris, ac regit inde Ecclesiam suam, uirtute omnipotenti, rediturus in fine mundi omnibus conspicuus, iudex uiuorum & mortuorum:

Respond. Credimus.

Ex hac fide Dominum nostrum Iesum Christum etiam uestrum, et huius pueri Saluatorem esse confitemini, qui morte sua uestra quoq; peccata expiauerit, et Resurrectione sua uos Deo reconciliauerit, atq; iustificauerit, et Spiritu suo omni tandem peccato perpurgatis, diuinam in uobis imaginem, et uitam plenè perfecturus sit:

Respond. Confitemur.

Creditis et in Spiritum sanctum, sanctam et Catholicam Ecclesiam, Communionem Sanctorum, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, et uitam æternam:

Respond. Credimus.

Et ex hac confessione creditis spiritum sanctum etiam uestrum, et infantuli huius doctorem, et consolatorem uelle esse, et uos uera corporis Christi Domini nostri, atq; Ecclesiæ eius membra esse, et puerum

rum huic per Baptismum, Christi atq; Ecclesiæ membrum fore, in quo habiturus sit remissionem peccatorum, certam spem resurrectionis, & uitæ æternæ:

Respond. Credimus.

Vultis ergo infantem è Baptismo suscipere, & habere pro uero filio Dei, fratre & membro Christi, atq; primum ubi ad usum rationis peruenerit, si forte parentibus orbatus fuerit, uel illi hac in re negligentes extiterint, curam eius habere, quo Decalogum, & articulos Fidei, & orationem Dominicam, Sacramenta, perdiscat, tum domi tum in Ecclesia, quo à primis statim annis mysterium Baptismi, & collata sibi in eo Christi beneficia intelligere incipiat, ac inde cum de Religione Christi satis institutus fuerit, fidem suam in Ecclesia suo ore confiteatur, & se Communicatione Christi, obedientiæ erga Deum atq; Ecclesiam ipse addicat:

Respond. Volumus.

Hic rursus Pastor, parentes, & circumstantem multitudinem adhortabitur.

Quod igitur dilecti hic in conspectu Dei, & Christi Seruatoris, qui inter nos est, & coram Ecclesia eius sancta promissistis, id summa fide & diligentia meminertis præstandum esse, Vosq; singuli, parentes, susceptores, & cæteri adstantes, infantulum hunc post acceptum Baptismum ut filium Dei agnoscite, ut membrum Christi Iesu habete, cui Angeli ministri adsint, & inseruiant, nec dubitate, quicquid aut boni, aut mali, huic quàmuis infirmo infantulo exhibueritis, hoc uos Deo, & Christo Domino exhibere. Nullius ergo laboris uos pigeat, quin quisquæ pro suo loco, pro sanguinis coniunctione, & uocatione hunc curet Domino piè & religiose educandum, & instituendum, quò seruare tandem possit omnia, quæ Christus seruator nobis præcepit. Pertinet igitur ad uos, qui à Deo dati estis huic infanti parentes, cognati aut susceptores, ubi primum excreuerit, curare, ut ad scholas, ut in Ecclesiam ducatur, quò in Christi mysteriis, & in aliis instituatur plenius, quò gratiam & immensa Dei beneficia, in Baptismo collata intelligat, suæ fidei rationem coram Ecclesia reddat, Diabolo & mundo cum omnibus concupiscentiis, ipsa se renunciet, Christo Domino nostro, & Ecclesiæ eius, sese consecrare in omnem obedientiam studeat, iuxta Euangelium eius, atq; ita in Christo Domino nostro, usq; in finem perseueret, atq; in nouitate uitæ perpetuo proficiat, ut uiuum Christi membrum,

DE BAPTISMO

& in uite hac palmes fecundus fructum copiosum ferat omnium bonorum operum, ad laudem Dei, & Ecclesiae aedificationem.

SEQVITVR EXORCISMVS.

Hic Pastor ad ferri infantem propius iubebit, & de nomine interrogabit, quo cognito dicet. Edico in nomine Domini nostri Iesu Christi omnibus malis Spiritibus, ut ab hoc infante recedant, & nihil mali illi ullo modo inferant.

Post pollice signata in fronte, & in pectore figura Crucis, dicat.

Accipe signum sanctae Crucis in fronte, ut nunquam te Dei, & Christi tui Seruatoris, uel Euangelii eius pudeat, accipe & in pectore, ut uirtus Christi crucifixi tibi perpetuo praesidio sit, & certa in omnibus rebus protectio.

Hinc addat ad populum-

Dominus uobiscum.

Respondeat populus.

Et cum Spiritu tuo.

Pastor.

Oremus. Omnipotens, & aeternae Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, inuoco te super hoc N. famulo aut famula tua, cui Ecclesia Sacramentum Baptismi, & in eo gratiam tuam & regenerationem spiritualem petit, Et ut dixisti. Petite, & accipietis, quaerite, & inuenietis, pulsate, & aperietur uobis, ita impartias huic gratiam, & misericordiam tuam, quemadmodum Ecclesia tua orat, ut consequatur redemptionem Filii tui, & haereditatem aeternae & beatae uitae, quam ei Ecclesia tua per Baptismum quaerit, Aperi ei ostium regni tui, ad quod pro eo Ecclesia tua pulsat, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus. Pater omnipotens Deus, qui olim impium mundum horribili iudicio tuo per diluuium perdidisti, & solam familiam pii Noe, octo tantum animas, pro ineffabili misericordia tua conseruasti, & qui obduratum Aegyptiorum Regem Pharaonem cum omnibus copiis, & uirtute eius bellica submersisti in mari rubro, populumque tuum Israheliticum siccis pedibus transire fecisti, & in his lauacrum regenerationis Sacrum Baptisma adumbrare uoluisti, Praeterea Baptismate filii tui Christi Iesu Iordanem, & caeteras aquas ad sanctam demersionem, atque ablutionem peccatorum consecrasti. Rogamus te pro immensa misericordia tua, infantem hunc propitius respice, ue-
ram

ram illi fidem, & Spiritum sanctum tuum dona, ut per hoc sacrosanctum diluuium in eo submergatur & pereat, quicquid ex Adamo sortium contraxit, ut ex impiorum numero segregatus, in sancta Ecclesia tuae arca tutus seruari possit, & nomen tuum alacri, & feruenti Spiritu semper confiteri, & sanctificare, & regno tuo constanti fiducia, & certa spe inseruire, quò tandem cum piis omnibus promissionem æternæ uitæ assequatur, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Pastor. Dominus uobiscum,
Populus. Et cum Spiritu tuo,

Audite Sacrosanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi.
Marci X.

In illo tempore, Attulerunt ad Iesum pueros, ut tangeret illos. Discipuli uero increpabant eos, qui adducebant. Cum uidisset autem Iesus, indignatus est, & dixit illis, Sinite paruulos uenire ad me, ne prohibete illos, talium enim est regnum Dei. Amen dico uobis, quicumque non acceperit regnum Dei tanquam puer, haudquaquam ingredietur in illud. Et cum cœpisset eos in ulnas, impositis manibus super illos, benedixit illis.

His uerbis & huic factò Domini nostri Iesu Christi super illos, fidem habete, nec dubitate, eum & uestros infantes sic in sacro Baptisma te suscepturum, & complexurum esse ulnis misericordiæ suæ, & benedictionem uitæ æternæ, & sempiternam regni Dei Communionem eis collaturum, Hanc uobis fidem confirmet, & augeat idem Dominus, & seruator noster Iesus Christus, Amen.

Posthæc Pastor manus super pueri caput imponet, & susceptores tangentes puerum, una cum eo orabunt.

Pater noster qui es in cœlis &c.

Tum & symbolum recitabunt.

Credo in Deum Patrem omnipotentem &c.

Posthæc canet Ecclesia Psalmum CXIII. item CXV. & CXXXVI. In exitu Israhel. Non nobis. item, Laudate nomen Domini
Laudate serui Dominum.

Pastor Dominus uobiscum,
Populus Et cum Spiritu tuo,


N ii Oremus

DE BAPTISMO

Oremus, Omnipotens & æterne Deus, Pater cœlestis, gratias agimus tibi æternas, quòd ad hanc agnitionem gratiæ tuæ, & fidei erga te nos uocare dignatus es, Auge & confirma hanc fidem in nobis perpetuo, Da huic infanti Spiritum sanctum tuum, quo regeneretur, & hæres fiat æternæ salutis, quam Ecclesiæ tuæ sanctæ, pueris simul & senibus propter Christum ex gratia & misericordia tua promifisti, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum uiuit & regnat nunc & in perpetuum, Amen.

Ita Ecclesiam data benedictione dimittat.

DE ADMINISTRATIONE BAPTISMI.

equenti die infantes pridie exorcisati, iterum ad Ecclesiam sub officium cenæ Domini adferantur, quos ibi Pastor post recitatum & enarratum Euangelium, & decantatum symbolum iubebit ad baptisterium exhiberi, & sequenti modo parentes, susceptores, & reliquos cognatos astantes, simul & uniuersam Ecclesiam adhortabitur.

Dilecti in Christo, hesterno die gratia Dei audiuius, quàm immensa & ineffabilis misericordia in Baptismo exhibeatur. Satanæ & mundo renunciaſtis, fidem Christi estis confessi, & obedientiam Christo & Ecclesiæ promifisti, & petiisti à Deo Patre, ut propter Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, infantes hos eripiat è regno tenebrarum, & cõstituat in regno Filii sui dilecti, Horum meminisse uos oportet, & non dubitare, nos hæc omnia, quæ petimus certo esse accepturos, si credimus. Tollentes ergo nunc mentes uestras ad Dominum, summa religione hic apparete, tanquàm in conspectu Dei omnipotentis, Patris, Filii, & Spiritus sancti, beneficiumq; regenerationis, atq; adoptionis in uitam æternam ab ipso uno Deo, & Seruatore nostro, Patre, Filio, & Spiritu sancto, certa fide et cum gratiarum actione excipite. Et quoniam ipse Dominus iussit baptizare nos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, indubie ipse Deus noster infantes nostros baptizat, à peccatis emundat, ab æterna morte liberat, sua ipsius iustitia induit, et donat æterna uita. Hæc immensa Dei beneficia uera fide agnoscenda nobis, et perpetuo celebranda sunt,
Quare

Quare quò fidem, atq; animos nostros excitemus, audiamus hac de re uerba D. Pauli sequentia.

Ad Titum capite III.

AT postquam bonitas, & erga homines amor apparuit Seruatoris nostri Dei, non ex operibus iusticiæ, quæ faciebamus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter, per Iesum Christum Seruatorem nostrum, ut iustificati illius gratia, hæredes efficeremur iuxta spem uitæ æternæ, Indubitatus hic sermo est.

Pastor.

Dominus uobiscum.

Populus.

Et cum Spiritu tuo.

Ex Euangelio Matthei Capite ultimo.

DIxit Dominus Iesus discipulis, Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra, Euntis ergo in uniuersum orbem, prædicate Euangelium omni creaturæ, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunq; præcepi uobis. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur, Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi. Marci 16.

Pastor.

Dominus uobiscum,

Populus.

Et cum Spiritu tuo.

O Remus, Omnipotens & misericors Deus, & Pater, tu Abrahamo, nostro & omnium credentium patri, & in eo nobis quoq; filiis eius promifisti, te nobis & semini nostro uelle esse Deum. Quare ut infantes ueteris populi tui per Circūcisionem in gratiam, & in populum tuum recepisti, Et Filius tuus Christus Iesus, Dominus & Seruator noster, paruulos oblatos sibi clementer admodum admisit, & benedixit, testatus talium esse regnum cælorum, Ita uoles nostros quoq; infantes regenerare, & adoptare tibi in filios, in consortium uitæ æternæ per Sacramentum Baptismatis. Da ergo cælestis Pater, ut tantas diuitias gratiæ in Baptismo propositas, pro his infantulis ex animo petamus, & uerbo & Sacramento tuo oblatas uera fide agnoscamus, & excipiamus, perpetuo tibi pro his gratias agamus, & te celebremus. Et ne imputes his paruulis peccatum Adæ in eis per parentes propagatum, & innatum, neq; parentum ipsorum, & totius huius populi,

DE BAPTISMO

puli, sed ualeat in illis mors & meritum Filii tui Domini nostri Iesu Christi, & huius iusticiam atq; obedientiam eis imputa, Inlere eos morti, & resurrectioni eius, Fac eos corporis eius membra, eo illos in due, ut filii & hæredes tui fiant, & perseuerent in æternum. Dona etiam nobis, ut post Baptismum, eos pro filiis tuis, & corporis Filii tui membris agnoscamus, in timore tui ad gloriam tuam pie educa- mus, in omnibus rebus corporalibus & spiritualibus adiuuemus, ut etiam per eos Nomen tuum sanctum magis celebretur, Regnum Filii tui propagetur, Voluntas tua in hac terra fiat, quemadmodum in cœ- lo. ad hæc conserua eos incolumes, communica eis benigne necessa- ria uitæ, & custodi eos ab omni malo, per Christum Dominum no- strum, Amen.

Hac finita oratione iubeat Pastor sibi dari infantes, interro- get nomina, quæ imponi eis debeant, & Baptiset, eos dicens.

Baptizo te, N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Mox susceptores infantem è Baptismo suscipiant, dicente Sacerdote, ita ut sequitur.

Omnipotens æternus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui regenuit te aqua & Spiritu sancto, remisitq; tibi omnia peccata tua, confirmet te sua gratia, ad uitam æternam, Amen.

Pastor. Pax Domini sit semper uobiscum.

Respond. Amen.

Hic ab uniuersa Ecclesia cantetur Germanice. Grates nunc om- nes &c. uel Psal Deus misereatur nostri. Post pergat Pastor in officio Cœnæ Domini.

Q V O M O D O A L I I S
T E M P O R I B V S A D M I N I S T R A N D V S
B A P T I S M V S S I T.



I autem infantuli infirmiore fuerint ualetudine, ut pericu- lum sit, nō uicturos esse uel ad proximum Dominicum, uel Festum diem, aut si propter grauiore causas illis diebus Ba- ptismus conferri non possit, admonebunt Pastores populum, ut Ba- ptizandos infantes suos, illis tamen horis adferre uelint, quibus de more Ecclesia ad uerbum Domini audiendum conuenit, Quod si neque istud fieri potest, Baptisma interim oblati ad id infantibus nega-

negari non debet, quocumque tandem tempore adferantur. Nam committendum non est, quantum in nobis fuerit, ut absque Baptismi Sacramento, ex hac uita ulli homines decedant, Quandoquidem Dominus instituit Baptisma, ut sit nobis Sacramentum regenerationis, & ablutionis peccatorum, à quibus nemo hominum in hac uita liber est, ne infans quidem unius diei. Nostrum enim est agere in omnibus rebus, secundum uerbum Domini, & dona & beneficia eius suscipere eo modo, & ratione, quam ipse nobis præscripsit.

Quantum in nobis est neminem ex hac uita discere patiemur non baptizatum.

Quando ergo profectis diebus administrandum Baptisma fuerit, Pastores Catechismum, & Exorcismum, & Administrationem Baptismi ordine coniungant, & pro ratione ætatis, & ualitudine infantis modum adhibebunt adhortationum, & orationum. Si enim infantem uideant de uita periclitari, & ætatem exiguum adesse, breuibus omnia complectentur, Et primam modo partem ex admonitione, quam supra posuimus ante Catechismum præmittendam, usurpabunt ad ea usque uerba. Quapropter dilecti hortor & obsecro &c. Sic ex interrogationibus cuiusque capitis primam tantum adhibebunt, Ita in Exorcismo, unam modo preceationem, cum oratione Dominica, Symbolo, & Euangelio, Quibus præmissis infantem statim baptizent, & parentes, susceptores, atque alios astantes hortentur, ut certo statuunt infantulum siue uiuat, siue mox moriatur, esse filium Dei, & hæredem uitæ æternæ, & ut ad pietatem, & Dei gloriã, si uita comes fuerit, rectè curent institui, iuxta adhortationem supra positam, quæ incipit.

Postquam ergo dilecti &c.

DE BAPTISMO

RECENS NATIS COLLATO

PROPTER PERICVLVM

uitæ.

Pro concionibus docendus & admonendus erit populus, ne facile diuinissimum hoc Sacramentum priuatim administrare præsumat. In Ecclesia enim & per suos Ministros summa grauitate, & religione administrari dignum est, idque maxime interest ad id, ut salutariter dispensetur, & percipiatur, Sed si extrema necessitas urserit, tunc qui adsunt periclitati infantulo,

DE BAPTISMO

infantulo, iungant sese in Domino, pie sublatis ad Deum animis, misericordiam eius in Christo Domino nobis promissam & exhibitam super infantulo implorēt, eumq; dicta oratione Dominica baptizent, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Quod cum fecerint, ne dubitent infantem suum uere baptizatum, peccatis ablutum, in Christo renatum, & Filium hæredemq; Dei factum esse. Pro hoc ergo tanto Dei beneficio, gratias agant Deo, & ne putent Baptisma iterandum in pueris ita baptizatis. Quia in omnibus rebus, quoad licet, ad eam rationem agere debemus, quam Dominus præscripsit, si pius aliquis uir tum adfuerit, cum infans extreme laborauerit, eius ministerio ad Baptismum utendum est.

Porro si ita baptizatum domi infantem superuiuere contingat, deferri ad templum postea æquum est, à suis parentibus, cognatis, & susceptoribus, quos frequentes & religiosè adesse conuenit, ut qui gratias agere pro immenso hoc regenerationis beneficio infanti suo collato, et offerre eum Deo et Seruatori suo in Ecclesia debent. Hos ergo Pastores interrogabunt, qua ratione, et quibus uerbis infantem baptizarent, an ita ut præcepit Dominus, in aqua, et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Qui si responderint se super infantem inuocasse Deum, rogasse pro illo, et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizasse, et credere se uere peccatis mundatum, et Deo renatum esse, Debent Pastores eos in hac fide confirmare, et infantem eiusmodi nequaquam rebaptizare, Et ut homines magis consolentur, et tanti Sacramenti celebratio magis augeatur, et commendetur Christi beneficium per Baptismum in puerum collatum, comprobabunt id in Ecclesia, adhibita lectione sancti Euangelii, et precatione ad hunc modum.

Pastor, cum adfuerint qui talem infantem adferunt Domino, primum interrogabit eos.

Dilecti in Christo, Quandoquidem omnes in peccato et ira Dei nati sumus rei æternæ mortis, atq; condemnationis, nec alia ratione consequi remissionem peccatorum, iustitiam, et uitam æternam possumus, quàm per fidem in Christum, Et his malis, mortis scilicet et iræ Dei, cum hic quoq; infans obnoxius natus sit, interrogo uos num Christo oblatus sit, eiq; per Baptismum insertus?

Si respondeant se ita credere, Interrogabit præterea, per quem hoc factum sit, & quibus præsentibus. Cumq; hos nominarint, rogabit eum, qui Baptizasse

ptiffasse infantem dicitur, si adest, aut alios qui tum adfuerint, an inuocatum sit nomen Domini super eo, & habita oratio pro eo?

Vbi respondebunt & hoc factum esse. Rogabit, Quomodo baptifatus infans fit.

Si tum respondeant, In aqua, & cum hac uerborum forma, Baptiso te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Postremum interrogabit.

An certo sciant se uerbo Dei rite usos esse, iuxta institutionem Domini, quod si respondeant se meminisse & scire.

Addat Pastor.

Q Vandoquidem dilecti in Christo, omnia in nomine Dei, et iuxta institutum eius facta circa Baptisma huius infantis audio, in nomine Christi rectè uos fecisse pronuncio, Egent enim gratia Dei infantes, quam non denegat eis Seruator noster Christus, ubicumque illa pueris iuxta uerbum eius petitur, nec enim alligauit beneficium redemptionis suæ ullis locis, temporibus, uel personis, Nam quocumque in loco credentes ipsi in eius nomine conueniunt, medius ipse illis adest, & inuocatus fide efficax est, in uerbo et Sacramentis suis, atque præstat solide, quicquid Sacramentis suis offert, et uerbis suis pollicetur. Ad confirmandam uero hanc fidem, & ad excitandum nos ad gratias agendas Domino, pro tanto eius beneficio, quod huic infantulo per Baptisma collatum est, audiamus ex Euangelio, quomodo Dominus uelit infantes sibi adferri, & benigne benedicere sibi oblatis.

Marci X.

ET attulerunt ad illum pueros, ut tangeret illos, Discipuli uero increpabant eos, qui adducebant. Cum uidisset autem Iesus indignatus est, & dixit illis, Sinite pueros uenire ad me, nec prohibete illos, talium enim est regnum cælorum. Amen dico uobis, Quicumque non acceperit regnum Dei tanquam puer, haudquaquam ingreditur in illud. Et cum cœpisset in ulnas, impositis manibus super illos benedixit eis.

Ex his ergo Christi uerbis certi sumus infantes, quicumque Christo iuxta Verbum eius offeruntur, pertinere ad regnum Dei, esse Filios Dei, membra Christi, his angelos adesse ministros, & subiectam ad inferuendum eis omnem creaturam mundi. Quare singulari studio ministrare talibus, ut in Christo rite educantur, et grandescant oportet, quicumque Christi sunt, quibus illos Dominus peculiariter copulauit, quales uos parentes, cognati, susceptores, & alii necessarii,

atq;

DE BAPTISMO

atque omnes, qui de huius nostræ Ecclesiæ corpore estis. Hunc igitur uobis infantulum, filium & hæredem Dei, fratrem & cohæredem Christi, membrum Christi, & uestrum in Christo, fidei uestre et curæ in Domino committo et commendo, ut eum Domino, in quem renatus est, et Regno Dei, in quod renatus est, quàm diligentissime fouendum, educandum, instituendum curetis, quisquæ pro sua uocatione & facultate, ut ubi primum per ætatem poterit, discat seruare, quæcumquæ Christus seruanda nobis præcepit. Quare uobis parentibus, cognatis, & susceptoribus præcipuè incumbit (quamquæ ad id & cæteri omnes, qui in hac Ecclesia uiuunt, & ad quoscumquæ uenerit Christianos, suam operam & opem conferre debeant) efficere, ut hic infans Dei, ubi primum per ætatem liceat, ad Scholam & Ecclesiam deducatur, et Dei mysteriis ibi summa fide instituatur, quo amplissima Dei beneficia in Baptismo percepta agnoscere discat, & celebrare, Ut deinde in Ecclesia fidem suam ipse profiteatur, Satanæ & mundo cum omnibus eius illecebris & operibus, sua ipsius uoce coram uniuersa Ecclesia Dei renunciet, Christo & Ecclesiæ sese in omnem obedientiam addicat, & in ea ad finem usquæ perseueret, ut uiuum Christi membrum, & palmes in Christo manens, fructum adferens copiosum, ad laudem & gloriam Dei, ædificationemquæ Ecclesiæ eius.

Post hæc subiiciat *imposita manu infanti.*

Dominus uobiscum,
Respon. Et cum spiritu tuo.

O Remus. Domine Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui genuisti hunc infantem ex aqua & Spiritu sancto, & peccatorum omnium remissionem ei sacro sancto Baptismate contulisti, confirma hunc tua gratia, & regas prouehasquæ hanc nouam uitam, quam donasti, et perficias eam, ad quam infantem sacro hoc Sacramento obsignasti, Da etiam parentibus ipsius, & nobis omnibus, ut in eo curando fideliter & diligenter tibi inseruiamus, ut per ipsum & nos omnes indies magis sanctificetur nomen tuum, ac regnum tuum promoueatur, ad plenam usquæ perfruitionem fœlicitatis, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Si uero ii qui infantem offerunt, non satis constanter respondere possunt ad dictas interrogationes, adeò ut fateantur se haud satis scire,

scire, quid cogitarint, aut fecerint baptizando, perturbati scilicet præ-
senti periculo, ut fieri non raro solet, tunc omiſſa anxia diſputatione,
Pastor talem infantem nondum baptizatum iudicet, & ea omnia per-
ficiat, quæ ad istam actionem pertinent, qualia supra descripta sunt,
admonitionem, & Catechismum ad eos qui infantem adferunt, Exor-
cismum infantis, communem confessionem fidei, & cætera omnia,
quibus peractis baptizet infantem, & citra conditionem, In nomine
Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

DE CONFIRMA- TIONE BAPTIZATORVM, ET SOLENNI PROFESSIONE FIDEI in Christum, atq; obedientiæ Christo & Ecclesiæ eius præstandæ.



In ueteri, & in nouo Testamento mos hic obserua-
tus est ex instituto Dei, ut qui prima infantia recepti
essent in gratiam Domini, apud ueteres per Circun-
cisionem, in nouo populo per Baptisma, ubi pri-
mum acceptum hoc Dei beneficium cognouissent, et
fidem in Deum solidam concepissent, ipsi fidem suam in Ecclesia profi-
terentur, & se ipsi obedientiæ Dei atq; Ecclesiæ addicerent. Ad quam
confessionem fidei, & obedientiæ in Ecclesia professionem, confirmari
etiam in religione ab Ecclesia solenniter solebant, per orationem & a-
liquod diuinæ corroborationis Symbolum, quod sub Mose certis sa-
crificiis constabat, & oblationibus, Florente Euāgelio, impositione ma-
nuum, & communionem Cæne Domini. Est enim hæc ueræ uiuæq; fidei
natura, ut quisq; singularia Dei beneficia sibi præstita cupiat prædicare,
& celebrare, seseq; Deo inuicem ad glorificandum nomen eius, omni
officio pietatis offerre, & cōsecrare. Vnde Psal. XXII, canit. De te laus
mea in Ecclesia magna, in medio Ecclesiæ laudabo te. & Psal. XXXV.
Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo frequenti laudabo te.

Deinde per Baptisma Christo inserti, & corporis eius, id est, Eccle-
siæ facti mēbra, & ita reliquis Christi mēbris in Christo cōiuncti & ad-
dicti sumus, ut omnibus, quibuscum aliqua nobis inciderit uitæ cōsue-
tudo, aut ulla officiorum communicatio, inseruire debeamus, præcipuè
quidem ad omnem pietatem & religionem, Deinde autem etiam ad hu-
ius uitæ præsentis necessitatē, ut singuli scilicet nos inuicē agnoscamus,
& sincera

*Perpetuus mos in Eccle-
sia fuit, ut ubi pueri ad
sua rationis peruenissent,
fidem suam ipsi in Eccle-
sia profiterentur.*

*Veteres confirmationem
per impositionem manu-
um administrabant.*

*Fidei natura est præstita
sibi beneficia Dei agno-
scere & celebrare.*

*Quid à nobis exigit com-
munio Ecclesiæ.*

DE CONFIRMATIONE

& sincera charitate complectamur in Christo, & primum doceamus, moneamus, corrigamus, consolemur, adhortemur in his, quæ sunt nouæ uitæ in Christo. Deinde etiam adiuuemus nos inuicem in rebus uitæ præsentis, consilio, opera, & opere. Hæc itaq; uitæ utriusq; in Christo Domino communio, & officiorum uicissitudo poscit, ut quisque se ipse quoq; Ecclesiæ Christi ad hanc interni & externi hominis societatem, & officiorum communicationem palam offerat & dedat. Cùm igitur hæc fidei confessio, & in obedientiam atque communicationem Christi & Ecclesiæ, propria consecratio, & deditio, quam ipsa fidei natura, & necessitas huius communicationis Christi poscit, In Baptismo fieri non possit, cùm baptizantur infantes, necessè est, ut ea ab iis, qui in infantia baptizati fuerint, fiat, cum ipsa de religione utcunq; instituti fuerint, & summa illa beneficia in Baptismo collata, aliquantulum intellexerint.

Quando uero hi fidem suam & obedientiam coram Ecclesia solenniter profitentur, rursus ipsum fidei ingenium postulat, ut Ecclesia pro eis preces solenniter fundat, & incrementa eis oret Spiritus sancti, ut in fide Christi, & obedientia Ecclesiæ, eos ipse confirmare, conseruare, atque in omnem ueritatem perpetuò inducere uelit. Cùmq; huiusmodi oratio facta in nomine Christi, & fiducia promissionum eius, non possit non efficax esse, ad ministerium Ecclesiæ pertinet, eos pro quibus Ecclesia orauit, cõfirmatione Spiritus sancti corroborare. Ad hanc itaq; ueteres, Christi & Apostolorum exemplum imitati, symbolum adhibuerunt impositionis manuum.

Hæc igitur ceremonia fide Christi obseruata, quia indubiè fidei et charitatis Christianæ officium est, modis omnibus, uerbis, & institutis Domini consentanea, & certè edificationis in Religione Christi, uolumus eam in pium et salutarem usum in Ecclesia restitui, submotis omnibus abusibus, qui in locum huius Ceremoniæ inuaserunt, qui quàm fuerint scædi et noxii nostræ religioni, cuius Christiano facile iudicare est.

Haftenus ministerium hoc Cõfirmationis peculiare opus fuit Suffraganei, Ceterum cum in Ecclesia omnia ad communem Christianorum utilitatem referri, institui, et fieri debeant, uolumus deinceps hoc Cõfirmationis ministerium, si per Suffraganeum commode administrari non posset, aut non ita ut oportet administraretur, per uisitatores fieri, duabus per annum uicibus, in præcipuis solemnitatibus. Cùm enim initio solis Episcopis commendaretur munus confirmandi, Episcopatus tam ampli non erant, quàm nunc sunt, nec enim diocæses ampliores

Confirmatio administranda bis in anno per uisitatores.

pliores erant, quàm ut Episcopi singulas parochias per annum semel uisitare, & Catechizatos pueros ipsi audire & confirmare possent. At nunc multo aliter se res habet, & longe alia ratio est Episcopatum, ita ut uni Episcopo, aut Suffraganeo in tota Diocæsi sua iusto tempore administrare hanc Confirmationem impossibile sit. In Ecclesiis enim singulis adolescunt quotannis aliqui, quos fidem suam profiteri, & Confirmari solenniter deceat. Quare cum singulæ Ecclesiæ opus habeant annua inspectione & uisitatione, etiam eorum qui eorum ætate & cognitione Christi promouerunt, solenni professione fidei, & Confirmatione ipsa, nos necessaria procuratio gregis Domini nobis crediti cogit, ut provideamus, ne Ecclesiis idoneum adhuc ministerium desit. Nec enim personis ministrorum salus ouium Christi, sed salutem harum personarum seruire debent ministrorum, ut omnia fiant iuxta illud. Omnia uestra sunt siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas. I. Corinth. III.

Et teste Hieronymo non ideo Confirmatio hæc propria quondam Episcoporum functio fuit, quòd aliis eam administrare non liceret, cum Baptismus Sacramentum longe præstantius, uulgares etiam ministri, imo quilibet Christianus, si ordinarii Ministri desissent, administrare possit. Sed ea de causa Episcopis peculiariter commendata fuit, ut Episcopi singularum Ecclesiarum, quæ cuique creditæ essent, certiores assequerentur noticiam, & curam magis salutarem gererent, dum ipsi singulis annis cognoscerent, qua fide & diligentia Pastores cum reliquos, tum præcipue pueritiam Christi instituerent.

Ad maiorem etiam religionis consensionem, & erga Sacrum ministerium reuerentiam, atque obedientiam conseruandam faciebat, cum unusquisque fidem suam, & obedientiam Christi uni Episcopo profiteretur.

Cum autem tam multæ Ecclesiæ curæ unius Episcopi concreditæ sint, ut per unum Episcopum uel Suffraganeum inspicere singulæ quotannis non queant, necesse sane est, hoc inspectionis & Confirmationis munus, quod ultra annum differri sine grandi Ecclesiarum incommodo, & religionis periculo non potest, curare perficiendum opera plurimum, dum nequit per unum.

In singulis tamen Ecclesiis Parochi una cum Symmystis suis, aliquot diebus ante aduentum Visitatorum, pueros, quos Confirmationi offerre statuerint, ad confessionem fidei, & professionem Christia-

DE CONFIRMATIONE

na communicationis & obedientia decenter faciendam, diligenter
præparabunt, Quæ ad hunc modum ab eis facienda est.

Interrogatio. Profiteris te Christianum?

Respond. Profiteor.

Interrogatio. Quid est esse Christianum?

Respond. In Christo renatum esse, & habere per eum remis-
sionem peccatorum, & Communicationem uitæ aternæ.

Interrogatio. Vnde confidis tibi hæc esse collata?

Respond. Quòd Baptizatus sum in nomine Patris, & Filii, &
Spiritus sancti.

Interrogatio. Quid credis de Deo Patre, & Filio, & Spiritu san-
cto?

Respond. Hoc quod articuli symboli nostri complectuntur.

Interrogatio. Recita illos.

Respond. Credo in Deum Patrem omnipotentem &c.

Hic puer articulos Symboli omnes clare & distincte recitet.

Interrogatio. Quid intelligis dum inquis, Credo in Deum Pa-
trem, in Filium, & Spiritum sanctum?

Respond. Tres esse personas unius essentia, potentia, & u-
num tamen Deum.

Interrogatio. Cur inquis Deum omnipotentem, et Creatorem
cæli et terræ?

Respond. Quia credo, quòd Deus, ut omnia ita et me ipsum
ex nihilo creauit, per unicū Filium suū Dominū nostrum Iesum Chri-
stum, et per eundem solum conseruat, atq; gubernat, ubiq; præsto ad-
est, et operatur omnia bona in omnibus, solo suo semper sapienti con-
silio, et iusta uoluntate.

Interrogatio. Quo pacto intelligis secundum articulum de
Christo Domino nostro?

Respond. Agnosco ex eo naturam nostram lapsu Adæ a deo
corruptam esse, ut nullus nec Angelorum, nec hominum expiare pec-
cata nostra, et satisfacere pro eis potuerit, adeo ut necesse fuerit uer-
bum æternum Filium Dei fieri hominem, conceptum de Spiritu san-
cto, natum ex Maria uirgine, uerum quidem hominem, sed sine pecca-
to, qui morte sua satisfecit pro peccatis nostris, et resurrectione atq;
ascensione sua in cælos, collocauit nos secum in cælestibus, cui Pater
omnem dedit potestatem in cælis et terris, ut regat nos, restituat in no-
bis imaginem suā, & tandem, cū suo tēpore uenerit ad iudicandū uiuos
& mortuos, resuscitet à mortuis, & ad imaginē suam perfecte reforma-
tos, do-

Summa Symboli de Deo
Patre.

Summa Symboli de Chri-
sto Domino nostro.

Matthæi ultimo.

ros, donec adire hereditatē æternæ fœlicitatis in cœlis, alios uero, qui ipsum pertinaciter contempserint, tradat puniendos igni æterno.

Summa Symboli de Spiritu sancto.

Interrogatio. Quæ est sententia tertii articuli?

Resp. Hæc est, quòd Christus Dominus donauerit nobis Spiritum sanctum, qui per ministerium Euangelii credentes in Ecclesiam suam congregat, in qua excitari perpetuo debent ad pœnitentiam, & fidem, & accipere remissionem peccatorum, per uerbum Dei, & Sacramenta Communionis Christi, ac ita bona conscientia uiuendo uitam piam, sanctam, & utilem proximis, expectare Christum Seruatorem, qui eos ex hoc sæculo ad se assumat in cœlos, & corpora quæ eorum in die iudicii ad uitam cœlestem resuscitet.

Interrogatio. Credis ergo hæc omnia firmiter?

Resp. Credo omnia, oro autem Dominum, ut hanc fidem augere in me dignetur.

Interrogatio. Quid autem debet hæc fides in te efficere?

Resp. Vt nihil dubitem Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui nobis cum hoc suo Filio misit uerbum suum, & donauit omnia, esse solum uerum Deum, condidisse omnia ex nihilo, solum efficere, & largiri bona omnia, ac uelle & mihi se Patrem præstare, propter eundem Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, abluisse me à peccatis Sacro Baptismate, donasse Spiritu Sancto, Filio suo dilecto incorporasse, atq; ita in Ecclesiam suam assumpsisse, & in filium atq; hæredem adoptasse, conseruaturum etiam esse in Ecclesia sua, pœnitentiam & remissionem in ea daturum, Communionemq; Filii sui, ut per eum nomen ipsius filiali fiducia semper inuocem, & inuolutione mei ad imaginem eius quotidie proficiam, per uerbum, & Sacramenta in me perpetuo confirmaturum, & aucturum, quo sanctificare nomen ipsius, & inseruire Ecclesiæ eius omni genere bonorum operum indefinenter studeam, donec me ex hoc sæculo ad cœlestia gaudia, & beatam resurrectionem assumat. Quæ omnia præstita mihi agnosco, & præstanda ex sola gratuita misericordia Patris cœlestis, & inestimabili merito Filii sui Domini nostri Iesu Christi.

Interrogatio. Hanc tibi fidem augeat, & confirmet Deus, & Pater noster cœlestis, per Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, Amen. Sentis igitur te, & agnoscis in hac fide uerè Filium esse, & hæredem Dei, fratrem & cohæredem Domini nostri Iesu Christi, ac ideo etiam unum membrum corporis sui, quod est Ecclesia?

Resp. Sentio & agnosco fretus certissimis diuinæ beneuolentiæ promissionibus, & merito Domini nostri Iesu Christi.

DE CONFIRMATIONE.

Interrogatio. Ergo placet tibi, ratumq; habes, & adiutus Spiritu Domini in eo perseverabis, quod tui susceptores nomine tuo ad Sacrum Baptisma promiserunt & professi sunt, cum pro te renunciarunt Satanæ, & mundo, & addixerunt te Christo & Ecclesiæ eius in solidam Euangelii obedientiam?

Respond. Hæc rata habeo, & in eis adiuuante me Domino nostro Iesu Christo permanebo usq; ad finem.

Interrogatio. Et nunc ipse etiam tuo corde & ore hic in conspectu Dei, & coram sancta eius Ecclesia, renuncias Satanæ & cunctis operibus eius?

Respond. Renuncio,

Interrogatio. Et mundo atq; cunctis concupiscentiis eius?

Respond. Renuncio,

Interrogatio. Et tradis te atq; consecras in omnem obedientiam Christo & Sanctæ Ecclesiæ eius?

Respond. Trado me & consecro.

Interrogatio. Quomodo es primum à Deo in filium adoptatus, & in Ecclesiam eius assumptus?

Respond. Per S. Baptisma.

Interrogatio. Quid est Baptisma?

Respond. Lauacrum regenerationis, quo à peccato ablutus, & Christo Domino insertus sum, & eo indutus.

Interrogatio. Vis in hac communione Christi perseverare usque in finem?

Respond. Volo equidem fretus auxilio Domini nostri Iesu Christi.

Interrogatio. Quid requirit ista communio Ecclesiæ Christi?

Respond. Vt permaneam in doctrina hac, quam confessus sum, & in omnibus articulis fidei nostræ, credamq; remissionem me habere peccatorum in Christo Domino, & propter hunc Filium dilectum, non proprio merito iusticiæ esse iustificatum, & acceptum Deo, hæredemq; vitæ æternæ, Tum uiuere etiam studeam secundum omnia placita Dei. Atq; quo in hac agnitione Dei, & obedientia proficiam ut uerbum Dei, præcipue autē diebus Festis et Dominicis, à Ministris Ecclesiæ diligenter audiam, & si Presbyteri Ecclesiæ, aut alii, quicumq; hoc mihi dilectionis officium præstiterint, arguant peccati, ut id boni consulam, & ad uitæ emendationem suscipiam, & ego proximos meos itidē, quos male & inordinate se gerere uidero, ex sincero studio Christi, et salutis ipsorum moneam, et emendem, si liceat, sin minus, ut
alios

alios adhibeam, quos speraui plus effecturos apud illos, quòd si neq; hos audierint, ut ad Presbyteros Ecclesiarum rem omnem deferam, quos si audire contempserint, ac propterea excommunicati fuerint, ut eos habeam pro Ethnicis et publicanis, eorumq; consuetudinem uitam, quantum feret uocatio nostra, & coniunctio cum ipsis ciuilibus, & necessitas ipsorum secundum uerbum Dei.

Interrogatio. Quid amplius requirit communio Ecclesie Christi?

Respond. Requirit etiam, ut cum reliquis Christianis, ad quoscunq; uenero, uel apud quos habitauero, communicem Cœnæ Domini, ut cum quibus unus panis, & unum corpus sim in Christo.

Interrogatio. Quid est hoc Sacramentum?

Respond. Est communicatio corporis & sanguinis Christi quæ nobis in cœna Domini, cum illa iuxta institutum Domini celebratur, cum pane & uino uerè exhibentur.

Interrogatio. In quem usum sumis corpus & sanguinem Domini?

Respond. Ut fides mea in ipsum, & fiducia noui & æterni Testamenti, gratiæ Dei, redemptionis Christi, atq; Communionis cum ipso, magis ac magis in me confirmetur, & minus mihi, sed magis in ipso uiuam, & ipse in me uitam nouam & sanctam instauret, Nam quod ad meam carnem & sanguinem attinet, nihil quàm peccare, & impiam agere uitam possum.

Interrogatio. Quid præterea requirit communio Ecclesie?

Respond. Ut ad publicas Ecclesie preces, meas studiose ad dam, conueniam, & ibi oblationes, & elemosinas liberaliter conferam in usus pauperum, sicq; in omnibus me geram, uti membrum Christi, in Christo coniunctum, & cohærens cum piis omnibus, eosq; quos dominus Ecclesiis suis Pastores, curatores animarum, & presbyteros præfecerit, in omnibus libenter agnoscam, & colam, sicut decet filium Dei, Deo morigerum, & gratum esse pro immensis istis beneficiis, Euangelio, & communionem Filii eius Domini nostri Iesu Christi.

Interrogatio. Vis autem hæc omnia bona fide præstare, & obseruare, quemadmodum iam professus es?

Respond. Volo, fretus auxilio Domini nostri Iesu Christi.

Postquam uero unus ex pueris confessionem fidei plenioram recitauerit, & obedientiam Christi plenius professus fuerit coram omni Ecclesia, satisfuerit pueros cæteros interrogare ordine, isto modo.

DE CONFIRMATIONE

Interrogatio. Credis & confiteris & tu fili, ac uis te tradere & cōsecrare in communionem & obedientiam Christi & Ecclesie eius, ita ut modo audiuisti istum puerum credere, & confessum esse, se se Christo & Ecclesie Christi in obedientiam Euangelii addixisse?

Hic satis erit pro se singulos respondere, ita.

Credo, Confiteor, & me Christo & Ecclesie eius consecro, fretus gratia et ope Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi.

Vbi uero non fuerint pueri tam exercitati in Religionis cognitione, ut ad formam prescriptam respondere memoriter possint, debet Visitator, qui Confirmationem administrabit, talibus pueris responsiones omnes prælegere, et satis erit, si simplici responsione prælecta se credere testati fuerint, ita tamen declarare eis omnia studebit, ut intelligant, quid ibi agatur, & quid confiteantur, et profiteantur. Monendi tamen diligenter sunt, ut cogitent se stare in conspectu Dei, quem fallere non possint, qui cor intuetur. Quare summa religione curandum eis, ut uita ipsa declarent, quod ore profitentur, & corde sentiunt.

Singuli tamen pueri, ut ante monuimus, septimana præcedenti, per Ministros & Seniores cuiusque Ecclesie, exerceri ad hæc debent, & diligenter explorari, et Pastores et Presbyteri nullos pueros confirmandos Visitatori sistere debent, nisi de quibus confidant, quod summam Religionis teneant, & Christo uere credant. Vt scite respondeant pueri, quod ad uerba attinet, non est anxie requirendum, nec enim raro fit, ut qui scientia fidei instructiores sint, uel pudore, uel alia imbecillitate animi impediti, quæ piè sentiunt, minus commode ualeant eloqui, præsertim in publico. Quare magis spectandum, qui pueri, quæ Religionis sunt, uere intelligant, quàm qui ualeant ea uerbis scite explicare, qua in re si sæpe præstant, qui animos minus pietate imbutos habent. Porrò cum pueri confirmandi, fidem suam confessi fuerint, & Euangelii obedientiam professi, Ecclesia admonenda est, ut pro his pueris Deum suppliciter oret, Cuius orationem Pastor huiusmodi Collecta Domino offeret,

Quomodo cum pueris paulo uerecundioribus agendum.

COLLECTA

Omnipotens & misericors Deus, Pater cœlestis, qui solus in nobis efficis, ut uelimus ac perficiamus, quæ tibi placita sunt, ac uere bona

bona, rogamus te pro his pueris, quos Ecclesiæ tuæ donasti, atque tibi Sacro Baptismate regenuisti, quibusq; eam lucem infudisti, ut gratiam & beneficia tua erga se, redemptionem suam in Christo Iesu, & agnoscere, & coram Ecclesia confiteri, seq; ipsi tibi, & Ecclesiæ tuæ in obedientiam præceptorum tuorum dedere & consecrare uoluerint, Confirma hoc opus tuū quod in eis operatus es, auge ipsis donum Spiritus tui, ut in Ecclesia tua agnitione & obedientia Euangelii tui semper proficientes, ad finē usq; perseuerent, neq; unquam peruersa aliqua doctrina seducti, uel cupiditatibus carnis impulsī, ab ea fide & Euangelii obedientia, quam confessi modo & professi sunt, uspiam declinent, Largire eis, ut in Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, communi omnium nostrum capite, fœliciter adolescentes, crescant in eum, donec perueniant ad plene uirilem & perfectam ætatem, in omni sapientia, sanctitate, atq; iustitia, ut te Patrē, & Filium tuum Dominum nostrum cum Spiritu sancto semper plenius cognoscant, ardentius diligant, & coram proximis suis, & uerbis, & omni uita sua grauius & efficacius confiteantur, celebrent, atq; glorificent, Et quemadmodum nobis pollicitus es, quicquid petierimus à te in nomine Filii tui dilecti, te hoc nobis datum esse, & sicut Filius tuus promisit te nobis rogantibus spiritum bonum multo promptius daturum esse, quàm Patrem quemuis inter nos bonum aliquod rogantibus filiis suis, ita tribue his tuis pueris, quod te per Christum Filium tuum rogamus, ut cum illis modo in tuo nomine manus imponemus, & per hoc signum certos eos reddemus, paternam manum tuam semper fore super eos extentam, Spiritum sanctum tuum, qui eos in uia salutis, in uita uere Christiana conseruet, ducat, & regat, nūquam defuturum, Tribue inquam tu eis, ut hæc uera fide agnoscant, & certo credant te ipsos omnipotenti dextera tua semper protecturum, & ab omni malo custoditurum, & liberaturum, & ad omne bonum ducturum & perducturum, tuumq; Sanctum spiritum ab eis nunquam ablaturum, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

Hic Pastor impositis super eos manibus dicet.

Domine Iesu Christe Fili Dei, qui in Euangelio dixisti, Si uos igitur cum sitis mali, nostis dona bona dare filiis uestris, quanto magis Pater dabit Spiritum sanctum petentibus se? Item, si duo consenserint Matth. 7. in terra de omni re, quamcumq; petierint, fiet illis à Patre meo cœlesti, Confirma hunc seruū tuum. N. Spiritu sancto tuo, ut in obedientia Euangelii tui perseueret, Diabolo & propriæ infirmitati fortiter resistat,

O iiii neq;

DE COENA

neq; contristet Spiritum sanctum, aut scandalis perturbet, uel offendat Ecclesiam tuam, sed ut tota eius uita ad laudem gloriae tuae, propriam salutem, & communem Ecclesiae tuae utilitatem, tota deseruiat, quemadmodum nobis praecipisti, & daturum te rogantibus pollicitus es, Amen.

Post haec canatur Hymnus, Grates nunc omnes &c.

In Confirmatione pridem signum olei adhiberi consuevit, uerum quoniam hoc signo supersticiosissime abusi sunt, & apud Christianos non tam signa & umbræ Spiritualium rerum, quam res & ueritas spectari & ualere debet, satisfuerit in ista actione Symbolum impositionis manuum, quod & Apostolis atq; antiquioribus Patribus satisfuit.

Vt uero Ceremonia haec maiore grauitate et religione, & uberiore fructu, cum puerorum, tum totius Ecclesiae peragatur, Decani cum Visitatoribus aut Parochis singularum Ecclesiarum talem aliquem locum in templis ad istam Ceremoniam ministrandam deligent, unde confessio et professio puerorum, & reliqua, quae cum illis agenda sunt, à tota Ecclesia clare exaudiri et intelligi possint.

DE COENA DOMINI

Quid sacra Coena Domini.

1. Cor. 10. & 11.



DE hoc sacratissimo Sacramento saepe & multum docendi, monendiq; homines sunt, quod sit, sicut Paulus testatur, communio corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, in qua memoriam eius summa religione, ac solemni annunciatione mortis et resurrectionis eius, omniumq; quae nobis factus est, quae pro salute nostra fecit, et passus est, celebrare ita debemus, ut fides nostra in ipsum confirmetur nos in ipso tenacius haereamus, ac plenius uiuamus, et ipse in nobis.

Qualis Christi commemoratio in Coena Domini habenda.

Math. 26.

Ea facienda in sacra Coena quae Dominus facienda praecipit.

Galat. 3.

Quandoquidem uero Dominus, cum Sacram hanc Coenam institueret, dixit, Hoc facite in mei commemorationem, monebunt etiam illud diligenter Concionatores, Dominum ea ut faciamus in hoc Sacramento praecipisse, quae ipse facienda suo exemplo ostendit. Hoc ipsum ergo factum Domini proponere nobis oportet, neq; ab eo nos quoquo modo discedere, aut quicquam de eo immutare, etiam si id Angelus de caelo aut Apostolus suaderet, aut iuberet. Id quod sanctissimus Episcopus et martyr Cyprianus ex his et aliis multis uerbis Domini uere et recte colligit.

Si enim Christus Dominus noster solus, & magister est, necesse est, ut nos tamquam ipsius ministri & discipuli non alicuius hominis, aut Angeli

Angeli dictum aut factum, sed ea sequamur & faciamus summa religione, quæ fecit ipse, & nobis facienda proposuit, neque respicere licet quid fecerint alii ante nos, sed quid Christus Dominus noster, qui est ante omnia, prior fecerit. Quicumque autem hoc non præstant, sed aliquid de instituto Domini mutant in hoc sanctissimo mysterio, in nequaquam iudicandi sunt Christi uicem obire, ut eius sacerdotes, cum propter traditiones hominum mandatum Christi abiiciunt.

Hæc & multo seueriora S. martyr in eadem Epistola contra eos scribit, qui in administratione huius sanctissimi Sacramenti aliquid nouant, aut mutant de eo, quod Dominus ipse in Cæna sua fecit, id enim solum ut faceremus præcepit.

Iam considerantibus, quo pacto Sacram hanc Cænam Christus instituerit, id ex narrationibus Euangelistarum & Pauli clare liquet, eum primum sacram suam Cænam habuisse cum discipulis, eamque cum presentibus omnibus unam, & communem, & discipulis talibus, qui se totos doctrine eius tradiderant, Quamuis enim Iudas fictus esset discipulus, et ut eum uocat Christus, Diabolus, id tamen Discipulis reliquis nondum constabat, Domino enim externa professione & uita, sicut ceteri, adhærebat.

Dominus autem cum Discipulis exemplum in sua Cæna daret, uoluit in admittendo Iudam, non suum arcanum, sed illud manifestum iudicium sequi, quod & discipuli postea imitari possent, & deberent. Hinc & in ueteri Ecclesia, quæ id obseruabat, quod acceperat ab Apostolis, nemo ad sacram Communionem admittebatur, qui non testatus fuisset se Domini discipulum esse. Deinde tales in uno cætu & congregatione fidelium, unam tantum Cænam, & omnibus communem habuerunt, Ita ut omnes uno pane corpus Domini, & uno calice sanguinem sumpserint.

De quo ita scribit Paulus. Calix benedictionis cui benedicimus, id est, gratias agimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus. Nam omnes ex eodem pane, & de uno calice participamus. Ecce de uno calice loquitur Apostolus, apud quem non unus pro se gratias agit, et de uno pane, quem omnes, qui conuenimus, communem frangimus, et testatur hanc esse communionem corporis et sanguinis Christi, quam pariter ex uno Sacramento omnes consequimur, et confirmamus eam communionem, quia membra & corpus Christi sumus. Quare Apostolus, cum uellet confirmare quod dixerat, Panem quem

S. Cæna Domini non nisi cum Discipulis Domini & uno in Cætu una tantum & communis celebranda est &c.

1. Corinth. 10.

De uno pane & calice uno participandum est Ecclesia, quæ unum cum Christo corpus est.

DE COENA

quem in sacra Cœna frangimus, esse communionem corporis Christi, his uerbis usus est, Vnus enim panis, inquit, & corpus unum sumus multi, quasi dicat, Panis unus frangitur, & Sacramentum unum distribuitur inter nos multos, eò ut multi nos, qui Sacramentum hoc uera fide accipimus, magis ac magis in unum corpus uniamur, idq; corpus Christi, Et omnes in ipso pariter maneamus, & uiuamus, et ipse in nobis, ueram corporis ipsius communionem consecutus.

Illud uerò singulariter notandum, quod Apostolus cum probare uellet, nos qui in sacra Cœna Domini corpore & sanguine Domini communicamus, esse unum corpus, subiecerit, Omnes enim uno pane participamus, quo etiam unius calicis cõmunionem significauit. Hanc igitur Apostoli rationem diligenter expendamus. Etenim si eo testamur, et declaramus, nos esse unum corpus & unum panem Christi, et communionem corporis et sanguinis Christi, ex mensa Domini uere accipere, et obtinere, cum omnes qui ad mensam Domini conuenerimus, uno pane et uno calice participamus, Duo profecto hinc consequuntur, Vnum, eos qui in una fidelium cõgregatione, plures quàm unam Cœnam Domini administrant, eo de seipsis testari, se non esse unum corpus, et unum panem Christi, neq; rite percipere, neq; habere corporis et sanguinis Domini Communionem. Alterum, eos, qui ad sunt sacris Cœnæ Domini, nec communicant Sacramentis, hac sua à mensa Domini abstinentia testari, se nolle esse commembrum ceterorum Christianorum, qui Sacramenta sumunt, non unum cum illis corpus, & unum panem Christi, siquidem satis docti fuerint de hoc instituto Domini, nec legitimam causam abstinenti à Sacramentis habeant.

Itaq; ex hoc ipso, quod Dominus id nos in sacra Cœna facere præcepit, quod fecit ipse, & ipse cum iis modò Discipulis suis, qui sese doctrinæ eius totos tradiderant, ipsumq; perpetuò sequebantur, eam celebrauit, et cum præsentibus omnibus, atq; unam tantum, Pastores Ecclesiæ duo obseruabunt. Primum docebunt, et hortabuntur populum summa cura, ut ad hoc sacratissimum Sacramentum se ueros Domini Discipulos exhibeant, hoc est, huiusmodi, qui fiduciam omnem in Domino ipso positam habeant, seq; totos uerbo ipsius addixerint, studio seq; illud in omnibus sequantur. Ita enim ait Dominus Ioh. VIII. Si manseritis in sermone meo, uere discipuli mei eritis. Qui uero & in administratione horum mysteriorum fideles se Domini Ministros declarare uolunt, non admittent alios ad Cœnam Domini, nisi exploratos, & qui coram Ecclesia cõfessi fuerint, quòd se Domino consecra-

rint,

Plures quàm unam cœnam in una fidelium cõgregatione administrare arguit diuisionem corporis.

Ad sacram Cœnam se quisq; discipulum Christi exhibeat.

Nemo non exploratus ad sacram Cœnam admittendus.

rint & id uita comprobant, quemadmodum et Dominus cum delectis Discipulis Cœnam celebravit.

Secundo, ut in una fidelium congregatione una Cœna exhibeatur, eamq; Pastor exemplo Christi ipse, si id ullo modo possit, celebret, et eo tempore, quo tota Ecclesia solet conuenire, ut diebus Dominicis, et Festis, si modo adfuerint, qui communicare cupiant, ut qui unum corpus, & unus panis Christi sunt, & ita à Domino inter sese externe quoque coniuncti sunt, ut ad unam Ecclesiam, & curam Pastoralem pertineant, de uno item pane & calice Domini communionem percipiant.

Sicra Cœna celebranda quando tota Ecclesia conuenit.

Secundum, quod in Cœna sua fecit Dominus, illud est, quod Patri gratias egit, & id quidem ea lingua, ut Discipuli omnia intelligerent, ac unà ad laudandum Deum excitarentur, ex quo populum monebunt Pastores, Primum, in administratione huius Sacramenti agendas Deo gratias per Dominum nostrum Iesum Christum pro omnibus beneficiis, quæ contulit, & confert in nos quotidie, in primis uero pro eo beneficio, ex quo reliqua omnia ueniunt, et uera nobis beneficia fiunt, quòd scilicet ita nos dilexit, ut donarit nobis Filium suum redemptorem, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam Ioh. III. Quare omnia nobis cum eo donauit. Rom. VIII. remissionem peccatorum, et Spiritum adoptionis, et quæcunq; bono nobis possunt esse, uel in corpore, uel in anima, in hac & in futura uita.

Secundo, Sacerdotem & administrum huius Sacramenti, quas agit gratias Deo, eas agere nomine & loco totius Ecclesiæ, Quare populus debet animum suum attollere, & iis, quæ à sacerdote dicuntur, auscultare, ut Deum una & laudare cum sacerdote, & gratias agere possit. Nam in hac gratiarum actione, sicut recte monet Chrysostomus, omnia populo & sacerdoti debent esse communia, ad quod inuitantur omnes, qui adsunt, cum dicitur. Sursum corda. Item, Gratias agamus Domino Deo nostro. Et idem illi promittunt, cum respondent, Habemus ad Dominum, Dignum & iustum est. Apud ueteres enim, ut testatur Diuus Cyprianus, ad id, quod dicebat sacerdos, siue Minister, Sursum corda, subiiciebat populus, Habemus ad Dominum. Debent autem hæc omnia fieri coram Domino in Spiritu & ueritate. Quàm studiosissime igitur animos suos populus uocibus Sacerdotis adiungere debet, ut uno corde, & uno ore cum eo Deum celebret, & gratias ei agat.

Gratiarum actionem in communi omnium lingua ita ut populus intelligere possit fieri debere.

Tertium & præcipuum caput in Cœna Domini illud erat, quòd panem & calicem omnibus distribuit, & utrumq; omnes iussit accipere, omnes comedere panem, & de calice bibere, & addidit, Hoc est corpus me-

Tertium caput sacra Cœnæ & præcipuum.

pus me-

DE COENA

pus meum, quod pro uobis traditur, Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro uobis & multis effunditur in remissionem peccatorum.

Præcipuum caput in Cœna Domini est, ut Sacramentum secundum institutionem Christi distribuatur, & uera fide sumatur.

Ex his Domini uerbis magna religione, & summo studio docebunt populum Pastores, id esse præcipuum caput, & opus in Cœna Domini, ut Sacramenta secundum institutionem Domini nostri Iesu Christi distribuantur, & uera fide in Christum sumantur, ea omnino fide, ut certo credamus Dominum nostrum Iesum Christum esse ipsum hic in medio nostri præsentem, & ipsum, quamuis per Ecclesiæ ministerium, uere dare nobis corpus & sanguinem suum, & simul omnia quæcumq; nobis oblato in cruce corpore & sanguine suo impetrauit, & pro merito est, remissionem scilicet peccatorum, & fœdus diuinæ misericordiæ sempiternum, beatam illam Dei adoptionem, ut simus filii, et hæredes Dei, & cohæredes ipsius.

Quanta religione animi adesse huic sacræ Cœnæ oporteat.

Ex his uero docebunt Pastores, & monebunt populum quanto poterunt studio. Primum, ut ad hæc diuinissima mysteria adsint, non ut hæctenus uulgus solitum est facere, animo tam frigido, & tam alieno à consideratione fidei et religiosa eorum quæ hic aguntur, sed excitato, et pio Christi desiderio flagrante, qui scilicet et uera poenitentia, et dolore peccatorum, fideq; in Dominum nostrum defixa exardescat. Deinde ut uerba hic Domini et dona omnia, ut uerba et dona salutis, et uitæ æternæ, sicut reuera sunt, audiant, et amplectantur.

Omnia uerba & facta Domini nostri Iesu Christi in sacra Cœna uerba & facta esse æternæ nostræ salutis.

Ista enim Actio opus proprium et præcipuum est salutis nostræ, in quo sua omnia nobis Christus ipse offert et tradit, quæ pro nobis factus et passus est, atq; meruit, secundum nomen suum Iesus, seruatorum se nostrum dictis et factis suis exhibet, Nec est ullum eius uerbū, aut factum, quod nobis sequendum, et faciendum proposuerit unq̄, quod non proprie et efficaciter faciat ad salutem nostram æternam, modo id nos uera fide apprehendamus, et usurpemus. Ut, in præsentia actione sacræ Cœnæ, quæcumq; salutis nostræ causa unquam dixit, præcepit, passus est, fecit, et facienda nobis proposuit, omnia singulari et ardentissimo iuuandi desiderio accumulauit, summatimq; comprehensa proposuit, cognoscenda, amplectenda, fruenda.

Quare dum in sacra Cœna salutifera Christi uerba illa audimus, Accipite, comedite, bibite, summa profecto religione, et deuotissima animi gratitudine Sacramenta accipere debemus, estq; grande nefas Dominum tam clementer nos uocantem, & amanter inuitantem ad epulum istud salutis, et cibum uitæ æternæ, aspernari, et non auidissime ad hoc cœleste et beatificum conuiuium appropere.

Tertio

Tertiò, monebunt Pastores populum, ne quicquam dubitent, Dominum ipsum in medio ipsorum adesse, & donare eis ipsum corpus suum, & sanguinem, ut in ipso semper amplius uiuant, & ipse in eis, indiesq; plenius crescant in eum, qui caput est, et ceu uiua eius membra, et recte ualentia, in omnibus moueantur ab ipso, petantq; ab eo confidenter bona omnia, & depelli mala uniuersa, & accipiant quæ petierint omnia cumulatissimè. Nam sicut ipsum in hoc Sacramento percipimus, ita accipimus cum eo, quæ sunt filiorum Dei omnia.

Cumq; hæc exhibitio & perceptio corporis & sanguinis Christi, et res & actio sit Cœlestis ac diuina, res fidei & noui Testamenti, Pastores diligenter id quoq; monebunt, ut homines excluso propriæ rationis iudicio, uerbis Domini simpliciter fidem accommodent, et summo cum desyderio, summaq; animi gratitudine, hunc cibum cœlestem, et beatam communionem unici Saluatoris & Domini nostri suscipere studeant.

Quarto, admonebunt populum Concionatores summo studio, ut diligenter consyderent et perpendant beatissima illa Domini uerba. Quod pro uobis traditur, Qui pro uobis et multis effunditur in remissionem peccatorum. Item hoc nouum Testamentum est in meo sanguine, aut hic est sanguis noui Testamenti.

Hæc uerba pro uobis, bene expendenda.

Ex eo enim solo, quòd Christus suum sanctum corpus & sanguinem Patri pro peccatis nostris in cruce obtulit, Deo reconciliati sumus, & liberati à potestate Diaboli, & gehennæ, facti filii & hæredes Dei, nouumq; gratiæ fœdus, testamentum aternæ salutis inter Deum et nos constitutum et confirmatum est, ut uelit Deus et nobis Pater esse, et nos populum suum imo filios et hæredes agnoscere, auertere et depellere à nobis mala omnia, bonis cumulare omnibus cum præsentibus tum futuris, et in nouissimo die ex mortuis suscitare, in uitamque cœlestem et plene beatam collocare.

Quartum, quod Dominus in Sacra sua Cœna tradidit et fecit, est quod dixit. Hoc facite in mei commemorationem, ac multa præterea Discipulis suis præcepta salutaria dedit, et exhortatus est. Docuit enim eos et præmonuit multis, de sua passione et fructu eius ad nos redituro, de resurrectione, et regno cœlesti, officio et ministerio Christianorum &c. Tum maxime de munere ipsorum Apostolico regnum eius in uniuerso mundo prædicandi, et dispersos Dei filios in illud colligendi, et in eo confirmandi atq; promouendi. Hincigitur diligenter Concionatores monebunt, quotiescumq; hoc Sacramentum administratur, memoriam Christi studiose excitandam et celebrandam

Quarta pars est commemoratio Domini.

DE COENA

esse, per pias & diligentes tractationes & prædicationes Euangelii, quibus populo fideliter exponatur, quàm fuerit nobis necessariũ Filium Dei assumere carnem nostram, & sua nos morte liberare ab æterna morte, & Tyrannide Satanæ eripere, quantaq; etiam beneficia nobis sua morte & resurrectione impetrarit & contulerit, hodieq; conferat, remissionem peccatorum, Spiritum adoptionis, nouam & beatam uiuendi facultatem, consortium resurrectionis, in plane cœlestem, diuinam, & æternam uitam. Quæ omnia in S. Cœna religiosissime prædicanda, & pensitanda sunt.

Quare in hac sanctissima actione, semper doctrina legis & Euangelii summo studio inculcanda est, ut mors Domini & resurrectio, ac omnia quæ pro nobis facta sunt, fecit & passus est, quæq; nobis impetrauit ac præstitit, atq; hodie præstat, studiosissime annuncientur & prædicentur celebreturq; eius memoria plene & integre, quo fides nostra in ipsum & uita noua & beata in ipso confirmetur perpetuo, & incrementum accipiat. Inde ex ueteris Ecclesiæ consuetudine adhuc apud nos in usu est, ut publicæ & precipuæ conciones inter hanc Sacræ Missæ actionem habeantur.

Quo pacto populus ab missarum abusu reuocandus.

De his omnibus Pastores & Doctores Ecclesiarum, sæpe & multum, summaq; fide populum admocebunt, & instituent. Ita facile electi Dei ab omnibus abusibus huius augustissimi & sanctissimi Sacri abduci se patientur, & reduci ad eiusdem uerum & salutarem usum. Christi enim ouiculæ agnoscunt uocem Pastoris sui, & ex animo sequuntur. Nec potest sane iis (qui aliquid Christi sapiunt) obscura hæc aut incerta esse ratio, Doctrina omnis Christiana eo constat ac nititur, ut doceantur homines seruare omnia, quæcunq; præcepit Dominus noster Iesus Christus, sicuti Pater ipse de eo cœlitus testatus est, Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. Et de se ipse ad Apostolos ait, Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra, docete et facite mihi discipulos omnes gentes, baptizate eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et docete eos seruare omnia quæcunq; præcepi uobis.

Quid Christus fecerit & faciendum præcepit id considerandum præcipue esse.

In confesso autem est, hunc unicum Magistrum et Dominum nostrum, Sacramentum Eucharistiæ his uerbis instituisse, et nobis commendasse, Hoc facite in mei commemorationem, Nimirum id, quod tunc fecit ipse, quodq; nobis Euangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas, et Paulus clare descripserunt, ut supra ostendimus. Quis igitur est, cui quidem sit aliquid Christianæ mentis, qui de his commode admonitus non statim concludat, omnes qui uelint Sacramentum hoc Christiane et salutariter tractare, eos oportere considerare et sequi (sicut et D.

& D. Cyprianus pie admodum monet non quid alius quisquam ante nos fecerit, imo nec quid totus mundus de hoc Sacramento faciat, faciendum uel censeat, Sed qui d fecerit faciendumq; iusserit Christus Dominus, qui est ante omnia, qui est mundi conditor & redemptor, neq; solum summus inter nos, sed unicus etiam Magister & Doctor noster omnesq; illos, qui Sacramentum hoc secus administrare aufint, indigne illud, aliter scilicet atq; deceat, administrare, eoq; se reos facere corporis & sanguinis Domini.

Quod ex ignorantia in hoc sanctissimo mysterio haecenus peccatum est, aliter illud usurpando quam Dominus illud iussit, id Dominus clementer suis condonauit, iis qui fiduciam omnem in ipso & ipsius merito, non in opere uel administrati uel sumpti Sacramenti collocarunt. Nobis uero (ut testatur S. Marryr Cyprianus) quibus Dominus certam instituti & praeccepti sui dedit cognitionem, nequaquam condonabitur, si negligamus quod in hoc Sacramento Christus fecit, & nobis faciendum praecipit, & praeferamus ei, quod ab hominibus alienum ab eius facto et praeccepto introductum est. Ante omnia uero tollere Pastores ex animis hominum studebunt falsam illam & impiam opinionem, qua uulgo existimatur, Sacerdotem in Missis Christum Dominum nostrum Deo Patri offerre, ea quidem ratione ut sua intentione & oratione efficiat, ut Christus Patri fiat nouum & acceptum Sacrificium, pro hominum salute, aut meritum passionis Christi et salutiferi sacrificii, quo Dominus ipse se Patri in Cruce hostiam obtulit, applicet et comunicet iis, qui id propria fide non apprehendunt et suscipiunt.

Ad id enim ut homines in Coena domini participes fiant sacrificii et meriti domini nostri Iesu Christi, minister qui Sacramentum administrat nihil amplius conferre potest, quam ut primum Sacramentum eorum uti Dominus instituit, exhibeat et administret. Deinde mysterium eius, redemptionem et communionem Domini nostri Iesu Christi fideliter explicet et religiose celebret. Tum Sacramenta dispenset, quo uerum in Christum fidem, in iis qui adsunt, excitet et confirmet, qua quilibet ipse Sacrificium et meritum Christi ut sibi donatum apprehendat, eiusq; particeps fiat. Postremo ex nomine totius Ecclesiae, et ex propria etiam charitate, talem fidem omnibus oret. Is enim qui sine fide propria hanc Domini coenam uel exhibet, uel ei adest, eam communicat, accersit sibi iudicium et condemnationem, reusq; constituitur corporis et sanguinis Domini.

Atqui palam est homines passim in eo errore uersari, ut credant, si adsint Sacerdoti Missam facienti, Missaq; sola sua praesentia communi-

Quod ex ignorantia hic peccatum est, remittitur credentibus, non quod studio et bono proposito et perseueranti peccatur contra hanc ordinationem Dei.

Falsa opinio de oblatione Sacerdotis in missa tollenda est.

Quantum conferat alijs Sacerdotis ministerium in S. Coena.

DE COENA

cent, hoc ipsum tum opus & sacrificium Sacerdotis, quo Patri Filium pro ipsorum peccatis offerat, hoc est, sua intentione & oratione Patri sistat, eius esse efficaciam, ut auertat ab eis omne malum, & adferat cuncta bona corporis & animæ, quamuis in peccatis & flagitiis omnis generis contra Deum & cōscientiam perseuerēt, & ex ipsa Missa nec Sacramenta percipiant, uel intelligant, sed actionem ipsam tantum externam ceu spectaculum suspiciant, & geniculationibus, aliisq; gestibus & signis uenerationis honorent.

Quæ autem potest diuinæ Maieitati, & Regi gloriæ Iesu Christo fieri contumelia grauior, quàm cum hoc diuinissimum Sacramentum quod ipse eo instituit & nobis commendauit, ut per id in fide in ipsum confirmemur, peccatis magis ac magis moriamur, ac in eo plenius uiuamus, ita peruertitur, ut ex diuino instituto fiat plane inuentum humanū, & huiusmodi, ut eo homines maxime confidant contra Deum & Dominum nostrum Christum? Nam hoc ipso Missæ opere, redduntur in peccatis suis & contemptu Christi securiores & confirmationes, existimantes scilicet ea ceremonia auerti à se iram Dei, & mala omnia, conciliari gratiam Dei, & bona omnia, quanquam tota uita sua aduersentur Deo, & cunctis rebus abutantur contra Deum, idq; sine ulla solida cogitatione pœnitentiæ. Quare summo studio Concionatores de hac impia fiducia in opus & sacrificium Sacerdotis docebunt populum, & ab ea omnibus modis reuocabunt eum.

Quam grauer Deus offendatur, imo contumelia afficiatur abusu missæ.

Quo pacto S. Patres Cœnam uocant Sacrificium.

Quum autem Sancti Patres huius Sacramenti tractationem Sacrificium uocant & oblationem, scribuntq; aliquando Sacerdotem administrando Cœnam, Christum offerre, sciant Pastores & Concionatores, & aliis cum opus erit exponat, Sanctos Patres nomine sacrificii nequam intellexisse applicationem, quæ diu post tempora Patrum exco gitata est, & cum aliis abusibus obtinuit, sed memoriam solennem sacrificii Christi, ut Diuus Augustinus exponit.

Dum enim Cœna Domini, ut Dominus ipse instituit, peragitur, ita celebratur & exhibetur in ea sacrificium Christi, predicatione mortis eius & sacramentorum administratione, ut fructum huius sacrificii uere percipiant, quicumq; Sacra Cœna rite communicant.

Monebunt etiam Pastores & Concionatores, haud leuem esse & illud huius Sacramenti abusum, quod proponi solet & circumferri spectandum, auroq; argento, & aliis huiusmodi carnalibus ornamentis colendum, idq; ea opinione, quasi hæc Sacramenti circumlatio & ostentatio, externusq; cultus, omnia auertere incommoda, & adferre commoda ualeat, etiamsi de uera peccatorū pœnitentiâ & fide in Dominum nostrum

nostrum Iesum Christum ne cogitent quidem. Quare omnino uolumus, ne Pastores post hac Sacramentum proponant uel circumferant.

Pari diligentia docebunt populum, Dominum nostrum utramque Sacramenti partem, calicem non minus quam panem, ut his corpus & sanguinem suum acciperent, omnibus sibi credentibus instituisse & commendasse. Sic enim habet Paulus. A Domino accepi, quod et tradidi uobis. Tradidit autem Apostolus toti Ecclesie Corinthiorum, calicis communionem æque ac panis. Quare temere nimis & leuiter multi argumentantur, Dominum in Cæna sua integrum Sacramentum Apostolis quidem, qui omnes Sacerdotes fuerint tradidisse, indeque colligi non posse, laicis etiam calicem Domini dandum. In hoc enim Sacramento, inquit D. Chrysostomus, & quidem ex testimoniis S. Scripturæ, nihil habent præ Laicis Sacerdotes, sed omnia sunt utrisque communia, omnibusque pariter unus panis Domini, & unus calix proponitur. Sic Dominus instituit. Sic à uetere Ecclesia semper obseruatum est. Aliud igitur nihil ab hominibus potuit institui, neque aliud unquam à patribus institutum est, sed his postremis temporibus, cum Ecclesiarum Præpositi officium suum prorsus negligenter, hic abusus tacite irrepsit, ut tantum panis Domini, in sacra Cæna distribuatur, siue Sacerdotes siue Laici communicent.

Contra abusum de altera specie.

Ut autem cuncti, qui circa hoc Sacramentum inuaserunt abusus, per uerum huius sacri usum, quem Dominus ipse præcepit, tollatur & eradicetur, summa diligentia Pastores & Concionatores populum admonebunt, & hortabuntur, ut quoties ad Sacram Domini Cænam cum fratribus conuenerint, totos se Domino in discipulos tradant, omnia uerba eius ad se dici cogitent, eisque fidem certam accommodent, communionem Domini augeri in se cupidissime expetant, eamque in Sacramento oblatam fidei & grato animo percipiant, ut in fide Christi & tota noua uita cum Christo semper proficiant, nec adstent contemptores tantorum donorum, quæ in sacra Cæna presentibus omnibus offeruntur, neue faciant ex beato conuiuio, noxium sibi spectaculum. Certe qui ad suscipiendum sacramenta idoneus non est, is neque ut cum Ecclesia oret idoneus est, ut recte colligit. D. Chrysostomus. Non est sacramentum hoc tantum cibus fortiorum, sed etiam medicina imbecillium, tantum ne quis eam sumat hærens in peccatis quæ sunt contra conscientiam. Qui enim in eiusmodi peccatis perseuerat, is non uult in Christo Domino uiuere, reiicit re ipsa eius communionem, & Christum regnumque ipsius prorsus abnegat. Quare ab his sacramentis, quibus Christi communicatio exhibetur, abstinere debet. Tales autem hæ-

Quomodo admonendus populus ad communionem S. Cæne.

DE COENA

rent simul in condemnatione gehennę, & nullam partem habent in Regno Christi. Quare nec adesse Sacrę Cęnę, nec cum Ecclesia precari debent aut possunt. Nemo enim uera fide Deum Patrem suum inuocare, & sanctificationem nominis eius, aduentum Regni eius, & obsequium uoluntatis eius orare potest, qui in confessis peccatis, & contumelia Dei perseuerare statuit. Quos autem peccatorum suorum pęniteter, qui gratiam Dei expetunt, & communionem uitamq; in Christo Domino nostro retinent, augeriq; in se cupiunt, nec ab Ecclesia iussi sunt Sacramentis abstinere, ii se communicatione Sacramentorum ex omni Cęna cui adsunt, plurimum erigere & confirmare fide, & incendere studio nouę uitę poterunt.

Matthęi 11.
1. Corinth. 10.

Oblatam igitur ultro tantam Christi Domini beneficentiam haud quaquam contemnere, sed summo potius desyderio, & maxima gratitudine percipere debent, memores beatę illius uocis Domini nos ad se inuitantis. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Item. Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Item Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus etc. Hoc enim cibo et potu uere nos reficit et recreat ad uitam æternam.

Hęc Christi uerba tanti fecerunt Patres in primitiua Ecclesia, quę Apostolicam traditionem adhuc obseruabat, ut excommunicauerint et ab Ecclesia eiecerint eos, qui Cęnę Domini interfuissent, nec una cum reliquis Sacramentis communicarent.

Inde constitutum illud fuit, quod de Constitutionibus Distinctione II. legitur. Peraçta Consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim et Apostoli statuerunt, et S. Romana tenet Ecclesia.

Ecce de Consecratione una dicit hoc Decretum, et requirit ut communicent presentes omnes, et quidem sub pęna excommunicationis. Testatur etiam Apostolos ita statuisse, qui id a Domino acceperant. Item Ecclesiam Romanam sic tenuisse, quod idem et reliquę Ecclesię omnes obseruarunt, quę quidem ordinationem Domini et Apostolorum retinuerint.

Hinc est quod D. Chrysost. eos qui in sua Ecclesia ad celebrationem Cęnę Dominicę in templo remanebant, neq; communicabant tamen, tam grauius increpauerit, dixeritq; eos impudenter et præfrecte ad Cęnam Domini astare, nec sine contumelia Christi, et graui contemptu tantę beneficentię eius, quam nobis in Sacra Cęna offert.

Qui

Qui enim Christi membra non sunt, neque ex uera pœnitentia & dolore peccatorum suorum, uitæ renouationem in Christo querunt, sed uolunt in peccatis suis scienter perseuerare, aut Christi Ecclesiam tam grauibus peccatis offenderunt, ut sine præcedenti pœnitentia & approbatione uitæ melioris, non possint ad mensam Domini accedere, ii etiam omnes, dum habetur hæc sacratissima Domini Cœna, abesse debent, neque Sacramentum Domini uel spectare, ut D. Chryostomus grauisime monet, & id quidem ex ipsius Domini factis & uerbis, qui nimirum, ut ipse fecit, sic non nisi cum Discipulis suis hanc suam Cœnam celebrari præcepit, iis sane, qui se ipsius uerbo tradiderint, remissionem peccatorum, & salutem ex uera pœnitentia & dolore peccatorum expetât, qui noui Testamenti participes, & filii Dei facti sint, Quæ omnia, ut supra ostensum est, in ipsis uerbis Domini comprehenduntur.

Quemadmodum igitur Pastores, eos qui Sacramentis cum reliqua Ecclesia communicare non possunt, propterea quod hærent in confessis peccatis, diligenter docere ac dehortari debent, ne etiam adsint sacræ Cœnæ, eisque testari, si tali animo ad sacram Cœnam adstent, id certam in se habere contumeliam Christi, ac proinde indubie cessurum eis ad iudicium, Ita debent eos, qui bona conscientia Cœnæ adesse possunt, id est, qui Christo Domino uere credunt, eiusque discipuli esse cupiunt, studiose quoque monere et adhortari, ut Sacramentis cum cæteris Christi membris communicent.

Verum quia institutum hoc Domini, ut qui ad eandem Cœnam Domini adsunt, omnes semper de uno pane & calice, corpore & sanguine eius communicent, nimium obsoleuit, & publica pridem ignoratione obtectum est, opus erit homines ad hanc Domini traditionem obseruandam, commode ac leniter reuocare, & diligenter cauere, ne animi simpliciorum, qui ueri tamen sint Discipuli Domini, & nullo teneantur scelere, uel flagitio, propter quod mensa Domini arcendi sint, percellantur aut perturbentur duriore obiurgatione, uel ad communicandum intempestiua impulsione. Nec enim pauci sunt, qui tamen si pleniorum mysterii huius cognitionem, & usum Sacramentorum solidum nondum capere possint, ea tamen in Christum fide præditi sunt, ut ualeant cum Ecclesia precari, & ex Sacra doctrina atque exhortatione, quæ circa sacram Cœnam fieri solet, omnique reliqua actione sacræ Cœnæ, non nihil in fide edificari, atque etiam ex eo ipso quod sacræ Cœnæ adstant, ad perfectiorē mysterii huius cognitionem, & frequentiore usum Sacramentorum sensim erudiri & permoueri, Qui scilicet

*Quomodo agendum cum
ijs, qui adsunt sacræ Cœ-
næ non tamen communi-
cant.*

DE COENA

non abstinent mensa Domini ex aliquo Sacramentorum contemptu, quem quidem in se agnoscunt, sed ex humana quadam infirmitate, et præpostera Sacramenti reuerentia. Hos igitur debent Pastores paterne & suauiter quotidie docere & instituere de his mysteriis, & ad solidiorem eorum & cognitionem & usum sensim adducere, explicando eis studiose, & ingerendo atq; infigendo ea, quæ hoc loco de uera perfectaq; administratione & usurpatione huius Sacramenti monuimus, at deterrere eos, uel depellere à tota sacræ Cœnæ actione non debent, dum spes de eis superest, ut in studio & communionem Christi proficiant.

QVO TEMPORE COENA DOMINI
CELEBRANDA SIT.



VT igitur sacratissimum hoc Sacramentum apud pios omnes melius cognoscatur, & uerus eius usus facilius restituatur, et fit quæmaximi, uolumus id administrari, quæ primū populus cuiusq; Ecclesiæ pro maiore parte de uero eius usu ex uerbo Dei edoctus fuerit, Dominicis tantū & Festis diebus, aut quibus alioqui publici cœtus ad communem orationem frequentiores habentur, ut tota Ecclesia Christi cōueniat. Ita temporibus Patrum obseruatum est etiam in frequentioribus, ac populosioribus Ecclesiis, quæ nos habeamus. Dominus enim hoc nobis Sacramentū non ad spectaculū instituit, sed administrari præcepit, ad communem & salutarem corporis & sanguinis sui perceptionem, quæ ex æquo membra Christi omnia, in quolibet Sacro cœtu pleniore, ex una mensa, uno altari accipere debent. Hinc Diuus Cyprianus eius quod nos sacram hanc Cœnam mane celebramus, cum tamen id fecerit Christus post Cœnam, inter cæteras hanc causam allegat, quod cum cœnamus, ad conuiuium nostrum, plebem conuocare non possumus, ut Sacramenti ueritatem fraternitate omni præsentate celebremus. Hæc sunt uerba Cypriani, quæ sumpsit ex doctrina Pauli, 1. Corinth. x. quæ supra adduximus. Veritas enim huius Sacramenti est, ut ibidem docet Apostolus, omnes (qui quidem membra et corpus Christi sumus) corpus & sanguinem Domini ex eodem Sacramento sumere. Quare etiam Patres iudicarunt non rite & uere hanc Cœnam celebrari, nisi tota adesset fraternitas, Cœnam inquam publicam. Priuatim enim, hoc est non tota Ecclesia præsentate, Sanctiores Episcopi sacram Cœnam interdum celebrarunt, aliquando cum peregrinis, nonnunquam cum selectioribus & ardentioribus fratribus,

Sacra Cœna Dominicis et
Festis diebus, et in frequen-
tiori cœtu celebranda.

tribus, idq; in suis peculiaribus Oratoriis, aliquando etiam in priuatis
 ædibus cum ægrotis, de quorum Communione & nos infra monebi-
 mus, Et hæ uocata sunt à sanctis Patribus Missæ priuatæ, non quod in
 his nemini, sed quod paucis Sacramenta distribuerent, & non præsentem
 toto cœtu, eoq; etiam in loco quasi priuato. Cœnam enim absq; di-
 stributione Sacramentorum sancti Patres nullam celebrarunt, non
 enim dubitarunt id cum instituto Domini penitus pugnare.

DE PRAEPARATIONE AD COE- NAM DOMINI.

Cum Cœna Domini (ut antea significatum est) non debeat nisi
 cum Discipulis eius celebrari, & Ministros oporteat esse fideles
 mysteriorum Dei dispensatores, ac religiose cauere ne sanctum obiici-
 ant canibus, neq; suis margaritas, Volumus ut Pastores neminem
 ad Cœnam Domini admittant, qui antea se ipsis non obrulerit, & facta
 prius peccatorum confessione catechizatus absolutionem iuxta uer-
 bum Domini perceperit. Et ut his peragendis certum quoq; & sta-
 tum tempus sit, quo communicaturi scilicet sacra Catechesi & oratio-
 ne ad communionem Christi præparentur & sanctificentur, Curent
 Pastores populum conuocari in templum ad uesperam, pridie eius diei
 quo Cœna Domini celebranda fuerit, & præparationem atq; sanctifi-
 cationem ad mensam Domini ad hunc modum instituent.

*Nemo nisi exploratus
 admittendus ad sacram
 Cœnam.*

Vbi clerici erunt aut scholastici, ii interim dum populus conuenit,
 canant Psalmum unum aut alterum cum Dominicali Antiphona & Hym-
 no, qui tamē purus sit, id est nusquam dissentiens à Sacris literis, his ad-
 duciantur Canticum matris Domini, Magnificat, & Collecta idonea.

Deinde populus ubi conuenerit Psalmum canet lingua Germani-
 ca, Post quem Pastor aut Minister, cui munus huius præparatio-
 nis commissum est, præleget locum aliquem de Cœna Domini, uel
 ex Euangelistis, uel ex Pauli cap. X & XI. prioris ad Corinth. Aut ex
 concione Domini Iohan. VI. Quamuis enim Dominus eo loco non
 loquatur de Sacramento Cœnæ, quod nondum instituerat, prædicat
 tamen de uero esu corporis & uero potu sanguinis sui, ad quem nobis
 exhibendum Sacram deinde Cœnam instituit. Ex huiusmodi ergo
 lectionibus Ministri populum diligenter docebunt, ad quem usum
 Dominus Cœnam suam instituerit, & quomodo nos ea ad salutem
 communicare debeamus, in hunc fere modum.

*Lectio seu concio de sa-
 cra Cœna.*

BREVIS

DE COENA
BREVIS INSTITVTIO SIVE CON-
CIO DE COENA DOMINI.

QVandoquidem constituimus sacratissimam Cœnam seruato-
ris nostri Christi die crastino, aspirante ipsius numine ad cele-
brandam beatam ipsius memoriam, et fidem nostram confirmandam
peragere, mysterium huius diuinissimi Sacramenti primum paucis
explicare, et ad mentem reuocare conuenit.

*Quomodo natura nostra
caro & sanguis corrupta
& perditæ sint.*

Ante omnia igitur Dominus nobis suam carnem et suum sangui-
nem offert, sumereq; iubet, affirmans non habituros nos uitam, sed in
æterna morte hæsurus, nisi carnem ipsius manducauerimus, et sangui-
nem eius biberimus. Cogitemus et agnoscamus carnem nostram et
sanguinem, id est totam naturam nostram impietate ita perditam, et
ex iusta ira Dei æternæ morti addictam, ut ex nobis consequi uitam æ-
ternam et hæreditatem regni cœlestis nunq̄ possimus.

Hæc cogitatio et agnitio nostræ perditionis debet nos coram Do-
mino penitus humiliare et deiicere, et ea peccatorum pœnitentia ani-
mos nostros proscindere, ut etiam ad quærendam et excipiendam fide-
certa et desyderio summo oblatam nobis in uerbo et Sacramentis gra-
tiam Dei, et restitutionem ac renouationem nostri, per Communio-
nem Christi, participationem salutarem carnis et sanguinis eius, inci-
temur et incendamur.

*Carnem & sanguine Chris-
ti, nostra caro et sanguis
rursus sanctificantur &
restituuntur.*

Deinde diligenter consyderemus & perpendamus, Verbum Dei eter-
num, et Filium Dei omnipotentis, ut nos ex hac miseria liberaret, factū
carnem, factum fratrem nostrum, ut esset scilicet caro aliqua sancta, et
sanguis sanctus, id est uere cœlestis et diuinus homo, per quē omnium
nostrum caro et sanguis restitueretur et sanctificaretur, quod tum fit
in nobis, cum eius carnem uere edimus, et sanguinem bibimus, Ioh. VI.
Hinc excitari nos conuenit, ut immensam et ineffabilem charitatem
Dei in nos, qui Filium suum nobis dedit, ut credentes in eum non pe-
reamus, ita ut nati et meriti sumus, sed habeamus uitam æternā, quam
ipse nobis meritus est et confert, magis admiremur, et fide certiore uo-
luntateq; auidiore amplectamur in hoc ipso unigenito Dei saluatore
nostro.

*Quomodo Christus nobis
in sacra Cœna suā carnē
et sanguinem exhibeat.*

Tertio agnoscamus et firmiter credamus, Dominum Iesum hanc su-
am sanctificantem carnem & sanguinem in sacra sua Cœna cum signis
uisibilibus panis & uini per ministerium Ecclesiæ uere offerre nobis, et
exhibere ad remissionem peccatorum, in cibum uitæ æternæ, ad cōfir-
mandum fœdus diuinæ adoptionis, & hæreditatis sempiternæ, sic enim
habent

habent uerba eius, quare fallere non possunt, & perstabunt transeunte cœlo & terra, uereq; nobis exhibent et præstant, quæ annunciant, modo ueram nos fidem ipsis accõmodemus. Accipite, inquit, comedite, hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur. Item, Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus noui Testamenti, qui effunditur pro uobis & pro multis in remissionem peccatorum. Hæc uerba fide uera suscipere debemus, & nihil addubitare, quin Dominus, cum sacram Cœnam instituto eius celebramus, in medio nostrum sit, & se nobis per Ecclesiæ suæ ministerium, quod scilicet in hoc ipsum instituit, offerat, et tradat suum corpus & sanguinem, omneq; meritum suum, satisfactionem pro peccatis nostris, quam in cruce immolato corpore & sanguine suo perfecit, remissionem peccatorum, & gratiam Patris, iusq; Testamenti sempiterni fœderis, adoptionis, & communionis in uitam Dei, ut & nobis panis quem in sacra Cœna frangimus, uere sit communio corporis ipsius, & calix ad quem benedicimus communio sanguinis. Religiosè itaq; semper expendamus, quare Dominus sacram hanc et salutiferam sui communionem in Sacramento subinde nobis exhibeat, ut indies nimirum in cognitione peccatorum, & magis seriam penitentiam deducat, Remissionem eorum per ipsum & ardentius expectamus, & fide solidiore animoq; cupidior excipiamus, indeq; in noua uita, communionem uera ipsius, magis confirmemur & proueamur, ut ita indies magis ac magis in ipso maneamus & uiuamus, ac ipse in nobis, simusq; plenius corpus ipsius & membra, et ipse caput nostrum, quod profitemur, cum Communionem eius in Sacramento ipsius omnes accipimus, ita communicantes corpori ipsius & sanguini, ut pane uno et calice communiter participamus.

Postremo orandum nobis, & enitendum simul est, ut uera fide & religione summa, hæc dona cœlestia suscipiamus, & memoriam Domini salutarem pio gaudio & iucunda gratitudine celebremus, nos & nostra omnia ipsi tradamus & consecremus, idq; collationibus & eleemosynis in usum pauperum, largiter ac pro cuiusq; facultate testemur, Christū deniq; semper laudemus & prædicemus, omnibus uerbis & operibus nostris, pro his tantis beneficiis, pro incarnatione eius, qua est factus caput & frater noster, pro morte acerbissima, qua satisfecit pro peccatis nostris, pro eius resurrectione, & in cœlos ascensione, regnoq; cœlesti, quod ad dextram Patris administrat, nosq; Spiritu uiuificatos, et in cœlestibus collocatos perficit & absoluit in uita sua, quam impartit in uita Dei, uita sempiterna. Pro hac salutifera communionem corporis & sanguinis sui, per quam in hac ipsa uita Dei confirmamur, proueamur

Fructus & beneficia sacrae Cœnae.

Quomodo grata Christi memoria in sacra Cœna habenda sit.

himur

DE COENA

Quales non admittendi
ad sacram Cœnam Do-
mini.

himur & perficimur semper, tum præcipue in Communionem huius sacre Cœnæ gratiæ agenda sunt. Cùm autem Deus noster talis sit, cui non probetur impietas, neq; consistere ante eum queant omnes, qui operantur iniquitatem, necessarium est scire nos, non admittendos ad Cœnam Domini, id est, communionem ipsius, qui absque fide uera et charitate uiuunt, per quos manifeste læditur gloria Dei, & offenditur ipsius Ecclesia, Omnes incredulos, & manifestos idololatrias, qui Sanctos uita defunctos, Angelos aut creaturas alias inuocant, & adorant, qui statuas colunt. Item omnes incantatores, diuinos quoq; qui peccata & quæuis alia suis consecrationibus uolunt aduersus pericula conseruare, qui huiusmodi incantationibus fidem adhibent. Manifestos Dei contemptores, & blasphemos, irrisores uerbi diuini & Sacramentorum. Omnes qui statis feriis, conciones & alia publica Ecclesiæ exercitia petulanter negligere perseverant. Qui parentibus, ordinariis Magistratibus, & Dominis non obtemperant iuxta Dei præceptum, sed ipsis maledicunt, conuiciantur, et contumeliam faciunt, seditiose ac contumaciter aduersantur, Qui liberos, familiam, et subditos non educant, et curant in Domino, non erudiunt ad pietatem, honestatem, et iustitiam. Homicidas, item omnes qui in odio fratrum, ac rixis, et effusione sanguinis proximi scienter perseverant. Scortatores omnes, adulteros, et ebriosos. Fures, omnes sceneratores, raptores, aleatores, quiq; quæstû iniustum faciunt, et fraudulentas negociationes exercent, in ocio sine iusta excusatione uiuunt, atq; aliis oneri sunt. Maledicos, falsiloquos, mendaces, periuros, detractores, quiq; ueritatem et iusticiam non confitentur, et suis testimoniis confirmant, ubi id pro uocatione sua facere tenentur. Hos omnes, quæ diu in peccatis huiusmodi degunt et perseverant, neq; uerum habent propositum uitæ melioris in fide Christi, nullo modo licet admittere ad sacram Domini Cœnam, cum ab ea à Deo per ipsius uerbum arceantur et excludantur.

ADHORTATIO ALIA

QVandoquidem Charissimi in Domino Dei gratia, cras, Sacratissimam Domini nostri Iesu Christi Cœnam celebrabimus, in qua nobis carnem suam in cibum, & sanguinem in potum dedit, ad confirmandam fidem, et uitam uerè Christianam, AEquum est, ut summo studio singuli sese explorent, sicut nos hortatur D. Paulus. Hoc enim Sacramentum ad singularem consolationem et confirmationem datum est à Domino miseris et afflictis conscientis, quæ peccata sua ex animo sentiunt et confitentur, quæ iræ Dei et mortis metu perterritæ factæ

factæ sunt, atq; iusticiam Dei esuriunt & sitiunt. Si uero singuli nos ipsi explorabimus, atq; in nos descendemus, ut docet Diuus Paulus, nihil inueniemus aliud, quam horribilia omnis generis peccata, & mortem æternam, quàm peccatis nostris promeriti sumus. Stipendium enim peccati mors est, ex qua ipsi nos nullo pacto possumus eripere. Quare Dominus noster Iesus Christus nostri misertus, homo propter peccata nostra factus est, ut Legem & omnem uoluntatem Patris pro nobis, & salutem nostram adimpleret, ac ipse lueret mortem, & quicquid nos peccatis nostris sumus promeriti, idq; totum pro nobis nostriq; redemptione, Quod ut firmiter credamus, & per fidem gaudentes in ipsius uoluntate uiuamus, peracta Cœna panem accepit, gratias egit, & fregit, dicens. Accipite, comedite, hoc est corpus meum quod pro uobis traditur, id est, quod homo factus sum, quicquid item facio & patior, id totum uestrum est, & uobis addictum est, uobis fit ad salutem uestram. Ad quod testandum & confirmandum, utq; indies magis ac magis in me maneatis & uiuatis, & ego in uobis, do corpus meum uobis in cibum, & cibum uitæ æternæ. Ad eundem modum accepit & calicem, dicens. Accipite, bibite ex hoc omnes. Hic calix noui Testamenti est, in meo sanguine, qui pro uobis & multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc quotiescunq; feceritis, facietis in mei commemorationem, Id est, cum ego iam uestri curam susceperim, & transtulerim in me peccata uestra, pro eis me tradam in mortem, sanguinem meum effundam, gratiam uobis & remissionem peccatorum promerebor, ac erigam Testamentum nouum, in quo peccata remittentur, omniq; eorum recordatio abolebitur. Horum omnium piagnus et testimonium, et ad confirmandam ac promouendam uitam meam in uobis, do bibendū uobis sanguinem meum. Qui igitur hoc pacto de pane hoc comedit, et de calice bibit, et uerbis his, quæ audit à Domino, ac signis quæ accipit, firmiter credit, is uere ac salutariter carnem Christi māducat, et sanguinem eius bibit, ipsumq; totum Deum et hominem plenius in se percipit, cum omni merito eius et gratia, qua ualet apud Patrem, cum iure et communicatione uitæ æternæ, manet in Christo Domino, et Dominus in ipso, uiuetq; in æternum. Hęc itaque pie apud nos reputemus, fidemq; nostram in Christum confirmemus et excitemus, memoriam eius digne celebremus, uerbis et factis nostris omnibus, Mortem et resurrectionē, cœlestemq; gloriam et regnum eius studiosissime prædicemus, gratulemur nobis quod hic Filius Dei mortuus est pro peccatis nostris, resurrexit propter iustificationem nostri, in cœlos ascendit, et regnat ad dexteram Patris, An-

Q mose

Quomodo nos ipsos probare debeamus.

Quo pacto Christus nos à peccato & morte liberarit.

Quid Christus nobis in s. Cœna largiatur.

Vera commemoratio de qua Christus præcepit.

DE COENA


mose quoq; tollamus quisq; Crucem suam, & hunc ducem salutis nostræ fortiter sequamur, nosq; mutuo secundum præceptum ipsius diligamus, sicut ipse dilexit nos. Panis enim unus & unum corpus omnes sumus, quandoquidem de uno pane & uno calice participamus.

Post huiusmodi orationem oratio fiet pro omnibus Ecclesiæ necessitatibus, & imprimis pro iis, qui postridie communicaturi sunt. Postquam uero populus suam tacitam orationē finierit, Minister parasceuen peractam hac Collecta concludet.

Omnipotens æterne Deus, Pater cœlestis, quoniam tibi in solo Filio tuo dilecto placere possumus, sanctifica corpora & animas nostras daq; nobis, ut die crastino, salutiferam ipsius communionem in Sacra ipsius Cœna pio & fideli desyderio, ac summa gratitudine suscipiamus, ut de perpetua tua erga nos misericordia & charitate rursus confirmati, & in noua uita semper proficientes, tibi ad laudē nominis tui & populi tui utilitatem, maiore timore & studio uiuamus, & seruiamus per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

Post hanc publicam Catechesin eorū qui ad mensam Domini postridie accessuri sunt, sequatur priuata cum singulis, qui se Domini conuiuias futuros professi fuerint. Hi quoq; à ministris singuli tum ordine audiantur & instituuntur.

QVO PACTO CELEBRANDA SIT COENA DOMINI.

 Bi populus ad hanc actionem conuenerit, quandoquidem ueræ pietati consentaneum est, ut quoties apparemus coram Domino in Ecclesia eius, ante omnia agnoscamus & confiteamur peccata nostra, & remissionem oremus, Minister qui Cœnam Domini est administraturus, ubi ad altare uenerit, confessionem dicet nomine totius Ecclesiæ, eamq; lingua Germanica, quam omnes intelligant in hunc modum.

Omnipotens æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, Creator rerum omnium, iudex cunctorum hominum, agnoscimus & deploramus nos in peccatis conceptos & natos, ideoq; ad queuis mala pronos, & abhorrētes à ueris bonis, sancta tua præcepta sine fine & modo transgressos esse, contemptu tui & uerbi tui, diffidentia opis tuæ, fiducia nostri & mundi, prauis studiis & operibus, quibus maiestatem tuam grauissime offendimus, & proximos nostros læsimus. Itaq; in mortem æternam magis & magis nos ipsi sepeliuimus & perdimus,

dimus. Id uero nobis ex animo dolet, & ueniam à te oremus omnium, quæ contra te admisimus, auxilium tuum imploramus contra inhabitans in nobis peccatum, & incensorem eius Satanam. Serua nos ne quid porro contra te admittamus, et reliquam in nobis prauitatem iusticia Filii tui contege, & Spiritu tuo in nobis reprime, tandem pœnitens expurga. Miserere nostri optime & clementissime Pater, per Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum. Da & auge in nobis Spiritum tuum sanctum, qui doceat nos uere & penitus peccata nostra agnoscere, pœnitentia eorum uiua compungi, remissionem eorum in Christo Domino nostro uera fide apprehendere & tenere, ut peccatis indies plenius morientes, in noua uita ad gloriam nominis tui, & Ecclesiæ tuæ ædificationem tibi seruiamus, & complacemus. Hæc enim agnoscimus te à nobis iure tuo requirere, quare eadem præstare cupimus, Dignare tu Pater Cœlestis, qui donasti uobis uelle dare etiam, ut quæ salutis nostræ sunt, ea toto corde præstare studeamus per Dominum nostrum Iesum Christum.

Audite Euangelium. Ioan. III.

Sic Deus dilexit mundum, ut daret unigenitum Filium suum, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Aut I. Timoth. I.

Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quòd Iesus Christus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere.

Aut Ioan. iii.

Pater diligit Filium, & omnia dedit in manum eius, Qui credit in Filium, habet uitam æternam.

Aut Actorum 10.

Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per ipsum, omnes qui credunt in eum.

Aut I. Ioannis 2.

Filioli, Si quis peccarit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Vbi Pastor ex dictis Euangelis populo unum annunciauerit, addet.

Quia Dominus noster benedictus, hanc Ecclesiæ suæ potestatem reliquit, ut eos à peccatis absoluat, & in gratiam Patris cœlestis restituat, quicūq; peccatorum pœnitentes Christo Domino uere credunt.

Q ii Ego

DE COENA

Ego Christi & Ecclesie Minister, omnibus, quibus sua peccata dolent qui Christo Domino ueram fidem habent, & approbare se ei cupiunt, annuncio remissionem omnium peccatorum, gratiam Dei, & uitam æternam, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

Posthæc ubi Clerici aut Scholastici fuerint, canetur Latine Introitus, qui ex Sacris literis desumptus sit.

Post eum, Kyrieleyson, & Gloria in excelsis, Quia uero Kyrieleyson cõmunis est Ecclesie oratio, & Gloria in excelsis itidem cõmunis gratiarum actio, canat populus utrumq; Germanice.

Post hunc cantum, is qui Sacrum ministerium peragit, Collectam germanice recitet, uel legentis uel canentis more, ita tamen ut ab omni populo recte intelligatur, Ob id enim populum Minister compellat hoc uoce, Dominus uobiscum, Et, Oremus, & populus responderet, Et cum Spiritu tuo, significans eo, communem sibi cum Ministro precem fieri. Ita enim Chryso stomus dictum hoc interpretatur.

Et quia debet communis hæc oratio esse totius Ecclesie, Collecta dicitur, eo quòd ceu collecta ex præsentium omnium uotis, Deo per Ministrum offeratur, uel quòd sit oratio collectæ in unum & pariter Dominum precantis Ecclesie.

Seligendæ uero erunt collectæ puriores, & Scripturis diuinis magis consonæ, quales aliquot edi curabimus. Post Collectam sequetur pro more lectio Epistolæ (ut uocant) quæ tali loco legi debet (uertente Lectore faciem ad populum) ut exaudiri & intelligi à tota Ecclesia possit. Quare & Germanice recitabitur, quandoquidem ea lectio ad institutum & admonendum populum uniuersum adhibetur.

Post Epistolam, ubi Clerici sunt, Latine canatur Alleluia aut Graduale, aut Sequentia, si pura habeatur, & carmẽ aliquod Germanicum. Deinde legatur & Euangelium Germanice ad populum, quam lectionem mox sequetur interpretatio & concio ordinaria, Concionem Oratio pro omnibus hominum Statibus, & necessitatibus Ecclesie ad hunc modum.

OMnipotens sempiterne Deus & misericors Pater, qui per dilectũ Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, & eius Apostolos mandasti, ut coram te in nomine ipsius conueniamus, & promissisti, quicquid consentientes in nomine ipsius à te petierimus, clementer te largiturum, Rogamus per eũdem Filium tuum unicum Seruato rem nostrum, Primũ ut peccata omnia & omnes iniquitates nostras, quas hic in conspectu tuo agnoscimus & confitemur, nobis misericor
diter

Primum remissio peccato
rum & Spiritus sanctus
rogandus est.

diter condones, & iram tuam iustissimam, quam tam multiplici mandatorum tuorum transgressione sumus promeriti, per sanguinem & satisfactionem Filii tui Mediatoris nostri, clementer à nobis auertas, Confirma autem in nobis Spiritum sanctum tuum, ut totos nos tibi in obsequium tuum tradamus, nunc & in perpetuum, semper te pro nobis & aliis in uera fide inuocantes, auxilium tuum & gratiam consequamur.

Oramus itaque te ante omnia pro Ecclesiis tuis, libera eas ab omnibus Pro Ecclesia & eius Ministris. lupis & mercenariis, qui oues tuas aut misere diripiunt & dilaniant, aut perfide deserunt & perdunt, earumque perniciem superbiunt & deliciantur. Da & conserua eis bonos & fideles Ministros & Pastores. Auge Spiritum tuum sanctum in omnibus, qui sunt in hoc Sacro ministerio, ut tibi in eo fideliter, & bono gregis tui inseruiant, quo dispersæ oues tuæ ad dilectum Filium tuum, summum & unicum uerum Pastorem & Episcopum animarum nostrarum Iesum Christum, ex omni dispersione, cum errorum, tum peccatorum, per Euangelium tuum colligantur, et ad ueram eius communionem reducantur, ut sit gregis unus et Pastor unus.

Ita oramus etiam te sancte Pater pro seruis tuis, Administris gubernationis ciuilibus, pro Clementissimo Imperatore, et Rege nostro, pro aliis Regibus, Principibus, et Magistratibus omnibus. Singulariter uero te rogamus pro Reuerendissimo Archiepiscopo et Illustrissimo Principe nostro, pro Cõsiliariis eius et Præfectis, pro Senatu, Magistratibus huius ciuitatis, Da et confirma his omnibus Spiritum tuum sanctum, ut Christum Filium tuum (cui omnem potestatem tradidisti in cælo et terra, et iudicium omne detulisti) uere cognoscant et amplectantur, regnoque eius pro uirili sua ita deseruiant, ut nos et omnes sibi quidem subditos, fragmenta autem manus tuæ et oues pasturæ tuæ ita regant, ut in hoc loco et ubique uitam agamus placidam et quietam, cum omni pietate et honestate, liberatique ab omni metu hostili tibi seruiamus in omni iusticia et sanctitate.

Oramus etiam Pater cælestis, pro omnibus hominibus iis quoque, qui adhuc à Regno tuo alieni sunt, fac et his illucescere lucem Euangelii tui, trahere eos ad Filium tuum Seruatorem nostrum, ut credentes ei nobiscum salui fiant. Quos uero ad eum aliquo modo pertraxisti, et cognitione eius aliqua donasti, ut eum quidem Seruatorem suum et omnium fateantur, nondum tamen sese in omnem Euangelii obedientiam addixerint, auge his quam impertiisti fidem et cognitionem Filii tui, ut se in communionem et obedientiam eius et Ecclesiæ eius penitus tradant, in eaque per omnem uitam suam pie dictis et factis te celebrent.

DE COENA

Pro tentatis & afflictis.

Oramus te præterea Pater misericors Deus, summe afflictorū con-
solator, pro omnibus his, quos cruce & afflictione aliqua castigas, & ad
patientiam exerces, egestate, exilio, uinculis, infamia, morbis, aliisq; ca-
lamitatibus & infortuniis. Da his ut agnoscant paternam & medicam
manum tuam, sub qua sese toto corde humiliēt, Consolare & erige ani-
mos eorum fide, ac fiducia misericordiæ tuæ, cuncta etiam aduersa in
salutem tuorum adtemperantis, & libera eos à malis omnibus. Nobis
quoq; da, ut ex ipsorum correptione & pœna agnoscamus nos longe
grauiora meritos, ut maturè uitam emendemus, priusquam nobis gra-
uiora contingant.

*Pro ijs qui præsentibus ad-
sunt ministerio.*

Postremo oramus te æterne Deus Pater cœlestis pro nobis, qui hic
in conspectu tuo, ad tuum uerbum, orationem & Sacramenta, conue-
nimus, Illumina oculos mentis nostræ, Da ut solida fide cogite-
mus et consyderemus nos à prima origine naturam habere uitia-
tam, carnem & sanguinem nostrum Regnum tuum percipere non
posse, sed peccare tantum, & mortem æternam mereri, eamq; perditio-
nem quotidianis peccatis augere, Te autem Pater clementissime ex im-
mensa misericordia tua nos respexisse, ac Verbum tuum æternum, Fi-
lium tuum, carnem & fratrem nostrum in hunc mundum misisse,
eundemq; ut nos morte sua ab hac nostra perditione eriperet, et ad
imaginem & laudem nominis tui restitueret, in crucem & mortem
tradidisse, & hunc amore & misericordia nostri libenter etiam semet-
ipsum tibi in cruce pro peccatis nostris obtulisse, & pro eis satisfacisse,
nos tibi reconciliaſſe, & præter hæc omnia offerre nobis corpus suum
& sanguinem in cibum & potum, ut uiuamus in ipso, & ipse in nobis.
Hæc omnia da Pater cœlestis ut uera et fide uiua consyderemus
et apprehendamus, nunc et per omnem uitam nostram, ut abnegan-
tes nos ipsos, stultum et cœcum iudicium rationis nostræ repudie-
mus, prauasq; et noxias cupiditates reprimamus, totosq; nos ipsi di-
lecto Filio tuo Domino nostro et unico Seruatori et Reparatori per-
mittamus et consecremus, omne solatium in omnibus rebus, præsi-
dium, opem, et tutelam omnem in ipso solo, et morte eius, in cru-
ce et resurrectione eius queramus et accipiamus. Nunc quoq; san-
ctum eius corpus et sanguinem suscipiamus fide sincera et gratitu-
dine summa, Ipsumq; et te in ipso, perpetuo celebremus et laude-
mus, pro cunctis tuis immensis beneficiis, quæ nobis creando, guber-
nando, et restituendo nos contulisti, pro incarnatione, passione et
morte Filii tui, qua peccata nostra expiauit, et nos tibi reconciliauit,
pro resurrectione, ascensione in cœlos, et cœlesti gubernatione
eius,

eius, qua nos tibi restituit, et ad omnia placita tua mouet et instaurat. Deniq; & hoc amplissimo beneficio, quod se ipsum nobis hic tradidit in cibum & potum ad uitam æternam, ut ita diuinum tuum Nomē per nos & in nobis indies magis & magis sanctificetur. Regnum tuum confirmetur, & per nos propagetur ad alios. Omnia apud nos in terra secundum tuam uoluntatem eo studio & alacritate fiant, ut fiunt in Cælo. Hæc ut in nobis perficiantur, da nobis etiam panem nostrum quotidianum, omnia corpori necessaria, ualitudinem commodam, et pacem, ut fruamur his ad gloriam nominis tui. Et remitte nobis debita & peccata nostra, quæ quotidie admittimus, & pœnas quas promeriti sumus, clementer condona, uti & nos in conspectu Maiestatis tuæ, libenter & ex animo remittimus iis omnibus qui nos offenderunt. Et ne patiaris Tentatorem nostrum hostem antiquum, qui sine fine à te, à uerbo tuo nos abducere studet, unquam suis tentationibus nos subuertere. Sed libera nos ab eo, & omni malo, Quandoquidem tu solus Deus & Pater noster es, tuum est Regnum, & potentia, et gloria in Secula, Amen.

ALIA ET BREVIOR ORANDI

FORMA.

Misericors Deus Pater Cælestis, qui iussisti nos in tuo et Filii tui Domini et Saluatoris nostri Christi nomine cōuenire, et te per eundem unicum Mediatorem nostrum orare omnia, quæ et nobis et aliis desyderamus, addita amplissima promissione, nos abs te impetraturos, quicquid à te petierimus, Hoc iussu tuo et hac tua promissione freti, astamus in conspectu diuinæ Maiestatis tuæ, oramus et obsecramus te in nomine dilecti Filii tui unici Seruatoris nostri, ut condones nobis omnes iniquitates et peccata nostra, Sancto tuo Spiritu inuoues corda nostra, et ad Filium tuum Christum excites et accendas, ut te pro omnibus necessitatibus Ecclesiæ tuæ, et omnium hominum, fiducia uera inuocemus, et exoremus, quicquid ad gloriam nominis tui nobis utile esse potest.

Oramus te igitur in primis pro Ecclesiis tuis, libera et conserua eas ab omnibus iis Præpositis, quos tu non misisti, mitte et serua eis, qui dis-

Pro Ecclesia, & eius Ministris.

persas tuas ouiculas omni fide et diligentia quærant, et adducere Christo Domino nostro, qui solus bonus eorum Pastor est, et sub eo fideliter pascere studeant, ut faceffat cuncta impietas, tollantur hæreses, sectæ, omnesque doctrinæ prauæ, et peruersi cultus, nosque in unitate

Q iiii ueræ

DE COENA

ueræ fidei et cognitione Filii tui crescamus et proficiamus ad omnia, quæ tibi complacent.

Pro Magistratu.

Ita oramus te & pro Imperatore, pro Rege nostro, pro omnibus Regibus, Principibus, Potestatibus publicis, & Magistratibus, singulariter uero pro Reuerendissimo Archiepiscopo nostro, pro eius Consiliariis, & Præfectis, pro Senatu & plebe huius urbis, Da ut hi omnes officio suo fungantur secundum uoluntatem tuam, noxia omnia à subditis suis auertant & depellant, bona omnia procurent & tueantur, ut de manu inimicorum nostrorum liberati, securo tibi animo seruiamus omni sanctitate & iusticia.

Oramus præterea misericors Pater pro omnibus hominibus, sicut uis esse Saluator omnium hominum, trahe ad Filium tuum, qui adhuc ab eo alieni sunt, iis autem quos ad eum iam pertraxisti, da ut indies in agnitione ipsius & studio crescant & confirmentur.

Pro iis quoq; quos nobis ad exemplum uariis miseriis & afflictionibus castigas, oramus ut consoleres eos, & liberares malis omnibus, nobisq; des, ut Paternam tuam disciplinam, quam in ipsis nobis proponis, diligenter attendamus, considerantes nos grauiora esse meritos, quo ipsi nos in tempore iudicemus & emendemus, ne à te corripiri & condemnari necesse sit.

Nobis quoq; omnibus, qui hic in conspectu tuo, ad uerbum tuum, orationem, eleemosynas, et diuina Sacramenta conuenimus, da, ut tantum in tuo et dilecti Filii tui nomine uere conueniamus, ut diuinam tuam Legem et sanctum tuum Euangelium uera fide apprehendamus, et inde nobis ipsis indies magis morientes, dilecto Filio tuo unico Salvatore nostro totos nos permittamus, qui nos solus supplicio et morte sua acerbissima, à peccatis et sempiterna condemnatione redemit, in gratiam tecum restituit, per resurrectionem suam et regnum, quod cœlitus administrat, ad se in Ecclesiam suam uocauit, sibiq; ipsi ad uitam æternam inseruit, et membra sua fecit, ut magis magisque in ipso uiuamus, et ipse in nobis, Quo in omni uita nostra et cunctis actionibus, Nomen tuum per nos amplius semper sanctificetur, Regnum tuum et in nobis, et per nos in aliis amplificetur, pleniusq; obtineat, Ut tandem cuncta apud nos in terra ita ad uoluntatem tuam, uera animi promptitudine et alacritate perficiantur, uti illud fit in cœlis. Et ad hoc ipsum, ut ita tibi uiuamus et seruiamus toti, da nobis etiam Pœnem quotidianum, etc. ut in superiore precatione.

Ecclesia Symbolum canat.

Post hanc precationem solennem Ecclesia tota canat Symbolum fidei, Confessio enim hæc fidei nostræ ad auditum & explicatum Euangelium,

gelium, merito ab omnibus communiter fieri debet, sicut Euangelium eiusque enarrationem omnes pariter audiuerunt.

Et quia nemo Euangelium uera fide audiuerit, & ex eo rursus cognouerit atque perpenderit, quantam erga nos Deus charitatem & benignitatem in eo præstiterit, quod donauit nobis Filium, & cum eo omnia qui non ex hac ipsa fide sese Domino nostro Iesu Christo totum addicat & consecret, Consequitur & illud ex ingenio fidei ueræ, ut fideles Christi hanc sui in obsequium Christi additionem, & animi sui gratitudinem aduersus tantam Dei in se bonitatem, quam tum attentius recordantur, testari studeant sanctis oblationibus pro egente in minimis suis Christo. Dum igitur Symbolum canetur, fideles (quisque pro benedictione, quam ex liberali & benigna manu Dei perceperit) suas spontaneas oblationes offerant. Ad quod fidei & pietatis officium Pastores & Doctores populum diligenter hortabuntur, docentes eos, ut hæc oblationes confessionem fidei & preceationem, ex ipsa ueræ Religionis natura comitari debeant, nec abesse illis possint, cum non deest huius benignitatis facultas. Et quo & hoc Religionis opus commode præsteretur, fidelibusque rite commendetur, constitui uolumus in singulis templis locum aliquem insignem, non procul ab altari, qui adire decenter ab omnibus possit, in quem fideles oblationes suas coram omni Ecclesia palam offerant, Quas à sine totius Sacri, Præfati Sacri gazophilacii colligent, & in gazophilacium inspiciente Ecclesia reponent.

Quando conferenda oblationes.

Locus in quem oblationes reponenda.

Fuit mos Veteris Ecclesiæ, & ex ipso uerbo Dei mutuatus, ut post prædicatum Euangelium, priusquam Sacramentorum administratio inciperetur, excedere templis iuberentur, post nondum initiatos & alienos ab Ecclesia, etiam ii, qui adhuc in pœnitentia erant, nondum ab solutione peccatorum publica Ecclesiæ reconciliati. Quia igitur hæc disciplina tradita à Domino ipso est, & merito reuocari in Ecclesiam debet, Pastores studiose & sæpe monebunt et hortabuntur eos, qui in peccatis, quæ contra conscientiam sunt, uiuunt, ut ab illis resipiscentes conuertant sese ad Dominum toto corde. Et postquam cum Domino in gratiam restituti fuerint, et rursus ueri Discipuli Domini esse ceperint, tum sacra Cœnæ Domini et adsint, et ex ea Sacramentis Domini communicent.

Qui ab administratione Sacramentorum excludendi.

At si qui eo perduci se non patientur, et in peccatis suis, cum tanto contemptu Dei et Christi sui, perseverare uelint, his denunciât, eos ad sacram Domini Cœnam adesse non debere, et si adesse audeant, contumeliam facere Christo, et iudicium Dei grauissimum sibi accersere.

Alios, qui non mala conscientia uiuunt, nec tamen Sacramentis communicant;

DE COENA

municant, aut raro communicant, hos Pastores subinde monere debent, esse in officio Christiani hominis, mensa Domini identidem communicare, ac ita fidem suam alere & confirmare, eamq; Ecclesiae ad multorum aedificationem testari, postquam hoc sacratissimum Religionis exercitium Dominus ipse suis in hoc instituit & tradidit, ut eo in fide & studio pietatis constabulantur & inflammentur. Quocirca uidemus eos, qui tantum Domini beneficium negligunt, indies in omni pietate & religione fieri frigidiores, Deum enim hoc contemptu beneficentiae suae grauius offendunt, & Ecclesiam eo malo exemplo perniciosè oblaedunt, adeoq; et ipsi se reos faciunt corporis et sanguinis Domini, hunc cibum et potum uitae aeternae tam irreligiosè et ingratis fastidientes.

Quomodo cum infirmis
conscientijs agendum le-
uiter.

At uero quia et cognitio huius mysterii, et omnis disciplina Ecclesiae adeo obsoleuit, indeq; hodie tanta existit etiam uere credentium infirmitas, debent Pastores cognitionem & existimationem tantorum mysteriorum populo commoda & tempestiua admonitione restituere, nec quenquam intempestiua seueritate perturbare, uti et supra monuimus. Necessè enim est, ut oues Christi tam misere dispersae & infirmæ, prius ad Christum plene colligantur & sanentur, quam seuerior inter eas disciplina restituatur & exerceatur. Vt cunq; autem in Ecclesia res habeat de reliquis, hoc quidem tempore, ii tamen qui ad Communionem fuerint admissi, statim facta oblatione conuenire debent in eum locum, qui ipsis designatus fuerit, iuxta altare. In singulis enim templis, locus aliquis prope altare communicaturis mensae Domini designari debet, pro cuiusq; templi oportunitate. In eo itaque loco, qui ad communionem mensae Domini admissi fuerint, consistent, suo loco uiri, suo item mulieres, Ibiq; cum Pastore gratiarum actionem & precessionem religiose faciant. Gratiarum actio more solito habebitur, sed germanice, ut populus uniuersus gratias Domino agat, quemadmodum id & exemplum & præceptum Domini exigit, & uetus Ecclesia obseruauit.

Sacerdos.	Populus.
Dominus uobiscum,	Et cum Spiritu tuo.
Sacerdos.	Populus.
Sursum corda,	Habemus ad Dominum.
Sacerdos,	Populus.
Gratias agamus Domino	Dignum & iu-
Deo nostro,	stum est.

Sacerdos.

Sacerdos.

Vere dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubiq; gratias agere, te laudare & celebrare, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, per Iesum Christum Dominum nostrum, Per quem nos ex nihilo ad imaginem tuam condidisti, & reliquas creaturas omnes nostris utilitatibus addixisti, Cumq; per peccatum Adæ à te deficientes, inimici tui, & ideo morti & damnationi æternæ obnoxii facti essemus, tu ex infinita tua misericordia, & ineffabili charitate, eundem Filium tuum, uerbum æternum, in hunc mundum misisti, qui per crucem & mortem nos à peccatis, & à potestate Diaboli liberauit, & per sanctum suum Spiritum, quem à te nobis misit, in gratiam tuam reduxit, & adoptionem nostram perfecit, Corpus & sanguinem suum in alimoniam nouæ & æternæ uitæ communicauit, ut fiducia misericordiæ & dilectionis tuæ confirmatiores, innouatione & sanctificatione nostri ad omne placitum tuum semper proficiamus, teque hic & in perpetuum omnibus dictis & factis nostris glorificemus et extollamus, tibiq; cum omnibus sanctis tuis Angelis & dilectis filiis sine fine canamus.

Quando festa sunt singularia & commemorationes Domini nostri Iesu Christi, eorum etiam in gratiarum actione facienda mentio est, cuius post subiiciemus exempla.

His Sanctus subiiciatur, quod ubi erunt Clerici, ab eis canatur Latine, à populo uero Germanice, alternatim, ter utrinq;. Id uero quod addi solet, Dominus Deus Zebaoth, & Benedictus, à tota Ecclesia communiter canatur, ac ideo Germanice.

Statim post hæc à Sacerdote uerba Cœnæ Dominicæ canantur Germanice. Dominus noster ea nocte, qua traditus est etc. Cui uero à Sacerdote hæc uerba debent summa Religione, ac clare, quo ab omnibus probe intelligantur. Et populus ad hæc uerba Amen subiiciet. Id obseruatum est ab uniuersa ueteri Ecclesia, et obseruatur adhuc à Græcis. Continetur enim his uerbis tota substantia huius Sacramenti, Et ut salutariter cum administretur, tum sumatur, id totum situm est in uero intellectu et fide horum uerborum.

Postq; igitur Populus suum Amen responderit, addet Sacerdos.

Oremus.

Pater noster qui es in Cœlis etc.

Cui orationi Dominicæ populus rursus suum Amen addat.

Sacerdos.

Pax Domini sit semper uobiscum,

Populus.

Et cum Spiritu tuo.

Deinde ii qui ad communionem admissi sunt, & eam suo loco expectant,

DE COENA

pectant, ad mensam Domini religiose accedant ordine, prius uiri, deinde mulieres, quibus omnibus integrum Sacramentum præbeatur, ut corpore & sanguine Domini communicent, ita ut ipse id instituit, sumendo non panem tantum, sed etiam calicem.

Ad exhibitionem Corporis Pastor dicat.

Accipe & manduca ad salutem tuam corpus, Domini quod pro te traditum est.

Ad exhibitionem Calicis.

Accipe & bibe ad salutem tuam sanguinem Domini, qui effusus est pro peccatis tuis.

Sub ipsa Communionem canatur. Agnus Dei, Germanice & Latine alternatim, ubi fuerint Clerici. Deinde germanicum illud. Gott sey gelobet. Item, Jesus Christus Unser heylandt. Siquidem Cōmuniō Sacramentorum tantum temporis suppeditet.

Communionem absoluta, canat Sacerdos ad populum conuersus.

Dominus uobiscum

Populus,

Et cum Spiritu tuo.

Sacerdos.

O Remus. Omnipotens æterne Deus, gratias agimus immensæ benignitati tuæ, quòd nos corpore & sanguine unigeniti Filii tui Domini nostri cibasti, & potasti, Et oramus supplices, effice in nobis Spiritu tuo, ut quemadmodum diuinum hoc Sacramentum ore sumpsimus, ita etiam gratiam tuam, remissionem peccatorum, communionem cum Christo Filio tuo, & uitam æternam, quæ omnia nobis his Sacramentis exhibuisti, uera fide suscipiamus, & in æternum teneamus, per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum uiuit & regnat in unitate Spiritus sancti, Deus uerus, & uerus homo, per omnia sæcula. Amen.

ALIA GRATIARVM ACTIO.

Agimus tibi gratias Pater omnipotens Deus, qui nos singulari dono corporis & sanguinis tui refecisti, rogamus bonitatem tuam, ut ualeat id nobis ad confirmandam fidem in te, & inflammendam mutuam inter nos charitatem, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum &c.

Potremo benedicat Pastor populo his uerbis.

Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Illuminet Dominus uultum suum super te, & misereatur tui. Attollat Dominus faciem suam super te, & ponat te in pace. Amen.

Aut hoc

Aut hoc modo.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet uultum suum super nos, & pacem suam det nobis, Amen.

Aut ita.

Benedicat & custodiat nos Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

Aut ita.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti sit nobiscum, & maneat in æternum, Amen.

Vbi uero Clerici non fuerint, ut in pagis, ibi legantur & canantur omnia germanice, Sed cantionum ea sit moderatio, quæ in qualibet Ecclesia ad ædificationem pietatis faciat.

Quoniam uero Dominus noster Sacramentum suum eo tantum instituit, ut id edamus & bibamus ad ipsius memoriam, & nequaquam ut proponamus, aut circumferamus ad spectandum, Et quia ex eo, quod præterito uero usu huius Sacramenti huiusmodi abusus introducti sunt, ad horribilem superstitionem & impietatem Sacramentum hoc pertractum est, ad tollendum cum istam superstitionem & impietatem, tum etiam uarios imbecillium scrupulos, ac quæstiones irreligiosas circa hæc mysteria, Pastores, & ii qui Sacramentum administrant, dabunt operam, ut quoties Cæna administranda fuerit, siue in Ecclesia, siue in priuatis ædibus propter ægrotos, numerum eorum, qui communicaturi sunt, certo supputent, ut secundum eum particulas panis, & uini modum sumant. Quicquid uero de reliquiis supererit, finita Communicatione ipsi statim id sumant, non conseruent nec reponant aliquo, uel transferant, aut spectandum proponant. Verbum enim Domini, quod nos saluos facit, si ei credamus & obediamus, & in æternum condemnat, si non credamus nec obtemperemus, sic præcepit de suis Sacramentis. Accipite & comedite, hoc est corpus meum, Accipite & bibite, hic est sanguis meus. In hoc ergo Christi instituto debemus consistere, neque nouum ritum sine uerbo Dei circa hoc sanctissimum Sacramentum instituere. Et quoniam hic etiam mors Domini annuncianda est, & communio eius in nobis confirmanda, ut per eum indies magis crucifigamur mundo, tolli quoque ab hac actione debet omnis pompa mundana, ac ita omnia institui, & attemperari, ut prædicationem Crucis & mortis Christi adiuuent & ornent.

Sacramentum non reponendum, aut ceu spectaculum proponendum, neque circumferendum est.

R DE

DE COMMVNIONE PEREGRINORVM ET AEGRO- TANTIVM.



Vm usu ueniet, ut Cœnam Domini expetant non Festis diebus homines peregrini, uel ii qui se periculosos itineribus debeant committere, uel qui afflicta adeo sunt ualitudine, ut uereantur se ad proximum festum posse ad Communionem conuenire, His Pastores Cœnam Dominicam, accepta ab eis confessione idonea peccatorum & fidei in Christum, quouis die exhibebunt. Sed tamen, quoad fieri poterit, mane, & eo tempore, quo alioqui conuentus aliquis populi haberi solet, aut saltem aliquos ad hanc Cœnæ administrationem conuocabunt. Vbi itaq; huiusmodi siue perigrinantes sine ualitudinarios in cœtu de his mysteriis & omni fide in Christum admo- nuerint, et adhortati fuerint, Sacram Cœnam celebrabunt, & Sacramen- ta illis dispensabunt, ea forma & modo, quæ modo descripsimus, nisi quòd omisso cantu legere omnia possunt, clare tamen & dilucide sum- maq; cum grauitate. Si autem ea fuerit ægrotorum ualitudo, ut templum accedere non possint, Pastores ad ipsos concedere debent, & domi- ipsorum eis Sacram Cœnam exhibere, ita ut forma præscripta a- gant omnia, uel ea quæ sequitur, quæ peculiariter pro ægrotis est con- stituta, prout tulerit conditio eorum, quibus Sacramentum admini- strandum fuerit, & ad fidei ædificationem in præsentibus faciet.

Adhortari quoq; Pastores populum debent, ut non domestici tantum, sed etiam cognati & uicini ægrotantium ad eiusmodi Sacræ Cœnæ celebrationem conuenire studeant, & Sacramentis una com- municare.

QVOMODO AEGROTI VISITANDI, ET COMMV- NIO CVM EIS CELE- BRANDA.

ADHORTATIO AD AEGRO- TVM.

Mi fra



MI frater in Domino, Quandoquidem te Dominus corporis aduersa ualetudine uisitauit, ut in eius uoluntate melius acquiescas, fideli cogitatione reputandum tibi, Primum, morbos à Domino Deo nulla alia de causa nobis immitti, quàm propter peccata, Et peccatum Originis, quod ab Adam in nos traductum est, secum trahere mortem, & quidquid ad regnum mortis pertinet, omnis scilicet generis morbos, ægrotudines, miserias & calamitates. Si enim in originali iustitia absq; peccato permansissemus, nihil quicquam in nos iuris habuisset mors, multo minus morbi, & calamitates aliæ.

Vnde morbi & reliquæ afflictiones oriuntur.

Deinde ne propter peccata, morbos, & alias tentationes, mortisq; angustias desperemus, Euangelium donatum nobis esse, ut ex eo discamus & credamus. Christum filium Dei nos à peccatis liberare, & saluos facere, si ipsi credamus, Idq; duplici modo, Primum hic in terris corda nostra per Euangelium & Sacramenta, uoluntate & reatu peccatorum purificando. Actorum xv. Fide purificans corda eorum, Deinde ubi hoc pacto conscientia nostræ à peccatis emundatæ, & Deo Patri reconciliatæ sunt per fidem, peccatum ex natura nostra paulatim tollendo & expurgando, ut tandem à uitiiis omnibus puri & perfecti, in diuina iustitia & innocentia uiuamus sancti per omnia cum Deo sancto in cælis.

Quo pacto Christus nos à peccatis liberet etiam per morbos atq; adeo per ipsam mortem.

Tertio, ut hoc in nobis efficiatur & impleatur, immittere nobis Patrem nostrum Deum uarios morbos & mortem ipsam, non quòd nobis sit infensus, & perdere nos uelit, sed quòd nos plane paterna beneuolentia et cura excitare uelit, ad ueram pœnitentiam peccatorum et fidem Filii sui, atq; ita liberare, cum peccatis in quibus adhuc hæremus, tum malis omnibus tam corporalibus quam Spiritualibus, quibus propter peccata subiicimur, quod Sacrae literæ copiosissime testantur. Sic enim ait Sanctus Paulus I. Corinth. XI. Cum à Domino iudicamur, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Rom. VIII. Diligentibus Deum omnia cooperantur in salutem, et nihil eos potest separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, non afflictio, non angustia, non persecutio, non fames, non nuditas, non periculum, non gladius, mors aut uita, aut quidquam aliud.

Quarto, quandoquidem hæc ita se habent, et ex Euangelio, quod ipse Dei Filius annunciauit, suaq; morte et resurrectione confirmauit, edoctus es, et certior factus, peccata tua omnia in Christum reiecta, imo ab ipso Christo penitus sublata et abolita esse in æternum, ut nulla

Consolatio pro ægrotantibus.

VISITATIO

iam sit pœnes Deum causa iræ & condemnationis aduersus te Christo credentem, sed certo restituta tibi sit per Christum gratia Patris, misericordia, uita, & salus, Hæc omnia Dei tam immensa in te beneficia fide certa & firma tecum reputes, & fiduciam hanc tibi corroboret, Deum Patrem te iam non habere, qualis ex Adam natus, & tuis ipsius peccatis factus es, inuisum sibi & perditioni deuotum, sed propter Christum Filium suum charum, & destinatum uitæ æternæ, te iusticia & uita Christi Filii Dei in æternum uicturum in perfecta felicitate tam certo, si credas tamen, quàm est certum ipsum non propter peccata propria, sed tua, tulisse iram Dei & mortem subiisse. Quando igitur hæc ita se habent, uide ut tantis beneficiis te consoles, & certo scias, peccatum, mortem, & infernum, nihil in te habere iuris amplius, sed Christum Agnum Dei illa omnia sustulisse. Ioannis I. In se enim ea transtulit, per se uicit, ac in perpetuum delcuit. Quare confide, remissa sunt tibi peccata tua, & nihil est causæ, modo Christo Domino credas ex corde, quin certo & constanter per Christum Dominum nostrum, expectes animo certissimo à Deo Patre gratiam omnem, consolationem, tempestiuum auxilium & salutem, Tali itaq; fiducia te totum in ipsius clementem & paternam uoluntatem concredas, & reiicias, dicens cum Dauide. Deus illuminatio mea à quo timebo: Pater cœlestis fiat uoluntas tua. In manus tuas commendo Spiritum meum, Amen.

Quomodo ægrotis communicanda sit Sacra Cœna Domini.

Huiusmodi adhortatione facta, si ualetudo ægroti id ferat, Pastor recitabit coram ægrotis, & presente Ecclesia, uerba Domini ex vi cap. Ioan. ab illo loco. Amen amen dico uobis, nisi manducaueritis carnem Filii hominis, usq; ad uerba Euangelistæ. Hæc dixit in Synagoga. Eandemq; lectionem explicabit, ad consolationem & ædificationem tam ægroti, q̄ presentis Ecclesiæ. Modus autem explicationis statuatur pro commoditate ægroti. Finita explicatione eiusmodi Pastor subiiciat Confessionem communem peccatorum, cui adiciet Absolutionem. Inde recitabit Symbolum fidei, & addet talem precationem.

Pastor Dominus uobiscum,
Præsentēs Et cum Spiritu tuo.

OMnipotens sempiternæ Deus, qui ex immensa misericordia tua Filium tuum, & cum eo omnia nobis donasti, illumina corda & animos nostros, ut Filium tuum certo credamus & agnoscamus Seruatore

rorem nostrum unicum, & te in eo Deum & Patrem nostrum, communionemq; corporis & sanguinis illius, è mensa hac eius iussu instituta, ita sumamus & ea fruamur, ut uita eius noua & diuina, cum omni fiducia gratiæ tuæ, & certa expectatione beatæ resurrectionis, huic ægroto fratri nostro (uel ægroto sorori nostræ) & nobis omnibus confirmetur & augeatur, ut & nos manum tuam in præsentis uisitatione æquanimiter sustineamus, & uocationem tuam ex hoc sæculo nequam confidenter expectemus, & quamdiu tibi placet, ut hic uiuamus, tuum nomen amplius sanctificemus, & Regnum tuum propagemus & ornemus, per eundem dilectum Filium tuum Dominum nostrum &c.

Hic subiiciat Pastor precatorem Dominicam, Ea recitata, precetur pacem ægroto & præsentibus omnibus, Inde clare & religiose recitet uerba Cœnæ, Dominus in ea nocte, in qua traditus est, &c.

Et post eam recitationem præbeat ægroto, & iis qui ex astantibus se se conuiuas ad mensam Domini, ut oportet, obtulerint, integrum Sacramentum, cum illis uerbis quæ supra posita sunt. Post communionem concludat Cœnam Domini gratiarum actione, & benedictione, ut supra descriptum est.

Ægroti etiam semper exhortandi sunt ad benignitatem in pauperes.

DE COMMVNIONE IN PRIVATIS AEDIBVS PRO SANIS.



Voniam aliqui, cum ex ordine equestri, tum etiam ex aliis hominibus longius à templis habitant, quàm ut huiusmodi, ac aliis etiam incommodis anni temporibus, semper ad communem Parochiæ suæ cœrum conuenire ualeant, his Pastores non grauentur id petentibus, & cum huius idoneæ causæ existunt, Sacram Cœnam commodis temporibus in ipsorum domibus celebrare, per se, uel alios idoneos Ministros, idque modo & ritu, qui supra descriptus est. Qui autem ita prope templa Parochiarum suarum habitant, ut ad communem Ecclesiæ Communionem conuenire bene possint, hos hortari debent, ut ad illam conueniant, & nullam eis priuatam Communionem in ipsorum domibus administrant, quod & sancti Patres ueteres fieri prohibuerunt.

Quo pacto communicanda Sacra Cœna ijs qui remote à Templis habitant.

DE CONVERSIONE A PECCATIS, SEV POENITENTIA, ET CHRISTIANA EXCOMMUNICATIONE.



Quanta mala quantasq;
calamitates peccatum ad-
ferat.

Ehementer dolendum & deplorandum est, tantam esse humanam infirmitatem, & Diaboli potentiam, ut tam multi ex iis, qui in filios Dei adoptati sunt, ab inchoata obedientia Dei adeo facile recidant, & perceptam gratiam & Spiritum sanctum reiiciant, ingrati erga Deum Patrem suum, quem tam impie offendunt, & erga Seruatorem suum Christum, quem adeo insane repellunt, erga Spiritum sanctum, quem tam perfide contristant, perniciosi quoq; in se ipsos, Nam irā Dei in se prouocant, etiam temporalibus pœnis desæuituram, cum in ipsos, tum in eos, qui illis quouis modo coniuncti sunt, Id quod historia Saulis, Dauidis, & aliorum testatur. Deinde summam in hac uita consolationem sibi ipsi adimunt, inuocationem Dei. Qui enim in peccatis contra conscientiam perseuerant, ii inuocare Deum non possunt. Postremo æternæ se cōdemnationi ipsi addicunt, quodq; omnium maxime horrendū est, non omnes lapsi permoueri se patiuntur, ut reuertatur ad Deū. Quare boni Pastoris erit, sedulo instare & sibi & aliis, piis adhortationibus, ut cū timore & tremore salutē suam operentur, sicut Paulus inquit, ne uel otiosum in se donum Dei obsolescere sinant, sed excitent illud atq; exerceant, petantq; illud sibi confirmari, prauas illecebras fugiant, uitiosisq; affectibus repugnent, quemadmodum supra dictum est, in loco, de Bonis operibus.

Philipp. 2.

Quomodo deuitandum
peccatum.

Si uero quis lapsus fuerit, & peccauerit etiam contra conscientiam, siue occulte siue palam, is audiat tamen uocem Dei, adeo paterne inuitantis nos ad resipiscentiam, cum inquit in Ezechiele, Vivo ego, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

Ezechielis 13.

Quo pacto homines mor-
tendi & urgendi ad poeni-
tentiam.

Propterea etiam uoluit & tantopere præcepit Deus, existere in Ecclesia & urgeri doctrinam pœnitentiæ, quam ipse statim in paradiso cœpit, cum Adam & Euam post lapsum obiurgauit, & rursum amplissima promissione gratiæ per uenturum Semē consolatus est. Idem docent & agunt omnes omnium Prophetarum conciones, Inde q; & Ioannes Baptista, & Christus ipse, & Apostoli summam prædicationis suæ in eo posuerunt, Resipiscite agite pœnitentiam, &c.

Primum in pœnitentia est
contritio & dolor de pec-
catis.

Quid pœnitentia.

Est autem pœnitentia, dolor & cruciatus animi ob peccatum, ex fide li consyderatione turpitudinis & atrocitatis, quam esse in peccato Lex ostendit, et ex metu iudicii diuini contra peccatum, quod Lex minatur, impellens

impellens ad quærendam ueniam peccati, & gratiam Dei summo studio. Vnde Iohel. II. Scindite corda, inquit, uestra, nō uestimenta, & conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multę misericordię, præstabilis super malitia &c.

Item in Esaia, Vbi habitabit Dominus? In Spiritu contrito & humiliato, tremente sermones meos. *Esa. 66.*

Psal. XXXVIII. Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum, Esa. I. Quiescite agere peruersè, discite benefacere.

Ad hanc excitandam pœnitentiam instandum est diligenti prædicatione Verbi Dei, quod in Lege & Euangeliis nobis traditum est. Eo enim peccatū & ostenditur & reprehenditur, sicut Paulus inquit, Per Legem cognitio peccati. Admonet quoq; miserabiles illas calamitates humani generis, & perpetuas ærumnas, tot bella, & perniciosos tumultus, omnemq; pacis & politię dissipationē, cum ceteris malis, quę quotidie noua exoriuntur, esse pœnas accēse in nos irę Dei propter peccatā. Deniq; horrēda nobis cōmemorat exēpla diuinę animaduersionis, ut diluuiū, demersionē Pharaonis, excidiū regni Israelis, & Hierusalem, & similia. *Quomodo excitanda sint in animis contritio & dolor de peccatis. Rom. 7.*

Cumq; uerbum Domini testetur, ut dictum, quicquid nobis aduersi accidit, id immitti nobis diuinitus, propter peccata nostra, Et tam multa singulos ærumnæ & molestiæ quotidie exerceant, tum quas quisque ipse patitur, tum quas in aliis cernit, per has ipsas quoq; quotidianas ærumnas & molestias Verbum Domini nos peccatorum nostrorum admonet, & ad pœnitentiam uocat. Postremo, Euangelion acerrimè arguit contemptum Christi, quòd homines non sustinent agnoscere eum, atq; immensa eius beneficia, oblatam gratiam eius respuunt, inuocare Deum per eum uera fide negligunt, Propter quem contemptum comminatur & præsentis et futuras ac sempiternas pœnas.

Hęc omnia identidem ingerenda sunt, ut homines ad ueram contritionem excitentur, quo plurimum ualēt, si grauitè & religiosè proponantur.

At uero Euangelion simul animos pœnitentia deiectos erigit & confirmat, uti dictum est, fiducia gratiæ diuinę. Cor enim contritum et dolens de peccatis, iubet agnoscere & amplecti misericordiam in Christo promissam, & statuere, se certò consequi remissionem peccatorum, si credat propter Christum, qui se uictimā pro nobis Patri in cruce obtulit, remitti peccata gratis, non propter merita propria, quemadmodum antea satis explicatum est, & Rom. III. Item Ephe. II. et alias clare propositum. Ad consequendam uero hanc consolationem, tenēda est uox Euangelii. Quare in Ecclesiis retinenda et usurpāda est priuata *Euangelion deiectos erigit & consolatur.*

DE CONVERSIONE A PECCATIS

Quæ consolatio ex priuata Absolutione.

absolutio, ut per eam etiam singulis per se annuncietur uox Euangelii, & beneficia Christi exhibeantur, sicut inquit Christus Ioan. XX. Quorumcumque remiseritis peccata, remissa sunt eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Item Math. XVIII. Non tantum septies remittes, sed septuagies septies. Sic Luc. XVII. Si septies in die peccauerit in te, & septies conuersus dixerit, pœnitet me, remitte illi.

Absolutionem firma fide amplectendam.

Hæ sententiæ clarè docent & præcipiunt, eos qui agnoscunt peccata sua, & pœnitentia eorum perculsi sunt, non relinquendos in dubitatione ueniæ, sed annunciandâ esse eis nomine & mandato Christi remissionem peccatorum, absoluendos esse à peccatis, Quam Absolutionem accipere hi debent & amplecti, ut certam uocem Euangelii, & credere se non dignitate huius operis, qualem & Ethnicæ Absolutionem habebant, sed propter Christum consequi remissionem peccatorum.

De priuata Confessione.

Confessio cuiusmodi in uerbo est egi mandata

Proinde ut hoc præclarum Absolutionis beneficium in Ecclesiis commodius retineatur, iniungimus Parochis omnibus, & reliquis Ecclesiarum ministris, qui Sacramenta administrant, ut neminem ad Communionem Cœnæ Domini admittant, qui non à Pastore, aut reliquis Ministris Sacramentorum, priuatam antea Absolutionem acceperit. Ac propter absolutiōem hanc in Ecclesiis conseruandam, debet & Confessio peccatorū priuata retineri, Non quòd sit necessaria enumeratio peccatorū, sed quòd perutilis sit, & multis necessaria priuata illa, quæ in Cōfessione fieri debet, Catechesis, atq; cōsolatio priuatæ Absolutionis. Quamq̃ unusquisq; humiliter cōfiteri debet se peccasse, & ex animo dolere sibi, quod Deum offenderit, certoq; & firmo esse proposito, uitam suam emendandi, regendiq; eam deinceps secundum legem Dei, in timore Dei, in uera fide, obediētia, inuocatione nominis Dei, gratiarum actione, adeo ut nemini sit offendiculo, q̃ plurimis aut ædificationi pietatis, & adiumento ad omne bonum. Debet etiā quisq; Ministro Christi, cui peccata sua cōfitemur, ea maximè peccata & delicta sua detegere, quæ cōscientiam præcipuè sollicitant & premunt, et de quibus cōsilio, institutione, et consolatione ex uerbo Dei opus habet, quo possit deinceps et maiore cautione à peccatis, et certiore fiducia misericordiæ Dei uiuere, atq; Deo seruire, post hæc demū conuenit Absolutionē petere.

op deinde ueni
Christi hoc signa

Ad quid ualeat priuata Confessio.

Huiusmodi Confessio plurimū ualeat ad cōmonendos et instituentos pœnitētes, et conducit eo, ut norit Pastor eos ante Absolutionem, quo institui cōmodius ualeāt ad ueræ Christianæ uitæ emendationē, nū is qui cōfitemur, Absolutionē uerè perat. Nō enim sunt margaritæ obiectæ porcis, Et qui nō pollicetur uitæ emendationē, is nec Absoluendus est. Nā pœnitentiam eiusmodi hominis fictā esse oportet et simularā.

In hac

In hac uero confessione Pastor unumquemq; audire atque examinare debet de fide sua, atq; ordine rogare de decem Præceptis, atq; monere ut homines discant peccatū esse contra Deum, cum quid admiserint contra illa præcepta, & ea transgressi fuerint, Vt ita teneāt quidnam sit peccatum, ac iunioribus & rudioribus debet hæc exploratio, & catechesis singulari studio adhiberi. Post hæc rogādus erit is, qui quærit Absolutionem, num serio uelit emendare uitam, & deinceps uiuere in timore Dei, & uerè obedire Deo. Si polliceatur, rogari debet, si cui scandalo fuerit, si quempiam offenderit, aut iniustè læserit, ut quantum fieri possit, scandalum tale rursus tollat, et reconciliari ei studeat, quem offendit. Si uero crimen aut offendiculum manifestum sit, ut si quis alienam apud se mulierē foueat, aut palam cum aliqua cōsuetudinem illegitimā habeat, aut manifestā cum aliquo exercent inimicitia, uel detineat manifesto alicui res suas, Si quid huiusmodi manifesti offendiculi existat, differri Absolutio debet, donec scandalum palam remotum sit. Admoneri quoq; grauius debet is, qui petit Absolutionem, requiri ueram pœnitentiam, eamq; non esse rem uulgarem, sed serium & uehementē dolorem de peccato, cum fidei desyderio ueniē, & firmo proposito uiuendi melius, Deumq; grauisimè offendi, si quis Absolutionem petat, nō ex uera pœnitentia, sed magis hominum gratia uel consuetudinis.

Admoneri deniq; debent confitentes, uerā pœnitentiæ esse, omnes peccatorum occasiones studiosè uitare, omnem locum, omne tempus omnem hominum congressum, qui aliquam peccati occasionem offerret, fugere, tum maxima animi contentione pugnare contra prauas cupiditates, & incitamenta peccatorum, assiduoq; opem Dei implorare. Ita enim fides & inuocatio in uera pœnitentia exercenda est.

Cum itaq; is qui rogat absolui, sic admonitus, receperit se ista quæ commemorata sunt, omnia diligenter curaturum & facturum, absoluaatur a peccatis in nomine Christi, & Absolutione data, ad Cōmunionem Cœnæ Domini admittatur.

DE EXCOMMUNICATIONE



Si uero quis in manifestis flagitiis perseuerat, aut testibus idoneis conuinci potest de tali crimine, unde merito puniri debeat, ac secundum Verbum Dei, partem in regno Christi habere non possit, nec tamen is moueatur cogitatione iræ Dei, cui uiuit obnoxius, nec impendentis

Quomodo unumquemq;
examinare Pastor in Cō-
fessione debeat.

Cui imperienda sit ab
solutio, & cui non.

*Explorandum uult
Christi*

DE EXCOMMUNICATIONE

Pastor cum alijs ad hoc constitutis ab Ecclesia, homines admonere & excommunicare debet, ubi Dei uerbum requirit.

impudentis grauissimi supplicii, quod meretur, nec publici scandali, quod alijs obiicit, ut conuertere se ad Dominum sustineat, hunc debet Pastor cum alijs, qui ex reliqua Ecclesia uiri religiosi per oppida & pagos ad hanc rem deligendi & constituendi sunt, grauius admonere, ut resipiscere tandem à peccatis suis uelit, & reuerti ad Deum Patrem & Seruatorem suum, scandalum quod Ecclesiæ obiecerit remouere, adeoque cum Deo & Ecclesia reconciliationem digna pœnitentia quærere. Ut quisq; tali adhortationi in sua parochia cum omni subiectione & humilitate obtemperet, ipsa poscit obedientia Christo debita. Pars enim ministerii est, de quo Christus ait, Luc. X. Qui uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit, qui uero me spernit, spernit eum qui me misit. Si itaq; is qui cum publico scandalo uixit, adhortationem eiusmodi admittat, & polliceatur emendationem, primò debet scandalum quod dedit tollere, Ut si illegitimã habeat cum muliere aliqua consuetudinem, eam seiungere à se debet, Si cum aliquo apertas inimicitias exercuit, cum eo redire in gratiam, quantum ad ipsum attinet, Si res alicuius aperta iniusticia detinuit, illas reddere, Hoc factò debet Pastorem suum adire, peccata sua confiteri, melioremq; uitam polliceri, & sic absolutionem petere atq; percipere, ac tum demum ad Cœnam Domini admitti.

Quando excommunicati absoluenti sint.

Forma & modus excommunicandi.

Sin autem uocatus eiusmodi homo, qui in manifestis peccatis perseverat, uenire ad Pastorem & cæteros pœnitentiæ ministros renuat, uocetur ter, uel si uenerit, permanserit tamen nihilominus post tertiam admonitionem in flagitijs suis obstinatus, res tota per Pastorem & unum ex illis, qui cuiq; Pastori ab Ecclesia ad hoc ministerium adiuncti fuerint, deferatur ad Superintendentem. Is uenire debet ad eam Ecclesiam, in qua obstinatus eiusmodi flagitiosus fuerit, & illum rursus uocare ad se cum Pastore, & eis qui ibi negotio huic deputati fuerint. Et si ille flagitia sua nondum reliquerit, uiramq; suam non emendarit, nec adhuc emendationem grauius promittat, debent hi omnes pariter sententiam contra talem ferre, & iudicare eum Ecclesia eiiciendum, & excommunicatum habendum esse, eaque sua communi sententia illum omni communionem Ecclesiæ excludere. Et quem hi ita excommunicarint, is ab omni Ecclesia, ut alienus à corpore Christi haberi debet, et nequaquam admitti, siue ad sacram Cœnam, uel ad Baptismum, uel ordinationem Ministrorum Ecclesiæ, uel benedictionem coniugii, quæ in Ecclesia fieri consueuit. Concione tamen non est ei interdendum, Imo magis ut audiat adhortandus, quo ex uerbo Dei, de ira Dei, de æternis et præsentibus pœnis, de ingratitude sua

Quomodo habendus sit excommunicatus.

sua aduersus misericordiam Dei, & acerbam mortem Christi admo-
neatur. Nam ministerium Euangelii de omnibus in toto orbe, bo-
nis siue malis, perpetuo iudicare debet, arguere peccata omnium, se-
cundum illud dictum Christi, Spiritus arguet mundum de peccato,
&c. Ioan. 16.

Vt uero homines ministerium & uim Excommunicationis ritè
intelligant, & uera de hac re doctrina in Ecclesiis conseruetur, illud di-
ligenter animaduertendum & docendum est, quid interfit inter Eccle-
siasticas & ciuiles pœnas. Magistratus ciuilis ex mandato Dei cor-
poralibus pœnis, carcere, exilio, ademptione facultatum, morte, ho-
mines coercet & punit. Quo etiam officio suo fungi debet, non tan-
tum propter publicam pacem, sed et gloriam Dei, & ad Disciplinam
retinendam inter homines, Roma. XIII. Qua de re admonere po-
pulum subinde Ministri studeant. Et si Magistratus ciuilis concedat
excommunicato usum politici status, & consuetudinis ciuium, excom-
municatio Ecclesiæ ciuilem communionem impedire non debet, Li-
cetq; ueris & obedientibus Ecclesiæ membris huiusmodi hominis uti
consuetudine in rebus ciuilibus, & in administratione Reipub. in pub-
licis iudiciis, in emendo & uendendo, & similibus negociis ciuilibus socie-
tatis, & necessitatis huius uitæ. In aliis autem non necessariis rebus ui-
tanda est membris Christi talium consuetudo, ne se peccatis alienis
contaminent. Imo sic se gerere erga huiusmodi debent, ut & ipsi & alii
intelligant eos grauius dolere & tristari, propter ipsorum flagitia &
scandala, quæ Ecclesiæ Dei obiciunt.

*Discrimen pœnarum Ec-
clesiasticarum & ciuiliu.*

*In quibus etiam excommu-
nicatis habenda sit con-
suetudo, in quibus non.*

Si uero quis in Excommunicatione moriatur, reliqua Ecclesiæ
membra funeri eius ne adsint, sed ut reiectitium cum habeant, postq̃
sine inuocatione nominis Christi, & confessione peccatorum suorum
mortuus sit.

Adhibenda itaq; Excommunicatio est à Superintendente, Pasto-
re & cæteris, ad hoc ministerium adiunctis, tantum aduersus publicè
flagitiosos, qui nolunt resipiscere, non in ciuilibus negociis, ut ad exi-
genda debita, De his enim politica iudicia Magistratum ualere &
iudicare debent, & eam rationem obseruare, quæ in Reformatione no-
stra ante hac de hoc edita, descripta est, et si opus sit, cum consilio no-
strorum plenius adhuc describetur.

*Non in ciuilibus negociis
ut propter debita, sed tan-
tum propter manifesta
flagitia excommunicatio-
nem adhibendam.*

Pastores itaq; et Doctores Ecclesiarum homines diligenter doce-
re & monere debent, ne parui faciant Excōmunicationem, nec dubitent
cum et à Deo uerè reiectū esse, qui legitime excōmunicatus fuerit, nec
raro Deum ad confirmandum metum excōmunicationis etiā corpo-
ralibus

*Grauius populo confir-
mandum esse metum ex-
communicationis a Pastro-
ribus.*

DE EXCOMMUNICATIONE.

ralibus pœnis animaduertere in eos, qui Excommunicationem Ecclesie contemnunt. Nec enim potest irrita esse Ecclesie & piorum hominum uel benedictio uel maledictio. Sicut est Genes. XII. Benedicam benedicientibus tibi, & maledicam maledicentibus. Et Psal. CIX. Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius suscipiat alter. Item, Induat maledictionem tanquam uestimentum. Testatur hoc etiam exemplum I. Corinth. V. Ita cum Ambrosius excommunicasset scribam Stiliconis, subito agitatus est ille à Diabolo. Quare non dubium, quin certo daturus sit pœnas Deo, qui excommunicationem legitimam contempserit.

Quo pacto recipiendus
& absolendus sit excom-
municatus.

Si uero Dominus dederit, ut is qui excommunicatus fuit, uelit resipiscere, & desistere à flagitiis suis, propter quæ excommunicatus erat, agnoscat & confiteatur peccata, & si quem offenderit, ei reconcilietur, peratq; suppliciter peccatorum & inobedientie suæ aduersus Deum & Ecclesiam remissionem, hic, si se in hic omnibus ut uere pœnitentem Christo & Ecclesie ex animo obedire confiteatur, Pastor eum publice coram altari absoluat, & communioni Christi & Ecclesie restituat, Astare tamen Pastori debent & ceteri ad hoc ministerium deputati, ut testes eorum, quæ absolendus promittit, & Absolutionis ritè factæ.

Et ne quis requirat iudicia, per quæ citra illegitimam moram & absque grauibus impensis ius suum in debitis persequi & obtinere queat, curabimus adhibito nostrorum consilio & opera, eam rationem iudiciorum, quæ nostro nomine & Archidiaconorum habentur, inire & constituere, ut homines nihilominus ad faciendum quod iustum est, adigantur, idq; citra abusum Excommunicationis, & contumeliam Clauium Christi.

DE ORDINATIONE ET CONSTITVTIONE PASTORVM.



Hoc omnes uero Dei timore & pietate præditi homines intelligunt, munus Sacerdotale, hoc est, Ministerium prædicandi Euangelium, & Sacramenta atq; disciplinam Christi administrandi, esse ac fuisse ab initio mundi, & fore usq; in finem mundi, inter omnia munera & ministeria, quibus humanæ uitæ utilitates procurantur, summe necessarium & salutare. Nam ad hoc munus misit Deus Filium suum in hunc mundum, promissum inde ab initio humano generi,

Quam sit necessarium ha-
bere idoneos Pastores atq;
Ministros Ecclesiarum.

neri, misit & præstantissimos quosq; ex hominibus, Patriarchas & Prophetas, admirandisq; rationibus conseruat illud per omnia sæcula, ac sapè magnificè restituit.

Quare omnibus Curatoribus Ecclesiarum iniunxit, ut summa religione elaborent, quo hic thesaurus uitæ æternæ, hoc ministerium salutis, & beatæ communionis cum ipso & Christo eius, non nisi fidelibus & idoneis hominibus committatur, quo conseruari semper synce- rum possit, nec extingui unquam cõtingat, uti apud Ethnicos accidit. Quocirca quæ Spiritus sanctus de Religione huius ministerii præcepit, cū alias, tum ad Timoth. quàm studiosissime consyderanda sunt, & in Ecclesiis, quoad fieri poterit, reuocanda. Nec dubium est Episcopos hac potissimum causa cæteris Presbyteris præpositos esse, ut huic rei singularem curam impenderent, quo sinceritas doctrinæ & disciplinæ Christianæ Ecclesiis conseruaretur, & administrationi eius idonei homines præficerentur. Et manifestum est Ecclesias ab initio mundi grauissima damna accepisse ex negligentia, inertia, temeritate & audacia eorum, qui doctrinæ & disciplinæ Christi præfecti fuerunt. Vti & aliæ Respublicæ tum maxime afflictæ fuerunt, ac penitus conciderunt, quando ceperunt per uitiosos magistratus procurari. Citius enim semper defunt Rebus publicis idonei gubernatores, qui bonas leges custodiant, tueantur, & exequantur, quàm bonæ & commodæ Leges. Quamobrem in hoc præcipuam adhiberi diligentiam uehementer optamus, ut Ecclesiis fidei et idonei curatores constituentur, uti maxime necessarium est, et nobis præcipue incumbit. Nemo igitur in deteriore partem accipiat, quod de uia et ratione despiciamus, qua exploratio eorum, qui ad procurandas Ecclesias adsumi debent, maiore quàm hæctenus religione fiat.

Quo sine Episcopale munus seu Pastorale potissimum sit institutum.

Nolumus quidem cuiquam ius suum, Ecclesiis curatores præstandi, adimere. Adhortamur autem omnes, qui hoc ius sibi sumunt, ne ex fauore aliquo et studio carnali, aut alia ulla causa Ecclesiis obtrudant, qui ad hoc sacratissimum ministerium parum instructi aut uoluntarii sunt, Sed ut summa cura requirant, qui munus hoc rite et religiose obire et uelint et ualeant. Id quod fides ipsa Christi maximopere requirit, ab omnibus quidem Christianis, potissimum autem ab iis, quibus Ecclesiæ singulariter ad hoc ipsum commendatæ sunt.

Adhortatio ad eos qui in Ecclesiis patronatus habent.

Quo autem et nostrum hac in re officium præstemus, præcipimus, ne quisquam ad ullam Ecclesiam curandam inuestiatur, qui non sit per eos Examinatores, quos huic muneri præficiemus, diligenter

Nemo ad functionem in Ecclesia inuestiendus, nisi ante examinatus.

S ante

DE ORDINATIONE PASTORVM

ante examinatus & comprobatus, afferatq; ab his Examinatoribus testimonium suæ probationis, & ad eos quorum est inuestire, & ad Suffraganeum nostrum.

Qua ad examen requirantur,

In examinatione uero horum tria maxime requiri debent. Primum, ut is, qui ad Sacrum Ecclesiarum ministerium assumi debeat, adferat ad Examinatores idoneum testimoniū fide dignis literis consignatum, de uocatione ac uita sua antea cta. Vetat enim Dominus ad hoc præstantissimum munus admittere, qui leges suas palam contemunt, & manifestis flagitiis obnoxii sunt.

Secundo, Explorari debet assumendus ad hoc ministerium, an satis intelligat & teneat doctrinam Christi, cuius summam hoc libro comprehendimus. Et an agnoscat & confiteatur hanc ipsam doctrinam hoc libro summam descriptam esse, ueram, uti sane unica & indubitata doctrina Christi est, quam uera Catholica Ecclesia Christi perpetuo tenet & sequitur.

Quid promittere præficiendus Ecclesie debeat.

Tertio, Requiri à præficiendo Ecclesie Christi oportet. Cum hanc doctrinam satis intelligere, & ueram confiteri deprehenderit, ut promittat se in ea doctrina perseueraturum, eamq; fideliter traditurum eis, quibus ad hoc præficietur, præscriptoq; huius libri in omnibus diligenter obsecuturum, atq; munus suum per omnia, bona fide & diligentia obiturum.

De ordinatione.

Ad hūc modum cum exploratus & probatus quis fuerit, dare ei Examinatores testimonium debent suæ probationis, ad eos quorum est inuestire & Suffraganeum. Qui in cæremoniis Ordinationis nihil adhibere, nec quicquam ordinando imponere debet, quod cum hac ipsa doctrina Christi in hoc libro proposita non consentiat. Quandoquidem constat hanc doctrinam, quæ hoc libro comprehensa est, esse uerè Christianam doctrinam, & certam sententiam, ac fidem Ecclesie Catholice. Iam ex Episcopali nobis munere incumbit, ne eas obseruationes, quæ præter mandatum Dei, & ad perniciem multorum Sacerdotum irrepsert, tueamur, Sed eam potius uiam & rationem quæramus & ineamus, ut & idoneos ministros Ecclesiis nostris inuenire possimus, & ut huius ministerium suum bona conscientia, non impediti iniquis traditionibus hominum aut uotis, obire, Deum certa fiducia inuocare, & pie atq; fœliciter in eo ministerio uersari ualeant.

Quomodo corrigendi Pastoratus.

Confidimus quoq; eos, qui modo Ecclesias administrant, ei rationi docendi, et Sacras Cæremonias administrand, iubi eam cognouerint, se libenter accommodaturos esse, neq; dissentaneam ab his uitam acturos.

ros. Sicubi secus accidat, Visitatores habebunt mandata, ira Ecclesiis de necessariis & idoneis ministris prouidendi, ut nemo tamen causam habeat, de iniquo aliquo grauamine conquerendi.

DE BENEDICENDIS NVPTIIS.



Vi Matrimonii fidem sibi mutuo dederint, ii ambo Sponsus & Sponsa, cum Parentibus suis utrinq; uel aliis cognatis, uel amicis duobus aut tribus, Pastorem seu alium constitutum ad id Ministrum Ecclesiæ adeant, & desponsationem suam illi significant, & benedictionem Ecclesiæ petant. Qui eos diligenter percontari debet, num desponsatio eorum facta sit uoluntate parentum utriusq; aut eorum, sub quorum tutela & potestate sunt, num cætera etiam legitime & Christiano more peregerint, num quod obstat coniunctioni eorum impedimentum legitimum. Si enim impedimentum aliquod sit, quo minus legitime, & citra scandalum conuenire Matrimonio ualeant, Pastor Coniugium eorum nequaquam comprobet, aut in Ecclesia benedicat, donec obstaculum illud sublatum, & coniunctio eorum comprobata fuerit, per eos qui huic negotio & causæ nostro iussu præerunt.

Quo pacto explorandi & admonendi, quia mutuo sibi fidem matrimony dedere.

Præterea hortabitur eos Minister Ecclesiæ, ut nuptias tales celebrent, quæ Christianos deceant, nec imitentur pompam & luxum Ethnicorum. Deinde conscribat utriusq; nomen, et ternis festis aut Dominicis diebus de suggestu promulget contractum inter eos conubium, hoc modo.

Ioannes N. & Anna N. addixerunt sibi inuicem fidem Sacri coniugii, & cupiunt illud ab Ecclesia comprobari, & benedici, petunt itaq; preces Ecclesiæ pro sese fieri, ut in nomine Domini hoc uitæ genus auspicientur, & in eo uitam suam degere ad laudem & gloriam Dei ualeant. Si uero quispiam aliquod legitimum impedimentum obstare horum coniunctioni sciat, is ad gloriam Christi, & auertendum scandalum Ecclesiæ, illud in tempore indicet.

Promulgatio matrimonij.

Talis publicatio, ut dixi, ternis & continuo sibi succedentibus Festis fieri debet, nisi peculiare aliqua et graues causæ aliud poscant, mo-

Promulgatio ternis continuis festis fieri debet.

S ii ramq;

DE BENEDICENDIS

ramq; tantam non ferant . Nullis tamen hominibus aliquid de hac terna Proclamatione remitti debet, nisi permittentibus, quos his causis Matrimoniorum præficiemus, & quorum Matrimonio palam est, nullum obstare impedimentum legitimum . Sed & horum tamen uel uno die Festo desponsatio in Ecclesia publicari debet.

Nuptiæ confirmandæ & benedicendæ in Ecclesijs.

Præterea & illud obseruari uolumus, ut omnium nuptiæ, siue Sponsæ uirgines sint, siue uiduæ, in Ecclesia per uerbum Dei & orationem confirmentur, & sanctificentur, atq; ut ad Ecclesiam ueniant cum omni modestia & honestate, ut decet eos, qui in Domino conueniunt, & benedictionem Domini suis nuptiis uere expectant . Quare operam dabunt, ut quamplurimos secum ad Sacrum conuentum adducant, etiamsi Christiana moderatio conuiuio nuptiali non ita multos adhiberi postulet . Multorum enim preces pie experuntur . At quia conuenitur, ut desponsatis gratia & Spiritus Dei bonus oretur, per Dominum nostrum Iesum Christum, & hunc Crucifixum, ita apparere in conspectu eius oportet, ne quo mundano luxu & pompa gloria Crucis Christi oblædatur.

Ea deniq; hora in Templum uenire debent, cum alias Ecclesia Christi conuenit, & adesse debent initio Sacri conuentus, ut cum reliquo populo Christi & uerbum Domini audiant, & preces ad Deum fundant.

Cum ergo in Templo loco ad id constituto, qui scilicet sit omnibus in conspectu, præsentē Ecclesia adfuerint, dicet Pastor ad Sponsum & Sponsam.

Adestis ergo hic in conspectu Dei Patris nostri, & Domini nostri Iesu Christi, coram hac Ecclesia eius, ut profiteamini coniugium uestrum, quod inter uos in Domino uobis inuicem promisistis, & ut benedictionem atq; sanctificationem eius à Domino per Ministerium Ecclesiæ eius percipiatis?

Responsio Sponsi & Sponsæ.

In hoc adsumus.

Tum addet Pastor.

Cum nemo igitur post renunciatam publicè horum desponsationem extiterit, qui eorum coniunctioni contradixerit, aut aliquod legitimum impedimentum, siue ex consanguinitate, siue ex affinitate, aut ulla alia de causa indicarit, confirmare dignetur Pater cælestis quod in uobis operatus est.

Quo

Quo uero melius intelligere & agnoscere possitis, quantum uobis Deus & Pater noster cœlestis gratiæ & beneficii in eo contulerit, qui uos Sacro Matrimonio copulauit, & dignas discatis ei pro hac benedictione & beneficentia eius in uos, gratias agere, uosq; ipsos inuicem firmiore fide, tanquam manu Domini iunctos, suscipere & complecti, atq; auxilium eius confidentius implorare, ut in hoc statu seruire ei semper, coniugii deniq; fidem & officium plenius semper cognoscere & considerare, promptiusq; mutuo præstare possitis, aliquot testimonia Scripturæ, & piam ex his adhortationē religiosis animis audite, Et primum Sacri Coniugii primæuam institutionem ex capite secundo Geneseos,

Dixit Deus, non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium, quæ apud eum uersetur, Immisitq; Deus soporem in Adam, cumq; obdormiisset, tulit unam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in Mulierem, & adduxit eam ad Adam, dixitq; Adam. Hoc nunc os est ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc uocabitur uirago, quia de uiro sumpta est. Propterea relinquet homo Patrem & Matrem suam, & adglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam.

Deinde audite uocem Christi ex Euangelio.

Matthei 19,

Accefferunt ad Iesum Pharisei tentantes eum, & dicentes ei. Licet ne homini diuortium facere cum uxore sua, qualibet ex causa? Qui respondens ait eis. An non legistis, quod is, qui fecit ab initio, Masculum & fœminam fecit eos, & dixit. Propterea deseret homo Patrem & Matrem, & adglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam. Itaq; iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus copulauit, homo non separet. Dicunt ei. Cur ergo Moses iussit dari libellum repudii, et dimittere eam? Ait illis. Moses ad duriciam cordis uestri permisit uobis repudiare uxores uestras. Cæterum ab initio non fuit sic, dico uobis, quod quicumq; repudiarit uxorem suam, nisi ob stuprum, et aliam duxerit, is committit adulterium, et qui repudiatam duxerit, is adulterium committit.

Tertio audite etiam præceptum Spiritus Sancti de officio coniugali.

Sic enim præcepit coniugibus, Ephse. 5.

Viri diligite uxores uestras, Sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret, mundatam la

DE BENEDICENDIS

uacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis. Sic debent uiri diligere suas uxores, ut sua ipsorum corpora. Qui diligit suam uxorem, seipsum diligit, Nullus enim unquam suam ipsius carnem odio habuit, imo enutrit & fouet eam, sicut & Dominus Ecclesiam. Uxores propriis uiris subditæ sitis uelut Domino, quoniam uir est caput uxoris, quemadmodum & est Christus caput Ecclesiæ, & idem est qui salutem dat corpori. Itaque quemadmodum Ecclesia subdita est Christo, sic & uxores suis uiris subditæ sint in omnibus.

Ex his locis admonendi sunt & desponsi & reliqua Ecclesia, ut discant & considerent primum, quàm sanctum & Deo acceptum uitæ genus sit Matrimonium. Ex his enim locis cognoscitur, Deum ipsum Sacrum Coniugium instituisse, et in paradiso homine adhuc integro et sancto, atque præclare huic coniunctioni benedixisse, ipsumque hodie coniungere, unireque eos omnes, qui in suo nomine Coniugium inter se contrahunt, ipsumque dare uirum uxori caput et Seruatorem, quemadmodum caput et Saluator Ecclesiæ Christus est, uiro dare uxorem corpus et adiutorium eius, ad id scilicet, ut piam, honestam, ac fœlicem hic uitam transigant unâ.

Quam sanctum genus sit
Matrimonium.

Ex his sane pius animus certo concludet, Deo hanc coniunctionem Viri & Mulieris omnino gratam, ac ideo sanctam ac fœlicem esse, quod & ex eo apparet, quod Deus coniunctis Matrimonio tantam & erga seipsum mutuo, & erga liberos, atque cognatos, & iunctos utrinque quauis ratione, tam admirandam fidem, charitatem, & promptum adeo ad omne obsequium animum indit. Deus enim charitas est, & qui in charitate manet, in Deo manet, & tota Lex completur dilectione proximi. Quare in quocunque statu uitæ plus fidei et charitatis, animusque promptior ad inseruiendum commodis proximorum iuxta uerbum Domini existere solet, is indubie hoc gratior Deo, sanctior et beatior est. Atqui inter homines certior fides, inflammator charitas, et admonendi se inuicem arctior necessitudo, et promptior uoluntas non est, quàm ea sit, quæ existit inter coniuges, qui in Domino conuenerunt, ac inde inter ipsos et liberos eorum, et eos omnes, quos sibi coniugii causa iunctos utrinque habent. Quapropter quoscunque Deus in hoc genus uitæ adduxerit, hi gratias Deo agere ingentes debent, pro hoc tanto beneficio, quod
eos

eos uocarit in uiuendi genus tam sanctum et sibi acceptum, Neq; aliter sponsus sponsam suam, & sponsa sponsum suum, quam ut manu Domini sibi traditum & coniunctum suscipere & complecti debet, ac quicquid in Matrimonio aduersi acciderit (ut est hæc coniunctio singularis officina quædam piæ ac fidelis inuocationis) certa fiducia ad Deum confugere, et auxilium atq; consolationem ab eo petere. Nec enim potest Pater indulgentissimus, filios in eo uitæ genere, in quod ipse eos constituit, deserere, aut non mitigare, quas ipse difficultates & obedientiæ exercitia in hoc statu existere uolet, ad probandam mirum et excitandam fidem suorum, non ad affligendum eos,

Quisq; coniugem suam complecti debet ueluti manu Domini traditum sibi.

Hæc ergo ut ex prælectis Scripturæ locis homines concludant de Matrimonii sanctitate, de parato huic statui auxilio Dei, indeq; discant Deo pro hoc tanto beneficio religiosè gratias agere, & confidenter opem eius in omni difficultate, quæ in hoc statu inciderit, implorare, Pastores diligenter admonebunt & adhortabuntur.

Deinde & illud ex eisdem locis docebunt et monebunt, quanta possunt diligentia, quanta ii, qui iuncti Matrimonio sunt, se beneuolentia & charitate inuicem amplecti debent, qua ratione, et qua animi promptitudine se mutuo demereri, quo studio uir se præstare uxori caput et seruatorem, et mulier uiro corpus, et fidele adiutorium ad cuncta utriusq; hominis negocia & officia, qua deniq; cura colere eos oporteat animorum inter se consensionem, cauereq; omnem distractionem, ut quos necesse sit unam esse carnem, unum hominem, adeoq; una mente, uno corde & animo uiuere, omniaq; inter se habere communia, diuina & humana. Magna est coniunctio et arcta necessitudo affinium et cognatorum inter se, uel etiam beneficiis mutuis, & amicitia deuinctorum, maior inter parentes & liberos, summam autem esse oportet inter Coniuges. Nam hi omnibus relictis, non charitate quidem et debitis officiis, usu tamen et consuetudine uitæ rotius, eo etiam affectu charitatis ipsi sibi inuicem adglutinari debent, ut unum hominem constituent.

De officio Coniugum mutuo.

Huiusmodi adhortatio pluribus aut paucioribus uerbis fieri debet, prout præsentem Ecclesiæ et desponsis conuenire, aut necessarium esse apparuerit. Qua absoluta Minister Ecclesiæ novos Coniuges, et totam simul præsentem Ecclesiam hortabitur, ut ad Deum preces religiosè faciant, ut ineuntibus Sacrum coniugium largiri uelit, & ita auspicari illud, & per omnem uitam seruare, ut ex Verbo Dei admoniti sint.

Vbi

DE BENEDICENDIS

Vbi uero Ecclesia in silentio precem suam finierit, Minister iubeat sponsum & sponsam propius accedere, & roget primo sponsum his uerbis.

Ioannes. N. cōstituiſti igitur coram Domino Annam. N. cōplecti & habere in Domino Cōiugem tuam, & cum ea per omne æuū tuū ita uiuere, ut modo ex uerbo Dei audiuiſti requiri à marito Christiano?

Reſpon. Ita conſtitui fretus auxilio Domini.

Conſtituiſti & tu Anna. N. coram Domino Ioannem. N. complecti & habere in Domino maritum tuum, & cum eo ita uitam omnem degere, ut docta modo & admonita es ex Verbo Domini, requiri ab uxore Christiana?

Reſpon. Conſtitui freta auxilio Domini.

Tum ſi forte annulos habeant, eos inuicem ſibi digitis inferant, inde Minister dextras eorum cōiungat, ac dicat, Quod Deus coniunxit, homo non ſeparat, Et addat clara uoce, quæ ab omnibus exaudiri queat.

Quando igitur Ioannes hic Annam iſtam uxorem, & Anna hæc Ioannem iſtum maritum ſibi in Domino expetit, & alter alteri Coniugii ſancti & Christiani fidem dedit, Idq; modo palam coram Deo & Ecclesia, ut audiuiſtis, ambo profeſſi ſunt, datiq; mutuo annulis, & cōiunctis dextris confirmarunt, Ego Minister Chriſti & Eccleſiæ, pronūcio eos legitimo & Christiano Matrimonio coniunctos eſſe, & confirmo hoc eorum coniugium in nomine Patris, et Filii, et Spiritus ſancti, Amen.

Poſtea legatur aut cantetur Pſal. CXXVII. Niſi Dominus ædificauerit Domum, in uanū laborāt, qui ædificant eam, aut Pſal. CXXVIII. Beati omnes, qui timent Dominum etc.

Deinde hac oratione concludat Minister totum illud negocium.

OMnipotens Deus et cœleſtis Pater, qui tuo ipſius uerbo teſtatus es, non eſſe bonum homini eſſe ſolum, ac ideo ſtatim in Paradyſo uxorem uiro ex ipſo finxiſti, et in adiutorium adiunxiſti, totius uitæ in omni ſanctitate et iuſtitia ſœliciter degendę, uirumq; mulieris caput et ſeruatorem conſtituiſti, qui item uxorem corpus ſuum ad omnem pietatem et honeſtatem gubernaret, et adiuuaret, hancq; coniunctionem ut ſanctam et placentem tibi, quæ ſingulare in ſe habeat ex tua benignitate exercitium et adiuumentum fidei, et charitatis, quam plurimis in credentibus beneficiis exornasti, atq; benedixiſti. Rogamus te propter Filium tuum Dominum noſtrum, quem ex Maria deſponſata uirgine, iunctaq; Ioseph ſancto Matrimonio naſci uoluisti, qui etiam præſentia

præsentia sua, & primitiis miraculorum suorum Sacrum Coniugium
cohonestauit, atq; ineffabilis sui erga Ecclesiam amoris symbolum &
mysterium esse uoluit, Velis his filiis tuis, quorum Coniugium in no-
mine tuo confirmauimus, clementer condonare, & auertere quicquid
se in eorum coniunctione ab initio & adhuc præter tuam constitutio-
nem, ex humana imbecillitate atq; insidiis Satanæ admiscuit & irrepfit,
eosq; in timore tuo & obedientia erga te, & in mutua coniugali fide et
charitate conseruare, & hæc tua in eis dona quotidie augere. Corrobo-
ra & auge eis fidem, ut ne dubitent se tua manu, nostro licet ministerio
coniunctos & unitos esse, ut in Filio tuo Domino nostro Iesu Christo
unus homo sint, ac ita uno corde, & una anima uiuant, tibiq; seruiant,
ut nulla eos unquam creatura disiungere, aut summam inter eos charitatē
& consensionem aliqua in parte obledere, debilitare, aut distrahere ua-
leat, sed ut uir caput uxori, uxor adiutorium uiro sit, ad ea omnia, quæ ti-
bi in illis placeant & probentur. Largire quoq; eis uberem fructum cor-
porum suorum, semen sanctum, & filios regni tui, Da ut illos ad gloriā
tuam educent, quo per se & liberos suos, & nos cum illis Nomen tuū san-
ctum amplius semper sanctificetur, & glorificetur, cunctis nostris dictis
& factis, ac Regnum tuum ita foeliciter semper promoueatur & amplifi-
cetur, Omnisq; uita nostra et cōuersatio in terris, ita ad placita tua con-
formetur et exigatur, ea animi promptitudine, eoq; studio, uti tuæ uo-
luntati obtemperant, qui in cœlis sunt. Et ut hæc in nobis obtineant, et
indies proficiāt, Da nobis etiam panem nostrum quotidianum, neces-
saria corporis, commodam ualetudinem, pacem, et uiuendi tranquillita-
tatem, ut quibus ad usum uitæ huius nobis opus fuerit, ad tuam gloriam
comparare, frui eis, et per ea proximis commodare ualeamus. Remitte
quoq; nobis debita nostra, quæ neglectis officiis quotidie cōtrahimus,
condona peccata, quibus te perpetuo offendimus, ac remoue clemen-
ter flagella, quæ his delictis et peccatis probè meremur, sicut et nos co-
ram oculis tuis libenter remittimus, et condonamus omnibus, qui no-
bis debere quicquid uideri queant, siue officii prætermissione, siue iniuriæ
illatione. Neq; inducas nos in ullam tentationē, quos merito uariis ten-
tationibus exploras et exerces, ad dextram et sinistram, per res secundas
et aduersas. Sed libera nos à malo, ueteratore hoste nostro Satana, cun-
ctisq; eius et artibus et uiolētis incursionibus, quibus nos uariis modis
tentat, et à te atq; præceptis tuis auellere nunquam non conatur, quo à te et
uerbo tuo nunquam deslectamus, nec auelli nos unquam siue illecebris siue
terriculamentis patiamur, sed in fide uerbi tui, et in obediētia præcepto-
rum tuorum perseueremus usq; in finem, ut ueri et germani filii tui
siquidem

DE BENEDICENDIS

siquidem tu solus es Deus & Pater noster, & tuum est Regnum & potentia, & gloria cum Domino nostro Iesu Christo Filio tuo, & Spiritu sancto, nunc & per æterna secula, Amen.

Vel breuius.

Domine Deus, qui masculinum & fœminam creare & unire Matrimonio uoluisti, fructu item uentris benedixisti, amorisq; tui erga Ecclesiam Sacramentum extare in eorum coniunctione uoluisti, Rogamus clementiam tuam, ne patiaris hoc tuum institutum & opus sanctum in his famulis tuis ullatenus uiolari, tuam ab eis benedictionem auerti, sed conserua benignè, & auge in eis, quod in salutem eorum et Ecclesiæ tuæ operari cœpisti, et larga eos benedictione misericordix tuæ prosequere, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

Annotanda nomina eorum, quæ se Matrimonio iunxerunt item Baptizatorum.

Pastores curabunt etiã nomina eorum, quos Matrimonio iunxerint, aut baptizauerint, in certum librum cõscribi, cum annotatione diei et anni.

Cumq; nõ leues sepe turbas et errores pariat ignorantia Graduum, et Consanguinitatis, et Affinitatis, in quib. scilicet liceat Matrimonio iungi, in quibus minus, dabimus operam, ut illi clarè distincti edantur quos Pastores populo subinde exponere et declarare studeant.

Sponsiones, seu promissiones, quæ sunt in scijs et inuitis parentibus iuratae, sunt.

Præterea grauiã scandala, atq; multa periuria inde oriuntur, quòd iuuenes ex ætatis leuitate temere fidem Matrimonii sibi inuicem clanculum, et sine testibus obstringunt, facile enim incidit, ut eam fallant et obiurent. Volumus igitur nullã Coniugii promissionem ratam haberi, quæ facta fuerit in scijs et inuitis parentibus, Vel (si parentes morte decesserint aut absint, aut non sint cõpotes mentis) cognatis aut tutoribus. Si autem parentes, cognati, uel tutores, maturos coniugio iuuenes et puellas differre diutius Cõiugium uelint, aut etiam ad ingrata Coniugia compellere (quod ut cum humanitate & uerbo Dei pugnat, ita legibus quoq; uetitum est) tum qui ita grauantur, rem ad Pastores suos & Præfectos deferant, qui parentum atq; cognatorum, uel tutorum duritiã amica adhortatione mitigare studeant, et si ea adhortatione nihil proficiant, causam ad ordinariũ Magistratũ referant, qui autoritate iudiciali, parentum, cognatorum, & tutorum iniquã duriciam comprimat, et aliquot uiros honestos probos et prudentes deligat et cõstituat, quorum consilio de Matrimonio taliũ, quib. parentes, cognati, aut tutores sunt hac in re inhumaniores, constituatur ad gloriam Dei, huiusmodi iuuenum salutem, & Ecclesiæ ædificationem. Et si qui nec parentes nec tutores habeant, tamen nec horum desponsatio et Coniugii promissio rata habenda est, si ea non ab utroq; pariter agnoscatur, aut facta sit adhibitis ad minimum tribus aut quatuor testibus, uiris honestis et fide

Nulla desponsatio clancularia rata habenda est.

fide dignis, sancta enim res est Coniugium, quare graui consilio & timore Dei de eo statuendum est, non ex perturbatione & cupiditate carnali, temeritate, dolo, insidiis & malis artibus. De quo Pastores populū subinde monere debent, & probè explicare, quam indigna res Christianis sit, Matrimonium sanctissimam cōiunctionem hominum, furtim & temere contrahere, quo sibi hac in re puellæ & adolescentes caueant, nec ita stultè & malitiosè se inuicem obstringant & circumueniant, unde periuria, dissidia, diuortia, ærumnæ, & miserie, & quod omnium grauissimum, intolerabilis ira Dei consequi solet.

Ut autem controuersia illæ, quæ incidunt non pauca circa Matrimonia commodius explicari & diiudicari queant, rudibusq; & ignaris hominibus rectius consuli, iudicia quædam certis in locis Ditionis nostræ constituemus, ad quæ huiusmodi Matrimoniales causæ deferantur iudicandæ.

Pastorum quoq; erit populū aliquoties per annum de Matrimonio instituere, qua pietate & religione & in eūdum & seruandū sit, Et peculiari diligentia docere debent, q̄ sancta cōiunctio hominum sit Coniugium, & singulare prouidentia diuinæ beneficium, bonum et cōmodum consequi maritum uel uxorem, ut discant Deum suppliciter et religiosè orare, ut ipsis et eorum liberis de commodis coniugiis benignè prospicere dignetur. Admonere præterea et illud Pastores studeant, q̄ graue peccatum sit, et à Deo singulari detestatione prohibitum, et maledictum, in quærendis coniugibus, et Matrimonio contrahendo, non primam rationem habere Religionis, ut quisq; ante omnia consortem quærat fidei, qui Christum Dominū uerè cognoscat, inuocet et colat, possitq; secum in Domino unus homo, et adiumentum esse in fide cultuq; Christi proficiendi. Item et post consensum in Religione considerandum etiam esse singularem quandam consensionem animorū, et morum atq; honestorū studiorū similitudinē, quæ signa esse solent diuinæ coniunctionis, Præterea affinitatem piorū et honestorū hominū, à quib. quis pietate et honestate augeri possit, longè præferendā esse affinitate diuitū et locupletū hominū, à quib. externæ tantū opes accedāt.

Itaq; studebunt Pastores subinde populū diligenter de sanctitate, de natura, ac de ui omni huius sanctissimæ coniunctionis, uti eam hic descripsimus, docere & instituere, quo iuuentus cognita Dei institutione et dignitate huius coniunctionis, discat cauere ea omnia, quæ uel in contrahendo, uel seruando Matrimonio, ordinationi Dei, et sanctitati huius instituti aduersantur, et cum inire tum tueri hoc sanctum uiuendi genus, ita ut Deus præcepit, & esse saluti ipsis possit.

DE SEPULTURA

INter mortuos hoc discrimen obseruandum est, ut si qui in manifesto Ecclesie Christi contemptu decesserint, eorum funera neq; inter fidelium corpora recondantur, neq; quisq; Ecclesie Ministrorum ea comitetur.

Si qui uero in Communionem Christi & Ecclesie eius emigrarint, atq; ii præsertim, qui hanc Communionem in extremo uitæ periculo professi fuerint, Sacrosanctum deniq; Corporis & sanguinis Domini Sacramentum, atq; Absolutionem perceperint, eorum funera honorificè efferantur, ac terræ mandentur, in locis ad hoc cõstitutis, Neq; quicquàm à quoquàm huius Sepulturæ causa, aut exigatur, aut accipiat, id quod absq; manifesto Simonie scelere fieri nequit.

Dum funus effertur, canere licebit Media uita &c. aut Psalmum. De profundis, aut his similes alias cantiones.

Atq; ut populus earum rerum, quæ apud funera considerandæ sunt, diligentius atq; accuratius commoneatur, non inutile fuerit, si certum sepulturæ tempus constituatur, quo tempore aptus aliquis scripturæ locus prælegatur, adhibita breui eius loci explicatione, & eo ex loco ducta commonitione atq; exhortatione, in qua huiusmodi populo proponantur. Imprimis grauitas ac magnitudo peccati atq; iræ diuinæ, unde orta atq; subsecuta est mors. Deinde eximium atq; inestimabile redemptionis Christi beneficium, qui peccatum in se transtulit, ac mortem moriendo deuicit, Deniq; nouam atq; cœlestem uitam per sacrosanctam resurrectionem atq; ascensionem suam omnibus fidelibus acquisiuit, ac præparauit. Atq; hinc sumpta consolatio ad defunctum accommodetur, qui per fidem in Christum de morte translatus in uitam cum Domino uiuit, & nos æterna in pace acquiescens expectat. His accedat adhortatio ad circumstantes, ut indies magis ac magis peccato moriantur, seseq; ad futuram atq; cœlestem uitam comparent, ac deinde Deum, ut fœlicem ac salutarem sibi uitæ huius exitum concedat, assiduè deprecantur.

Neq; illud Ministro prætereundum erit, si qua illustriora diuinæ benignitatis argumenta extent, quibus Deus in uita aut morte modo defunctum affecerit, ea ut cum utili & pia commemoratione ad Dei gloriam, & Ecclesie ædificationem, explicet atq; collaudet, in quo tamen hoc cauendum erit, ne hominum auribus seruisse, sed ex puro corde Ecclesie institutionem, & diuinorum donorum commendationem spectasse & quæsiuisse uideatur.

Ad

Ad Sepulturas uero aptissimus est locus in Epistola Pauli priore ad Thessalo. cap. IIII. Nolumus uos ignorare de dormientibus &c. Ex quo poterit hunc in modum ad populum concio institui.

Q Vandoquidem uocante Deo ad sepeliendum fratrem nostrum eiusdem corporis Christi membrū conuenimus, Cumq; in conuentu & cœtu Christianorum omnia ad communem ædificationem fieri debeant, uisum est uobis ex eo, quem de dormientibus habuit D. Pauli sermone, nōnulla paulo accuratius proponere atq; explicare, ut aspirāte diuino Spiritu, in uariis fidei nostræ rētationibus, in mortis deniq; angustiis, aliquid inde piæ & Christianæ cōsolationis accipiamus. Scribit itaq; hunc in modū D. Paulus, ad Thess. IIII. Nolo uos ignorare fratres de dormiētibus, ne doleatis, quemadmodū & cæteri &c.

Hæc est illa Pauli insignis de dormientibus siue mortuis Christianis concio, quam non ut humanum commentum, sed ut uerum atq; syncerum Dei oraculum æstimare debemus, unde non solum in hoc luctu atq; dolore, quem ob fratris nostri mortem accepimus, consolationis argumētum, uerum etiam aduersus mortis terrores præsidium & confirmationem petamus.

Multis quidem & uariis Philosophi argumentis de contemnenda morte disputarunt, qualia sunt, Mortem esse commune debitum humanæ naturæ, atq; omnium quæ huic uitæ accidunt calamitatum finem. Quæ apud sanos, & de diuino iudicio securos, plausibiliter & cum specie sapientiæ dicuntur, Sed in ueris terroribus mortis futilia sunt, & nihil afferre possunt solidæ consolationis. Nam si quis penitus mortis causas inruetur, is nimirum depræhendet uere esse mortem, quod Paulus ait, stipendium peccati.

Sicut etiam Moses loquitur. Etenim ab ira tua consumimur, & à feruente indignatione tua deiicimur. Posuisti ante conspectum tuum iniquitates nostras, culpam nostram in lumen faciei tuæ. Cuncti dies nostri te irascente dilabuntur, cōsumimus annos nostros ceu sermonem.

Iam uero constat usq; adeo exosum esse Deo peccatum, ut illud non solum ad tempus, uerum etiam in perpetuum puniat. Est itaq; mors diuinæ iræ, atq; illius quidem iustissime, eiusmodi supplicium, ut non solum homo per mortem temporaneam hac uita, uerum etiam æterna salute priuetur, atq; æternæ condemnationi addicatur. Tantum igitur abest, ut mali finis in morte sit, quemadmodum falso sibi persuadebāt Philosophi, ut potius, si peccatum spectes, ianua sit & ingressus ad æternam calamitatem.

T Hæc

DE SEPULTURA

Hæc igitur de morte cognoscenda, consyderanda, atq; assidue animo proponenda sunt, non quidem ut hinc desperandi, aut de uera salute nostra dubitandi (id quod Ethnici & impii faciunt) occasionem sumamus, sed potius ut hac consyderatione permoti, ad Christum unicam salutem nostram in Euangelio suo per fidem quærendam, atq; ab eo uno liberationē à morte petendam excitemur & compellamur.

Quamuis autem mors, si Christum remoueas, & quòd ad peccatum attinet, certam secum perniciem & condemnationem adferat, cum tamen Christus peccati nihil unquam admiserit, mortemq; si personā eius spectes, innocēs prorsus pertulerit, certe nihil quicquam in illum iuris habuit. Ex quo factū est, ut neq; retinere illum, neq; perdere potuerit, sed ad restituēdum illum coacta sit. Cum enim in carne mortuus, ac deinde sepultus fuisset, tertia mox die summa cum gloria resurrexit, eamq; suam resurrectionem non solum testimoniis Angelorum, ac uariis coram discipulis suis factis apparitionibus, uerum etiam ascensione in cælū, & admirabili Spiritus sancti missione, aliisq; multis miraculis ac signis, tam aperte & manifeste declarauit, nihil ut unquam certius sub sole contigerit.

Neq; uero sua tantum causa à mortuis resurrexit, Verum quando quidem sua morte debitum nostrum atq; peccatum aboleuit, tanta est Dei erga nos, qui in Christum credimus, misericordia, atq; beneficentia, ut non solum propter Christum peccata remittat, uerum etiam resurrectionis ipsius fructum nobis impertiat, atq; in ipsa morte ad æternam uitam conseruet.

Qui igitur in Christum cōfidit, is Christo per fidem inseritur, usq; eo, ut eius membrum efficiatur. Corpora uestra, inquit Paulus, membra sunt Christi, atq; alio loco. Omnia subiecit Deus sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet.

Cum igitur caput Ecclesiæ Christus per resurrectionem ex morte in uitā & gloriam æternam euaserit, fieri nequit, ut unū eius membrum ei per fidem insitum non eodem perueniat. Esto enim, mortuū sit, sepultū, putridum, tabefactū, corruptū, necesse tamen prorsus est, ut tandem suo tempore in lucē rursus & uitam resuscitetur, & æterna scelicitate cum Christo fruatur. Hinc est quod è Christianis defuncti non mortui, sed dormientes passim in scripturis sanctis appellantur.

Hanc nostram fidem confirmat Paulus, cum inquit, quod sicut Iesus mortuus est, & resurrexit, sic & Deus eos, qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo.

Ad Phi

Ad Philip. III. quoq; sic ait. Nostra conuersatio in cœlis est, ex quo & Seruatorẽ expectamus Dominum Iesum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conformẽ reddat corpori suo glorioso, secundũ efficaciam, qua potest etiã sibi subiicere omnia. Quod ut magis patefiat, Apostolus nos docet non solum certissimam fore fidelium à morte liberationem, & ad æternã quietem resurrectionem, Sed etiam diserte addit I. Theff. III. quãta cum gloria & maiestate hæc sint peragenda. Sic enim loquitur. Hæc enim uobis dicimus in uerbo Domini, ne puteris scilicet hæc somnia aut commenta hominum ingeniis excogitata, sed uerbũ Domini, atq; adeo necesse fuerit ante cœlum & terram transire, quam uel iota unum uel apiculus unus ex eo depereat, hoc est illud uerum æternum & immutabile uerbũ Domini, quòd nos qui uiuemus, & reliqui erimus in aduentũ Domini, nequaquã præueniemus eos, qui dormiunt. Quoniam ipse Dominus cum hortatu & uoce Archãgeli ac tuba Dei (hoc est, tanta cum gloria & Maiestate, quanta non ante unquã in terris est uisa) descendet de cœlo, & mortui cũ Christo resurgent primum, deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul cũ illis rapemur in nubibus, in occursum Domini in Aëra, & sic semper cum Domino erimus.

Cum hic igitur frater noster, cuius iam funus deduximus, in Christi nomine baptizatus, atq; eius Euangelium amplexus sit, eamq; suam fidem Cœnæ Dominicæ sumptione & confirmarit & prodiderit, adhæc in Confessione Christi decesserit, in bonam spem adducimur, quòd & peccata illi Deus propter Christum remiserit, in gratiã receperit, atq; adeo morti & resurrectioni Filii sui dilecti sic coniunxerit & conglutinarit, ut ad sonitum tubæ Archangeli, in momẽto, in ictu oculi, è sepulchro Christo obuiam proditurus sit, ac cũ omnibus Sanctis hereditate regni cœlestis potiturus, ac æterna fœlicitate perfruiturus.

Quare & nos ipsius nomine Domino Deo nostro gratias agamus, eumq; sedulo deprecemur, ut & nos in ueram Christi cognitionem per Spiritum Sanctum adducat, qua & mortem uincamus, atq; in ipsa morte in æternam uitam conseruemur, per Christum Dominum nostrum. *Orate. Pater noster, qui es in cœlis &c.*

ALIA CONCIO FVNEBRIS.

Postquam sic uisum est omnipotenti Deo, ut hunc fratrem nostrum pro sua misericordia ex hoc mundo sublatum ad se reciperet, ad cuius sepulturam in Christi nomine ex fraterna charitate conuenimus, non abs re fuerit, si de Lazaro à Christo suscitato Euangeli-

DE SEPULTURA

eam lectionem nobis proponamus, quæ extat apud Euangelistam Iohannem XI. capite, hunc in modum.

Dixit Martha ad Iesum. Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quod quæcunq; poposceris à Deo, daturus tibi sit Deus. Dicit illi Iesus. Resurget frater tuus. Dicit ei Martha. Scio quod resurget in Resurrectione in nouissimo die. Dicit ei Iesus. Ego sum resurrectio & uita, Qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, uiuet, Et omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi, etiam Domine. Ego credo, quod tu es Christus ille Filius Dei, qui in mundum uenturus erat.

In hoc Euangelio Marthæ promittit Christus resurrecturum fratrem eius, ac mox iam quadriduanum ad uitam reuocauit.

Neq; tamen putemus, uoluisse Christum hoc insigni miraculo significare, unumquenq; hominem, sicut Lazarum, post quadridui sepulchuram ad hanc temporariam & momentaneam uitam resuscitandum esse, sed hoc factio Euangelii sui ueritatem confirmare ac stabilire uoluit, eam quam hoc loco paucis & quasi summatim cõplexus est, cum inquit. Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum.

Quamuis autem mortis, ratione peccati, terribilis admodum atq; horribilis species sit, ut quæ suapte natura æternam condemnationem secum trahat, cum tamen Christus peccatum aboleuerit, ac resurrectione sua dominium mortis euaserit, etiam morti omnem suam potentiam & uirtutem ademit, sic ut quisquis in eum credat, ac eius corpori per fidem tanquam uiuum membrum insitus fuerit, in ipsa morte conseruetur, ac è morte in uitam transferatur. Sicut Paulus testatur, Christus surrexit ex mortuis, primitiæ eorū qui dormierāt fuit, Postquam enim per hominem mors, etiã per hominem resurrectio mortuorū. Quem admodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes uiuificantur, unusquisq; autem in proprio ordine, primitiæ Christi, deinde ii qui sunt Christi in aduentu ipsius.

Quare non debet iis, qui corpori Christi per fidem adhærent, ea existimari mors, quæ perdendi & cõdemnandi uim habeat, sed quæ coram Deo pretiosa ducatur, & quæ à Christo in ueræ uitæ atq; æternæ gloriæ ianuam atq; ingressum quasi inaugurata sit & cõsecrata. Quamuis itaq; corpus in terram conditum ex oculis hominum euanescat & contabescat, tamen is qui omnipotens est Deus, uitam eius conseruat, & quemadmodum granum frumeti iactum in terram primū quidem moritur, deinde fructum

fructum adfert. Sic etiam diuinitus constitutum est, ut humanum corpus iam putre & euanidum, rursus tamen in uitam reuocetur ac restitatur.

Hæc diuina atq; immutabilis ueritas est, quod nimirum hoc ipsum corpus per Dei uirtutem resurget, nullis tamen incommodis, miseriis & ærumnis, quibus nunc affligitur, erit obnoxium, quia potius tanta, tamq; eximia gloria illustrabitur, quam nulla mens humana cogitatione possit assequi.

Sic itaq; Paulus loquitur. Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate, Seminatur in ignominia, resurgit in gloria. Seminatur in infirmitate, resurgit in potentia, Seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale. Et paulo post. Primus homo de terra terrenus secundus homo ipse Dominus de cælo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni sunt, Qualis cœlestis, tales & illi qui cœlestes sunt, & quæ ad modum gestauimus imaginem terreni, gestabimus & imaginem cœlestis. Ioannes quoq; hunc in modum scribit. Nunc Filii Dei sumus, & nondum apparuit id quod futuri sumus, Scimus autem quòd dū apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. 1. Ioan. 3.

Cum igitur nos per Christum Iesum tã eximia tamq; excellens gloria maneat, nihilq; nobis hac à morte redemptione, ac ad æternam salutem resurrectione certius esse debeat, non quidem ob ulla nostra erga Deum merita, sed propter Christum in quem credimus, omni sanè modo operam dare debemus, ut huius gloriosæ resurrectionis etiam in hac temporaria uita per Spiritum sanctum fructus aliqui & quasi specimina in nobis appareant, nempe ut à peccatis resurgamus, & uitam ducamus irreprehensibilem, ut ne cum infidelibus dubitemus aut desperemus, sed cum certa fiducia Domini nostri Iesu Christi aduentum expectemus.

Hic etiã noster frater, quem modo extulimus, cum in Christum Iesum baptizatus, eundem illum Iesum Christum uerum & unicum salutis suæ authorem agnouerit & professus sit, non dubitandum nobis est, quin morti & resurrectioni Iesu Christi sic coniunctus sit, & quasi infusus, ut iam per Christum peccatorum suorum remissionem impetrauerit, ac iam cum Christo & omnibus Sanctis æternæ uitæ ac pacis hæreditatem acceperit. Quam ob causam una omnes Deo nostro gratias agamus, ac oremus ut ueram ac certam Christi agnitionem in nobis quoq; conseruet, suaq; resurrectione in nobis efficacem faciat.

Orate ac dicite precationem Dominicam.

T iii Alia

DE SEPULTURA
ALIA CONCIO IN FVNERE ADOLESCENTIS VEL ADOLESCENTVLAE.

Christiana charitas atq; commiseratio nos in hunc locum ad sepulturam hominis adolescentis, in Dei nomine adduxit atq; coegit. Cum igitur nihil neq; fructuosius, neq; ad consolationem nostri accommodatius fieri à nobis possit, quàm si in uerbo Dei nos exerceamus, ac Domini nostri Iesu Christi doctrinam & facta accurate consideremus, proponamus nobis eam lectionem Euangelicam, quæ Lucæ VII. capite extat, his uerbis.

ET factum est deinceps, iuit Iesus in ciuitatem quæ uocatur Naim, & ibant cū eo Discipuli eius multi, turbaq; copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matri suæ, & hæc uidua erat, & turba ciuitatis multa cū illa. Quam cū uidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi. Noli flere. Et accessit tetigitq; loculum. Porro qui portabant substiterunt. Et ait. Adolescens, tibi dico, Surge. Et resedit qui erat mortuus, & cepit loqui, & dedit illum matri suæ.

Quod si adolescentula sit, legatur Euangelium Matth. 9.

Venit quidam Primas ad Iesum, & adorauit eum dicens. Filia mea modo defuncta est, sed ueni & impone manum tuam super illam & uiuet, & surgens Iesus sequutus est eum, ac discipuli eius. Et cum uenisset Iesus in eedes Primatis, uidissetq; tibicines, & turbam tumultuantem, Dicit illis, Secedite, non enim mortua est adolescentula, sed dormit. Et deridebant illum. Cum autem fuisset eiecta turba, introgressus tenuit manum illius, & surrexit adolescentula, & emanauit rumor hic in totam terram illam.

Præsens historia Euangelica insigne nobis miraculum proponit de puella à Christo resuscitata. Quod factum non ita accipere debemus, ac si Christus significet mortuos omnes, antequam sepulturæ mandentur, in hæc temporariam, miseram, & morti obnoxiam uitam rursus reuocandos esse, sed hoc nimirum uoluit, Euangelii sui ueritatem stabilire, atq; hoc interim indicare, non solum ad ætate prouectiores, sed etiam florentes, Euangelii sui & cælestium bonorum fructum pertinere. Et cum utrosq; & senes & iuuenes mortem obire uideamus, hinc nimirum colligere licebit, non id casu & temere, sed admirabili quadam diuina prudentia & consilio euenire.

Vult

Vult quoque Deus huiusmodi exemplis, quàm sit incerta huius uitæ fors, quasi ob oculos subiicere, simulque commonere, ne negligentia atque ignauia hanc uitam transigamus, Sed cum extra Christum salus & beatitudo non sit, ad ueram Christi agnitionem & Christianam obedientiam nos comparemus. Ad hæc grauitatem Originalis peccati hac adolescentis hominis morte demonstrare uoluit. Nam quamuis humano quidem iudicio maior sit spes de salute in morte adolescentis, ut in quo non tanta, quanta in ætate prouectioribus, exteriora peccata deprehendantur, tamen cum his non humano, sed diuino iudicio agendum erit. Neque ullo modo in mentem uenire debet, quòd sua quisque innocentia salutem sit consecuturus. Sed cum iuuenes pariter atque senes mors, quæ peccati stipendium est, inuadat, manifesto uidelicet testimonio est, non esse eos peccati immunes, sed generali illa Pauli ad Romanos sententia comprehendi, cum ait, Per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Rom. 5.

Atque etiam in pueris progrediente ætate per multiplices uitiorum fructus peccati sese ingenium exerit.

Quamobrem absit, ut existimemus adolescentes propriæ innocentie merito salutem consequi. Quinimo nõ aliter quàm senes, omnem suam salutem innocentie Christi, quem per fidem sunt amplexi, acceptam ferre debent. Quare ut salui fiant adolescentes, innocentia Christi fruantur oportet. Nam ut Petrus inquit. Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri, nisi in nomine Iesu Christi. Iam uero adolescentes cum in modum per Baptismum Christo insiti sunt, ut uia eius membra constituentur, atque ita in omnia eius bona ius obtineant. Act. 4.

Nam Paulus inquit. Quicumque baptizati estis, Christum induistis. Quemadmodum enim apud Deum, neque seruus est, neque liber, neque masculus neque femina, ita neque puer neque senex, sed omnes unus sumus in Christo Iesu. Galat. 3.

Christus haud dubiè sua morte peccati condonationem promeritus est, atque à morte resurrexit. Quare certissimum est, ipsos etiam adolescentes in Christum baptizatos, remissionem peccati iam esse consecutos, neque fieri posse, ut in morte prorsus intereant, sed contra necesse est, ut à morte in uitam per Christum resuscitentur. Sic enim Paulus inquit. Sepulti sumus una cum illo per Baptismum in mortem, Si infiticii facti sumus illi per similitudinem mortis eius, nimirum & resurrectionis participes erimus. Colos. 2.

DE SEPULTURA

Cum igitur hic adolescens, cuius modo funus eduximus, in nomine Christi baptizatus, & in disciplina Christiana educatus sit, adhuc Christum unicam salutem suam agnouerit, atque hanc suam fidem Cœnæ Dominicæ participatione manifestè declarauerit, bona uidelicet spes nos habet, mortem hanc non reuera mortem, sed potius ei somnum fuisse in Christo Iesu, quo ex somno suo tempore ad hæreditatis Regni cœlestis possessionem excitabitur. Quapropter tantæ benignitatis memores Domino Deo modo gratias agamus, ac precemur, ut doceat nos accuratè ea expendere, quæ sunt apud Psalmographũ, Breues esse dies nostros, imperu nos ceu nimbum dilabi, esse ueluti somnium, statim uelut herbam immutari, quæ mane floret & uires accipit, uesperis arefacta refecatur. Quo uidelicet in tempore resipiscamus, & ad uitam meliorem conuertamur, honestam ac Deo placentem uitam in timore Domini peragamus, ac deinde in ipsa morte ad æternam uitam conseruemur, per Christum Dominum nostrum.

Psal. 89.

Precemini Deum. Pater noster.

Aboluta iam precatione dicat Minister.

Dominus uobiscum. Oremus.

OMnipotens Deus & benignissime Pater, Fidem resurrectionis, ad quam nos per Iesum Christum Dominum nostrũ uocasti, in nobis adauge, qua fide subnixi, in morte huius fratris nostri (uel sororis nostre) cuius modo corpus ex tua dispositione terræ mādauimus, nos consolemur, ac confirmemus in reliquis calamitatibus, quas in hac lachrymarum ualle propter peccata nostra merito perpetimur, atque ad futuram & cœlestem uitam mentem & cogitationem nostram erigamus, superna denique queramus, ubi Christus est Filius tuus, ad dexteram tuam sedens, ac indies peccato moriētes, in omni sanctificatione ac iustitia, omnibus diebus uitæ nostræ tibi seruiamus, per eundem Christum Dominum nostrum.

Coloß. 3.

Alia Collecta.

GRatias agimus tibi omnipotens Deus Pater cœlestis, quod hunc fratrem nostrum (uel hanc sororem nostram) ad agnitionem dilecti Filii, & sanctam eius Cõmunionem uocare, in eã quoque conseruare, ac deinde in tuum Regnum euocare, ac transferre dignatus sis. Concede nobis quæsumus per eundem Filium tuum, ut hoc & omni loco peccata nostra uerè agnoscamus, serio deploremus, et in uitæ nouitate indies magis agnoscamus ac cõlaudemus, atque ita bona spe confirmati, expectemus beatã illam spem, & apparitionem glorię magni Dei & Seruatoris

Ad Titum 2.

Seruatoris nostri Iesu Christi, qui tecum uiuit & regnat in unitate Spiritus, sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Licebit quoq; elato iam funere, ad fidelium in Domino consolationem & pietatis studium excitandum, coram concione populi ad sepultura locum coacta, sequentem lectionem proponere atq; explanare. Ex cap. prioris ad Corinth. XV. Nunc autem Christus surrexit ex mortuis primitiæ eorum &c. usq; ad eum locum, Quid facientes.

Vel.

Ab eo loco. Hoc autem dico fratres, quod caro & sanguis, usq; ad finem capitis.

Vel.

Ad Philippen. III. Nam nostra conuersatio in cælis est &c. usq; in finem capitis.

Vel.

Ad Roma. VI. Quod si mortui sumus cum Christo, credimus quòd & uiuemus cum illo, usq; in eum locum, Ne regnet igitur peccatū.

DE SACRIS FERIIS ET FESTIS DIEBUS



Primo Dominicis diebus uolumus nostros homines planè uacare Domino, & cessare ab omnibus corporali-
bus operibus & negociis, à cunctis quoq; peregrinationibus non necessariis, & negociationibus. Quemadmodum Deus in Lege sua præcepit. Sex diebus perficiant omne opus suum & diem Dominicum Domino totum sanctificent, ut in eo, ex uerbo Dei, in fide & pietate instituantur & instaurètur. Et sanè magnum argumentū est, cum exigua Dei & salutis suæ cura teneri, qui ex tota septimana ne unum quidem diem diuinis rebus impendere sustineat, ut eo ad audiendum uerbum Dei, ad percipienda Diuina Sacramenta, ad precandum una cum sanctis sese expediat, & pio studio conueniat. Multo enim ardentius studiū harum rerum Spiritus noui Testamenti accèdere in nobis debet, q̄ in ueteri populo lege excitabatur.

Concionatores itaq; sæpius admonebunt populum, q̄ graue peccatum sit, eos dies, qui Deo atq; piis & spiritualib. exercitiis destinati sunt, transigere otio, crapula, ebrietate, luxu, malis foedisq; uoluptatibus quemadmodū fieri uulgo uidemus, qua impietate hęc calamitates, quas patimur, & quę grauiiores nobis impendent, singulariter prouocantur. Ab hac igitur impietate Pastores populum quanto poterunt studio ex uerbo Dei dehortari studeant.

Quomodo dies festi seu feria obseruanda sint.

Quam graue sit peccatū festos dies Deo non sanctificare.

Præter

DE FESTIS

Præter Dominicum diem festos haberi & celebrari uolumus.
Natalem Christi.
Diem Stephani & Ioannis.
Circumcisionis.
Epiphaniæ.
Conuersionis Pauli.
Purificationis Mariæ.
Annunciationis.
Dies Iouis & Veneris præcedentes diem Paschæ, ut scilicet his diebus
historia Passionis Christi populo proponi & enarrari possit.
Diem Paschæ cum duobus diebus sequentibus.
Ascensionis.
Pentecostes cum proximo die Lunæ.
Natiuitatis Ioannis Baptistæ.
Petri & Pauli.
Visitationis Mariæ.

Michaelis, quo die concio habenda erit de Angelis ex illo loco, Math.
XVIII. Angeli eorum semper uident faciem Patris eorum, qui in cæ-
lis est, Item Heb. I. Angeli sunt administratorii Spiritus &c.

*Quomodo de Angelis
concionandum.*

Hinc Pastores admonebunt homines, de præclaro hoc Dei erga nos
beneficio, quòd Angelos suos salutis nostræ dederit Ministros, & hor-
tabuntur, ut Deo pro hoc beneficio assiduè gratias agant, atque ca-
ueant contristare Angelos peccatis suis, exhylarare eos studeant omni
sanctimonia & pietate.

In festis Apostolorum feriari populum uolumus, usq; ad finem sa-
cræ Concionis. Inde cuiq; ad sua opera consueta redire licebit. Palam
enim est, bonæ parti populi, feriari à prandio, scandalo esse, eo enim tē-
pore carnalibus ineptiis Deum grauius ferè, quàm aliis diebus offen-
dunt. Qui itaq; totos hos dies Festos habere uelint, uideant ut eos Deo
etiam totos sanctificent, atq; piis exercitiis Religionis transigant, non
iis rebus impendant, quibus ira Dei maximè prouocatur.

In quibus Festis diebus ea beneficia Dei celebramus, de quibus pe-
culiaries historiæ in diuinis scripturis extant, in his populo historias il-
las recitari & explicari uolumus.

*Quid & quomodo de
Apostolis docendum pro
concionibus.*

Cumq; de Apostolis nihil certi habeamus, præter ea quæ in Euange-
liis, in Actis Apostolorum, & Epistolis eorum extant, Pastores in Festis
eorum Apostolorum, de quibus hi Sacri libri nihil peculiare memo-
rant, populum admonere debent, & docere de munere Apostolico, &
Ministerio Euangelii in genere, ex his lectionibus Euangeliorum.

Misit

Misit Iesus duodecim Discipulos suos &c. Math. X. Item Ioan. XV. Ego sum uitis uera, uos palmites &c. Aut ex alia quapiam lectione his simili. Nec enim apocrypha, aut tales historiae, de quarum fide dubitatur, in Ecclesiis legendae sunt, quod etiam in Sacris Conciliis sancitum est.

Porro in diebus illis, in quibus aliorum magis illustrium Sanctorum memoriae hactenus celebrari consueuerunt, siue feriatum illis diebus sit, siue seculum, Pastores sacras Conciones habeant, & in his, si qua fide digna de illis diuis historia supersit, ex ea pura fidei exempla, & ueros fructus fidei depromant, & imitandos praedicent. Ita tamen ut lectio aliqua Sacrae scripturae prelegatur initio Concionis, ut ex ea Concio precipua ducatur, sicut & sanctos Patres fecisse legimus.

Conciones de sanctis quomodo habendae.

Et si quae superstitiosae fabulae, prodigiosa & uana miracula, de Sanctis proponi antehac in hisce diebus consueuerint, ea mendacia Pastores proferre, & refutare studeant, sicut & omnem falsum cultum Sanctorum, Summaque fide & diligentia semper in istis Concionibus ostendant, quam uariae & horribiles impietates & abominationes, ex huiusmodi prodigiosis Sanctorum laudibus, falsoque cultu, in populum inundarint, quibus ut gloria Dei, ita & honor Sanctorum horrendè uiolatus & obscuratus est.

Quomodo in memoria et laudibus Sanctorum populus corrigendus.

Quare quotiescumque Festus aliquis dies, aut memoria Sanctorum inciderit, admonebunt Ministri Ecclesiarum populum, quomodo memoriae Sanctorum pie celebrandae sint. Ut scilicet primum fidem illorum, & ueros fidei fructus cognoscamus, atque ut dona & admiranda Dei opera admiremur, Deumque de illis laudemus, & celebremus. Deinde ut fidem ac spem erga Deum inde nobis confirmemus, Deumque hoc confidentius oremus, ut et nobis eiusmodi fidem largiri & confirmare uelit, quandoquidem promiserit se non minus nostrum uelle, quam illorum, qui iam defuncti sunt Sanctorum, Deum esse. Tertio ut exemplo diuorum accendamus ad piam eorum imitationem, quo & nos donum Dei, quod nobis collatum est, excitemus, & uestigia Diuorum quisque pro sua uocatione religiosè sectemur.

Quomodo memoria Sanctorum pie celebranda sit.

Postremo cum et in reliquis omnibus ferè Festis diebus, illis etiam, qui ad memoriam Christi Seruatoris instituti sunt, multiplex superstitio irrepsit, & pleraque impiae fabulae, & planè Ethnicae obseruationes obtinuerint, Pastores diligenter inquirent, quidnam ex his nugis & superstitionibus in quouis populo adhuc haereat, idque per scripturas acriter confutent, et homines inde reuocent ad colendum Deum in spiritu et ueritate,

DE FESTIS

& ueritate, adeoq; purè & simpliciter secundum uerbum eius, redemit enim nos precioso sanguine Filii, immaculati agni Christi, à uanis istis ritibus à Patribus traditis, I. Petri I.

DE DIEBUS IEIUNII, ITEM DE QUADRAGESIMA.

Verum ieiunium sponte non necessitate legis suscipi debet.



Vidnam uerum ieiunium sit, Pastores & Doctores Ecclesiarum, ex iis quæ supra de Christiano ieiunio monuimus, populum diligenter doceant. Ex illis autem facile quisq; uidet, uerum & ex fide susceptum ieiunium oportere suscipi ultronea uoluntate, ueraq; pœnitentia, & pio studio supplicandi Deo, non necessitate ulla legis, non cōsuetudine humana, alioqui non solum nullius apud Deum haberi momenti, sed esse ei etiam abominationē. Nam palam est eam uoluntatem ieiunandi, pœnitentiam, & studium Deo supplicandi, non posse ullis præceptis, quæ foris adhibeantur, excitari. Non enim Lege, sed ex auditu Euangelii Spiritum Christi accepimus Gal. III. Vnde nec Dominus ipse Christus, nec Apostoli, aut etiam post eos Sancti Patres, ullum diem certum ieiuniis Lege præscripserunt, sed hortati tantum sunt Ecclesiam, & singulos Christianos ad piè ieiunandum, conscientis interim nulla Lege obstructis. Ita in ueteri Testamento in unum tantum diem per annum Lege ieiunium indictum fuit. Quocirca nec nos decere poterit Ministros noui Testamenti, non literæ, sed Spiritus, Leges de ieiuniis ferre, & his conscientias populi Christiani illaqueare. Satis igitur fore ducimus, Pastores populum ad pia ieiunia diligenter cohortari, & illis Religionis exercitiis in diebus ieiuniorum inuitare, quæ & Patribus usitata fuerunt, de quibus supra suo loco tractauimus.

Quo pacto populum ad ieiunia cohortari & inuitare debeant Pastores.

Quomodo quadragesima obseruanda.

Proinde Quadragesimam hoc modo seruari uolumus, Primo ut Concionatores Ecclesiam, sicut aliàs semper, ita hoc tempore diligentius admoneant infirmitatis & peccatorum suorum, & hortentur ad ueram uiuamq; pœnitentiam. Deinde ostendant id omnibus Religiosioribus & studio Christi paulo ardentioribus Christianis semper obseruatum esse, ut certis temporibus operibus pœnitentiæ (ut sunt ieiunium, intentiores supplicationes, & largiores eleemosynæ) sese plusculum dederent, ea ratione studium pietatis in se instaurātes, & seipfos ab in-

abinnata ignauia progrediendi in uia Domini & socordia excitantes, Etenim ita uitata natura nostra est impietate, & peruersis rerum huius uitæ cupiditatibus, ut sensim omnis cura Dei in nobis languescat & frigeat, si eam non subinde excitemus & incendamus, singulari commentatione uerbi Dei, & precibus ad Deum intentioribus.

Præterea ostendant hac de causa Quadragesimalē obseruationem à priscis Patribus institutam esse, ut si qui per reliquum anni tempus in aliqua grauiora peccata incidissent, aut securius uixissent, nulla iusta peccatorum suorum pœnitentia tacti, aut alias remissius in religione egissent, quod malum utrumq; quàm plurimos inuadere solet, hi isto tempore per crebriores & grauiores conciones, atq; religiosiores totius Ecclesiæ supplicationes, tum etiam per exempla eorum, qui studio pietatis plus arderent, operibusq; pœnitentiæ illis diebus seuerius incumberent, ad solidam peccatorum pœnitentiam, & ad uiua pietatis studia excitarentur & accenderentur, quo & ipsi se religiosis ieiuniis atq; precibus addicerent.

Quo igitur ita nostri homines ea superstitione & hypocrisi, qua iram Dei in se grauius concitarunt, liberentur, ut tamen nihil illis desit, quo inuitari & urgeri possunt, & ad uiuam atq; efficacem peccatorum pœnitentiam, & ad excitatam constantemq; sollicitudinem progrediendi in uia Domini, quibus rebus placatur ira Dei, & beneficia eius uberius impetrantur, Volumus, ut in Quadragesima singulis diebus (si modo ut populus conuenire uelit obtineri possit) sacri conuentus habeantur, lectiones ex Scripturis, quæ ad pœnitentiam peccatorum, & studium proficiendi in uia Christi, uehementius incitant, religiose recitentur & explicentur. Ex quibus Pastores adhortationes grauiiores & ardentiores faciant, hisq; preces subiiciant prolixiores, & conuentus hos serius aliquanto in die habeant, præsertim tribus per septimanam diebus, secunda scilicet, quarta, & sexta feria, quo ii in quibus uoluntas pie ieiunandi excitata fuerit, plusculum habeant ad hoc occasio nis & oportunitatis.

Etenim ut prisca illa ratio ieiunandi reuocetur apud nos præsertim Germanos, ut ad uesperam usq; dilato cibo, doctrinæ Sacræ & precibus torus dies impendatur, id nondum facile sperandum est. Quamobrem satis habebimus, si impetrabimus, ut post lectiones, & homelias, atq; preces, quæ ad meridiē finiantur, tū demum, uti nūc fieri solet, cibum quisq; capiat pro naturæ necessitate, & prout ad ieiunandum excitatus fuerit, tantum ne uesperas uocemus, cū nondum meridiei tempus completum sit, ut modo fit, nimiū inepte, ne dicamus. peruerse.

V Quod

In quadragesima singulis diebus habendam esse concionem.

Priscam ieiunandi rationem difficulter nunc reuocari posse.

DE DISCRIMINE

Circa seuerior ieiuniorum ratio minus iam utilis.

Quod autem exercitia Quadragesimalia ad tres modo dies per septimanam precipue requirimus, nemo remissius hic agere nos arguet, qui uelit pie considerare, quam paucis hodie uera ieiunandi religio nota sit, cum in Ecclesiis Christianis oporteat omnia in Spiritu & ueritate & institui & peragi, omnemque simulationem, quæ Deo abominationi est, modis omnibus fugere. Ita etiam temporibus sanctorum Patrum, Ambrosii, & Augustini, etiam Romæ, & aliis in locis multis, quinta & septima feria in hebdomade per Quadragesimam ieiunium remissum esse legimus.

Tempore S. Patrum per Quadragesimam, quinta et septima hebdomada remissum esse ieiunium.

In diebus quatuor temporum, Sacrae lectiones, homeliæ, & preces, grauiiores & prolixiores habeantur, & serius in die, quemadmodum Quadragesimali tempore, & excitetur populus studiosius ad ueram penitentiam, atque opera eius, ieiunium, preces, & elemosynas.

DE DISCRIMINE CIBORVM.



Discrimen ciborum sine fructu pietatis.

Deo nemo uere Christianus dubitat, testatque id sunt & multis sane docuerunt omnes Patres, solum discrimen ciborum, sine ea carnem hanc oblectantium abstinentia, quæ Spiritui Christi in nobis corpus magis expediat & sanctificet ad omnia opera pietatis, rem esse plane frustraneam & ingratam Deo, ut ipse testatus est Esaiæ L VIII. Quinetiam abominandam, si aliqua meriti fiducia in ea apud ipsum ponatur, quod item ipse testatus est Esaiæ I. Atqui pridem minime pauci sunt apud Christianos, qui existimant uerum ieiunium esse, si certis diebus à carnibus modo abstineant uolucrum & quadrupedum, etiam si interim, carnibus piscium, & aliis cibus longe sumptuosioribus et delicatioribus, quam sit quotidianus usus carniū, delicientur. Veteres in plerisque Ecclesiis quarta et sexta Septimanæ ieiunare consueuerant, quibus diebus nonnulli postea et Sabbatum adiecerunt. Hinc mos ille inoleuit, non uescendi his diebus carnibus aut ouis. Veteres enim in diebus ieiuniorum his cibus abstinebant, quanquam non tantum his, sed etiam piscibus, et omnibus delicatioribus escis, uti etiam uino.

Vnde inoleuerit consuetudo non uescendi carnibus quarta & sexta Septimana.

Preterea redimentibus concessum quibuslibet uesci cibus.

Cum uero haud dudum ceptum sit, concedi etiam quibusuis hominibus, non principibus tantum, uesci et in Quadragesima, et aliis ieiuniorum diebus cibus quibuslibet, Nostrum uero Episcopale munus poscat omnia apud nostros iuxta uerbum Dei, et ad fidei ædificationem

nem

nem instituere, hæc considerantes, nō uidemus quid de solo ciborum discrimine nostris imponere liceat. Hoc Pastoribus & Concionatoribus præcipimus, ut populum doceant, quæ sit uera & Christianis digna cibi, potusq; & aliarum rerum ad usum corporis à Domino traditarum, abstinentia, & moderatio, & ad eam studiosissime adhortentur, ad eam scilicet abstinentiam, qua spiritui caro magis subiiciatur, & moderata reddatur, & solatium sentiant inopes, dum his scilicet id erogamus, quod nobis subtrahimus.

Populum adhortandum ad Christianam abstinentiã.

Monere etiam illud accuratè debent, omnem abstinentiam rerum, quas in usum nobis Dominus & creauit & dedit, quæ non hoc fine suscipitur, ut per eam pietas in Deum, & benignitas erga proximos promoueatur, esse superstitionē prorsus Ethnicam & Manicheam, quam Deus abominatur, etiamsi ea seuera sit, & acrem carnis humilationem afferat. Quid iam Deo habeatur tam impudens abstinentiæ simulatio, imo ne simulatio quidem, sed prorsus impia diuinæ Maiestatis illusio, dum quibus diebus abstinentia iactatur carniū, homines se pisculentis & aliis cibis longe sumptuosioribus & delicatioribus, quàm sint cibi uulgares carniū, saginent & oblectent: Magnopere autem nostros omnes rogamus & exhortamur, atq; unumquēq; Pastorū, ut suos quotidie studeat monere & hortari, ut se tandem homines ad ueram frugalitatem & moderationem cibi, potus, & aliarum rerum, quibus huic corpori opus est, ex præsentī luxu, intemperātia, & nequitia recipiant, me mores illius Domini. Cauete uobis ne quando grauentur corda uestra crapula, et ebrietate, et curis huius mundi. Item illius Petri, Sobrii estote et uigilate, quia aduersarius uester Diabolus, tanquam Leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret.

Lucæ 21.
1. Petri 5.

DE ALIIS QVIBVS DAM ECCLESIAE RITIBVS, SIVE CEREMONIIS.



TFesti dies uere et ex toto Deo consecrentur et sanctificentur, uolumus, ut nihil quod ad excitandum, ad impellendum ad hanc sanctificationem Christi populum pertineat, omittatur. Qua de causa, quibus in urbibus aut pagis amplioribus scholæ aut plures Ecclesiæ Ministri fuerint, in iis mane, ita uti populo commodissimum fuerit, cōcio siue conuentus populi instituatur, in gratiam operarum & Ministrorum, qui ad statum Officii tempus adesse nō semper possunt, atq; inter

v ii hunc

hunc conuentum, & statum communis Officii tempus, aliquid interualli, ut minimum unius horæ, intericiatur, ut iis qui communi illi Officio interesse uolunt, spacium, quo se ad illud apparent, concedatur. Hic conuentus à Psalmo Germanico inchoetur, atq; item in Germanicum Psalmum desinat, Eiusmodi deniq; concio, quæ Catechismum explicet, cum breui Euangelicæ lectionis explicatione instituat.

Si qua uero in Ecclesia is Clericorum numerus sit, ut matutinas preces canere & uelint & possint, dēt operā, ut ex solis Scripturis, ac deinde ex uera fide, & pura mente canant & psallant, ut fidem suā in Christū excitent, & confirmēt. Quod si ex populo aliquos eo uenire cōtingat, iis & lectio aliqua prælegatur, ad cōmunes quoq; preces sedulo excitentur.

Quo in loco Scholastici fuerint, ii paulo ante Officiū commune in Ecclesiam conueniant, ac tres Psalmos, Te Deum laudamus, Benedictus Dominus Deus, adhibita aliqua pura et Scripturis consentiente Antiphona, & Responsorio, Latina lingua concinant, ut hoc modo in S. Scripturis, quarum præ aliis cognoscendarum causa Scholas adeunt exercentur.

Ad uespertinas preces ante populi conuentum idem ritus obseruabitur, Ac loco, Te Deum laudamus, & Benedictus, purū aliquem Hymnum & Magnificat cantare licebit. Vbi iam cōuenierit populus, unum aut alterum Psalmum Germanicum canat, ac deinde Magnificat, Deinde Catechismus tractetur, atq; è Scripturis sumpta lectio populo recitetur, accedat & communis precatio siue Collecta. Atq; ita tandem cum gratiarum actione & benedictione populus dimittatur.

Sicubi receptus est mos laudes sub noctem canendi, cum seruare licebit, ita tamen, ut loco Salue Regina, & his similibus, laudatio aliqua Germanica cum publica deprecatione Christo Domino concinatur.

DE ECCLESIASTICIS RITIBVS, IN PROFESTIS DIEBVS

IN Ciuitatibus atq; aliis locis, ubi ea populi ac Ministrorum copia atq; facultas fuerit, ut minimum, duo in singulos dies conuentus populi instituantur, mane & uespere, idq; horis quàm commodissimis populo. In singulis conuentibus Lectio fiat, atq; eiusdem breuis explanatio, cum Psalmis Germanicis in initio & fine, ac deinde precatio publica.

In populosis uero ciuitatibus, si populus & Ministri ita ferant, duerunt ante meridiem conuentus, alter summo mane in gratiam operariorum,

riorum & mercenariorum, alter post ortum iam diem in peregrinorum atq; etiam incolarum gratiam, quorum ubiq; magna est copia, quibus facile ocium erit semel atq; iterum in singulos dies coram Deo sistendi, ut & uerbum eius audiant, & preces ac uota sua illi exponant.

Ad quam rem Concionatores populum accurate & diligenter incitabunt, assidua enim doctrina, exhortatione, & precibus ad Deum uel maxime opus est. Quibus igitur Deus, quæ ad uictum attinent, abunde suppeditauit, sic ut à manuum laboribus tantisper uacui esse possint, iis uidelicet conuenit, ut eo magis sese operibus spiritualibus occupent, Deum celebrent, & pro proximis eum deprecantur. Cum præsertim si quid huiusmodi spiritualibus & piis exercitiis impeditur tēporis, adeo temporalibus hisce rebus nihil decedat, ut non cōtemnendum & temporalium & spiritualium rerum lucrum accedat potius.

Atq; ut populus ad huiusmodi conuētus eo frequentior coeat, profestis quidem diebus nō longius quàm ad horæ spatiū, totū quod cantu, Lēctione, Concione, & precibus constat, officium protrahetur. Matutinus uero ille operariorum conuentus aliquanto citius dissoluetur.

Sacrosancta uero Dominica Cœna, quæ Dominus, nō ut inanis spectaculi loco proponeretur, sed ut in publicam memoriā mortis & resurrectionis suæ, atq; adeo in ueram corporis & sanguinis sui per Sacramentū communionē sumeretur, instituit, causa nobis non uidetur, cur profestis diebus, cū non est plenus ac iustus populi cōuentus, institui atq; obseruari debeat. Nam Sacrosanctā hanc Ceremoniam aliter tractare, aut ad tractandum inuitare, quæ diuinitus instituta & commendata sit, reos nos efficit corporis & sanguinis Domini, cuius Sacrosancti Sacramenti tam frequentes & quotidiani abusus, quantum mundo calamitatis inuexerint, nimium pro dolor quotidie experimur.

Quod si uiuida & efficax Christi & diuinorum beneficiorū memoria S. Lēctionibus, Psalmis, & precibus obtineri & conseruari nequeat quid quæso aliud crebra Cœnæ Dominicæ celebratiōe, quæ aduersus corpus & sanguinē Domini culpas et reatus accumulabimus? Qui enim fiet, ut Sacramētis recte utātur ii, qui ex pura Christi doctrina, et assidua precatōe, fidem suam in Christū augere et confirmare non possunt.

Antiqui illi et uero pietatis studio flagrātes Patres, præclare secū actū putauerūt, si qua decet attentione, et seria delictorum pœnitentia, Dominicā Cœnam, una cū suo populo, in quo non paulo magis Christi adhuc fides uigebat, Dominicis saltē diebus edere ac celebrare licebat.

Qui in pagis degunt Pastores, in singulas hebdomadas binos, hęc me ternos populi conuentus instituent, in quibus Lēctio aliqua una cum publica prece habebitur.

DE PECVLIARIBVS SVPLICATIONVM DIEBVS.



Viusmodi supplicationum feriæ certis temporibus concipientur, cum uidelicet insignis aliqua necessitas & occasio acciderit, quæ nos ad impensius implorandū Dei auxilium inuitet, utpote cum aeris intemperie aut corruptione, annonæ penuria, seditionibus, bellis, aut alia quauis uisitatione diuinitus affligimur, uel certe ob grauiora totius populi, aut qui illi præsunt, Ministrorum scelera premimur.

Hęc ubi acciderint, diuinitus nos castigari intelligamus, quare ex toto corde, & summa cum animi attentione ad eum conuertamur, in ieiuniis, in fletu, in lamentationibus, quemadmodum ipse per Prophetas suos fieri admonet. Quinetiam huiusmodi supplicationum cōuentus, Prophetam Samuelem, Iosaphat Regem, Esdram, Ieremiam, Niuitas quoq; , atq; item alios instituisse & conuocasse legimus. Tales etiam totius Ecclesiæ Hierosolymitanæ capto Petro deprecationes fuisse constat, per quas etiam eiusdem liberationem consecuta est.

Status uero atq; ordinarius supplicationum dies in singulos menses unus constituetur, idq; Mercurii aut Veneris die, ita uti populo commodissimum uisum fuerit. Ad huiusmodi conuentum nō aliter quàm festis diebus uniuersus coeat populus. Lectio deinde aliqua apposita illi loco & tempore recitabitur, ex qua populus ad agnitionē & emendationem peccati, quo iram aduersus nos Dei prouocamus, & omne genus calamitatum commeremur, sedulo excitabitur. Deinde etiam ad preces pro remissione peccati, pro misericordia & auxilio diuino, ad hoc etiam ad largiores elemosynas diligenter prouocabitur, Huic succedat Germanica Litaniam ea forma quæ sequitur.

Ac postea quam populus etiam apud se orauerit, tandem Pastor publicas has preces Collecta aliqua ex iis, quæ Litaniam hic subiectæ sunt, finiet.

Præter has publicas supplicationes, in urbibus, atq; ubi paulo maior populi frequentia fuerit, certo aliquo in singulas hebdomadas die, cum iis, qui spiritu conuenerint, Litaniam canetur, & publicæ preces fient. In iis uero supplicationibus, quæ ob insignem aliquam necessitatem & afflictionem diuinitus immissam indicuntur, uniuerso populo festus dies, & ieiunium, saltem usq; ad publicarum precum finem, denuntiabitur.

Atq;

Atq; in eiusmodi celebrioribus supplicationum diebus, uehementiores quædam & urgentiores de pœnitentia, & uitæ inuouatione & correctione, lectiones ex prophetis scriptis recitabuntur, atq; ex iisdem populo intolerabilis ira Dei, q̄ fuerit poterit accuratissimè & uehementissimè, proponetur.

LITANIAE.

Kyrie	Eleison.
Christe	Eleison.
Kyrie	Eleison.
Christe	Exaudi nos.

Pater de cœlis Deus	} Misere nobis.
Fili redemptor mundi Deus	
Spiritus sancte Deus	

Propitius esto	Parce nobis Domine.
----------------	---------------------

Propitius esto	Libera nos Domine.
----------------	--------------------

Ab omni peccato	} Libera nos Domine.
Ab omni errore	
Ab omni malo	
Ab insidiis Diaboli	
A subitanea & improuisa mala morte	

A peste & fame	} Libera nos Domine.
A bello & cæde	
A seditione & similitate	
A fulgure & tempestatibus	
A morte perpetua	

Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ	} Libera nos Domine.
Per sanctam Natiuitatem tuam	
Per Baptismum, ieiunium, & tentationes tuas	
Per agoniam & sudorem tuum sanguineum	
Per crucem & Passionem tuam	

Per mortem & sepulturam tuam	} Libera nos Domine.
Per resurrectionem & ascensionem tuam	
Per aduentum Spiritus sancti Paraleti	
In omni tempore tribulationis nostræ	
In omni tempore fœlicitatis nostræ	

In hora mortis	} Libera nos Domine.
In die iudicii	
Peccatores	
Te rogamus audi nos.	

Peccatores	} Libera nos Domine.
Te rogamus audi nos.	

	} Libera nos Domine.

	} Libera nos Domine.

	} Libera nos Domine.

	} Libera nos Domine.

DE PECVLIARIBVS

- Vt Ecclesiam tuam sanctam catholicam regere & gubernare digneris.
 Vt cunctos Episcopos, Pastores, & Ministros Ecclesie in sano uerbo, & sancta uita seruare digneris.
 Vt sectas & omnia scandala tollere digneris.
 Vt errantes & seductos reducere in uiam ueritatis digneris.
 Vt Satanam sub pedibus nostris conterere digneris.
 Vt operarios fideles in messem tuam mittere digneris.
 Vt incrementum uerbi, & fructum spiritus cunctis audientibus donare digneris.
 Vt lapsos erigere, & stantes confortare digneris.
 Vt pusillanimes & tentatos consolari & adiuuare digneris.
 Vt Regibus & Principibus cunctis pacem & concordiam donare digneris.
 Vt Cæsari nostro perpetuam uictoriam contra hostes Dei donare digneris.
 Vt Principem nostrum cum suis Præsidiis dirigere & tueri digneris.
 Vt Magistratui & plebi nostræ benedicere, & custodire digneris.
 Vt afflictos & periclitantes respicere & saluare digne.
 Vt prægnantibus & lactantibus scelicem partum, et incrementum largiri digneris.
 Vt infantes & ægros fouere & custodire digneris.
 Vt captiuos liberare digneris.
 Vt pupillos & uiduas protegere, & providere digne.
 Vt cunctis hominibus misereri digneris.
 Vt hostibus, persecutoribus, & calumniatoribus nostris ignoscere, & eos conuertere digneris.
 Vt fruges terræ dare & conseruare digneris.
 Vt nos exaudire digneris.

Te rogamus audi nos.

Agne Dei qui tollis peccata mundi } Miserere nobis.
 Agne Dei qui tollis peccata mundi } Dona nobis pacem.

Christe
 Kyrie
 Christe
 Kyrie

exaudi nos.
 Eleison,
 Eleison.
 Eleison.

AMEN.

SUPPLICATIONIBVS CXIX
ORATIO SIVE COLLECTA POST
Litaniam.

Minister.

Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

Chorus.

Nec secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Minister.

DEus misericors Pater, qui contritorum non despicias gemitum, & mœrentium non spernis affectum, Adesto precibus nostris, quas in afflictionibus, quę iugiter nos premunt, coram te effundimus, Easq; clementer exaudi, ut hoc, quod contra nos diabolicę ac humanę fraudes moliuntur, ad nihilum redigatur, Consilioq; tuę bonitatis dispergatur, ut nullis insectationibus læsi, in Ecclesia tua sancta semper tibi gratias agamus. Per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

COLLECTA ALIA.

Minister.

Inuoca me in die tribulationis.

Chorus.

Et eruam te, Et tu honorificabis me.

Minister.

PARce Domine, parce peccatis nostris. Et quàmuis incessabiliter delinquentibus continua pœna debeat, præsta tamen quæsumus, ut quod ad perpetuum meremur exitium, transeat à nobis ad uirtutis auxilium, per Dominum &c.

COLLECTA ALIA.

Minister.

Adiuua nos Deus salutaris noster.

Chorus.

Et propter gloriam nominis tui libera nos, & propicius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Minister.

OMnipotens sempiterne Deus, cuius Spiritu totum corpus Ecclesię sanctificatur & regitur, Exaudi nos pro uniuersis ordinibus supplicantes, ut gratiæ tuę munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter seruiatur, Per Dominum &c.

COLLECTA ALIA.

Minister.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

Chorus.

DE PVBLICIS

Chorus.

Et salutare tuum da nobis.

Minister.

DEus, à quo sancta desyderia, recta consilia, & iusta sunt opera, Da seruis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, ut & cor- da nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempo- ra sint tua protectione tranquilla, Per Dominum &c.

COLLECTA ALIA.

Minister.

Non intres Domine in iudicium cum seruo tuo.

Chorus.

Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

Minister.

OMnipotens Deus, qui nos in tantis periculis constitutos, pro- pter humanam fragilitatem scis non posse consistere, Da nobis sa- lutem mentis & corporis, ut ea, quæ pro peccatis nostris nos affligunt, te adiuuante uincamus, per Dominum &c.

DE PVBLICIS
ELEMOSYNIS

*Ecclesia officium esse
prospicere pauperibus ui-
re necessaria, nec quem-
quam pati apud se ocio-
sum.*

*Curatores elemosina-
rum.*



ID cuiuslibet rectè institutæ Ecclesiæ proprium & necessa- rium officium est, prouidere, ne quis apud se egeat neces- sariis ad bene pieque uiuendum, sed ut cuiq; quem Domi- nus cuiuslibet Ecclesiæ adduxerit & adiunxerit, suppeditetur, quantum ei opus sit ad uitam piè degendam, Tum etiam prospicere, ne quis ociosè uiuat, & sit oneri aliis, ad quod ministerium primitiua Ecclesia constituerat Stephanum cum collegis suis Acto. VI. Quam- obrem & nos curabimus, ut in singulis Ecclesiis uiri aliquot pietate, prudentia, & fide insignes, testimoniis cuiusque Ecclesiæ ad id cõpro- bati, à Visitoribus constituentur, quot scilicet ad tale opus suffice- re in quouis loco uidebuntur. Hi egentium omnium nominibus an- notatis diligenter obseruabunt, qua quisque inopia labore, qualiter uiuat, unumquemque etiam ad operandum urgebunt, quantum fue- rit in cuiusque uiribus, & nolentibus operari cum possint, elemosy- nam quoque subtrahent, iuxta illud Pauli. Qui non laborat non man- ducet.

Horum Curatorum Sacrę elemosynæ erit, quascunq; elemosynas
& ob

ELEMOSYNIS

& oblationes, pii homines in Ecclesia Domino obtulerint, uel priuatim contulerint, recondere in Ecclesiasticum gazophilacium, indeq; egentibus pro cuiusq; necessitate distribuere, qui excepti & expensarationem reddent iis, quos ad id deputabimus.

Ecclesiasticum gazophilacium.

Quo autem homines Domino dona sua liberalius offerant, uolumus ut in singulis templis peculiaris huic rei locus & arca non procul ab altari constituantur, ut in conspectu sit totius populi. Concionatores uero populum studiose adhortabuntur, ne uacuu coram Domino appareat, praesertim Dominicis & aliis diebus Festis, ac quotiescunq; Ecclesia frequētior coierit, cum administratur Baptismus, Confirmatio, Cœna Domini, benedictio Matrimonii, dum ad funus conuenitur. Ac quoties homines priuatim uel opem Dei orant, in singulari necessitate deprehensi, uel gratias agunt Deo, pro singularibus beneficiis, ut cum Dominus morbos, uel alia pericula aut immiserit, aut remouerit, uel aliàs benignè fecerit.

Quo potissimum tempore dona offerenda.

Praeterea quatuor illos dies Oblationum per annum retineri uolumus, ut ii qui Mensæ Domini communicant, quater in anno munus aliquod offerant, quod eo lubentius nunc facere debent, cum sciunt, quæ offerunt, se uerè Christo ipsi in membris eius offerre, secundum uerbum ipsius, unde audituri olim sunt beatam illam uocem, Venite benedicti Patris mei, possidete Regnum paratum uobis ab initio mundi, Nam esuriui & dedistis mihi edere &c. Prouidebimus etiam iuante Domino, ne cuiq; ex his fidelium oblationibus aliquid erogetur, nisi uerè egenti, & praecipuè ciuibus cuiusq; loci, & domesticis, atq; ex his illis maximè, qui grauiore inopia laborauerint, uiduis, pupillis, ægrotis, & aliàs egestate & miseria pressis. Deinde, quantum fieri poterit, etiam aduenis & peregrinis aliquid impertietur.

Matth. 29.

Hæc uero ratio oblationes fidelium & eleemosynas colligendi et distribuendi, quia à Deo ipso tradita est, & in nouo & ueteri Testamento, fideles ei sese libenter accommodabunt, longeq; malint suas eleemosynas in cōmune hoc Ecclesiæ gazophilacium conferre, quàm eas egenis pro suo arbitratu distribuere. Etenim cum instituto Spiritus sancti à tota Ecclesia huic rei probatissimi uiri praeficientur, quis sit tam sibi confidens, ut non credat tales uiros & melius dispecturos, in quibus Christus Dominus potissimum fouendus sit, quàm ipse possit, & synceriores etiam iudicio, membris Christi distributuros: nec enim deest Dominus sua benedictione suis institutis.

Publicas eleemosynas, quæ supersunt, aliosq; redditus Domino in usus pauperum donatos, item quæ ad eandem benignitatem fraterni-

tates,

DE SCHOLIS

tates, quas uocant, habent, hæc omnia curabimus per Visitatores in cōmune cuiusq; Ecclesiæ gazophylacium congeri, quo commodius & benignius cunctis egenis succurri possit. Arduum quidem est, & late admodum patet, omnibus egentibus necessaria uitæ suppeditare, tamen (adiuuante Christo Domino) sic istam procurationem pauperum instituemus, & administrari curabimus, ut non dubitemus breui fore, ut uere pauperibus omnibus necessaria benignè suppeditentur, mendicitas uoluntaria tollatur, & quisq; ad utiles & sibi commodas operas adhibeatur, ne quem immerito grauet. Si qua alicubi supersunt hospitalia (ut uocāt) pro pauperibus, pro pupillis, pro senibus uiris, & mulieribus, pro morbidis, & leprosis, hæc curabimus fideliter inspicere, & reformari, ut egenis & aliis miseris hominibus, quibus eæ prouisiones institutæ sunt, sua inde solatia, quàm fieri poterit benignissimè & commodissimè præstentur. Quorum curam etiam gerent primi illi Ecclesiarum Diaconi, & præfecti Sacris gazophylaciis, ita ut per eos, qui hæc hospitalia hæctenus procurarunt, cuncta ita, ut instituta sunt, administrantur, quo cunctis necessitatibus fidelium quàm commodissimè succurratur, idq; secundum præceptum Domini, & omnibus uitæ & incommodis, quæ irreperere & incidere his Sacris institutis plurima solent, in tempore & efficaciter occurratur.

DE INSTITUTIS SCHOLIS PVERILIBVS



Complexus est Deus in Scriptis Prophetis & Apostolicis saluificam doctrinam suam, qua homines adducit ad æternam uitam, traditq; rationem inuocandam & orandi se, quæ ad præsentem uitam scèliciter degendam in primis necessaria est. Hanc doctrinam mandauit q̄ studiosissimè doceri homines, addisci, & perpetuo conseruari. Id uero singulare beneficium Dei est, quòd uerbum suum, certis libris proditum, inde ab initio ad finem usq; mundi nobis conseruat, in quo certam cognitionem & doctrinam ipsius ad piè & scèliciter uiuendum tenemus, indeq; de origine, & progressu, atq; diffusionem huius doctrinæ in uniuersum orbem, admonere nos possumus. Hoc inquam beneficium Dei longè præstantissimum & prorsus inæstimabile est. Quare id studii & curæ, qua elaboratur, ut hic liber uitæ & salutis sempiternæ, syncerus conseruetur, hominibus fideliter tradatur & explicetur, nōq; ex eo

Quam immensum Dei beneficium sit nobis, biblicorum liber.

ex eo ueram Dei cognitionem discant, Hoc indubie officium pietatis, & cultus Dei est Deo multo gratissimus. Quæ de causa Deus regnum Iuda & instituit, & per tot sæcula mirabiliter tutatus est, ut esset scilicet populus aliquis, in quo liber iste rite custodiretur, & extarent certa de Deo, & eius erga nos uoluntate testimonia, usq; ad aduentum Christi. Ita conseruauit Deus & post aduentum Christi, conseruabitq; perpetuo Regna aliqua et Respub. in quibus hic liber usq; in finem sæculi conseruetur.

Deum tota regna conseruare propter custodiam Bibliorum.

Cum itaq; Deo & Patri nostro tanti sit, hunc librum religiose conseruari, doceri, & disci, in officio profecto est omnium Principum, & Reipublicas administrantium, instituere Scholas, hisq; ita prospicere de idoneis Doctoribus, & ratione docendi iuuentutem Christi, ut hæc celestis doctrina S. Bibliis comprehensa, perpetuo pura custodiatur, & fideliter in Ecclesia doceatur.

Cur scholæ instituendæ & conseruandæ.

Hinc & Apost. initio Scholas in Ecclesiis semper aperuisse constat.

Sunt præterea & aliæ liberales artes præclara dona Dei, quibus communi hominum uitæ maximæ utilitates parantur & conseruantur, quæq; ad ciuilem rerum humanarum administrationē admodum necessariæ sunt, In his ergo erudiri iuuentutem operæ precium est. Quare si collabi Scholas, & interire studia literarum patiamur, breui Ecclesiis Pastores atq; Doctores, aliarumq; artium utilium professores, atq; idonei Reipub. gubernatores deerunt, unde & Ecclesias & Respub. funditus perire & euertere necesse fuerit.

Quamobrem uolumus, ut in singulis oppidis tam paruis quàm magnis, Latinæ Scholæ ad usum primæ iuuentutis instituatur, pro cuiusq; loci conditione. Quo uero Ludimagistri, et ii qui his in Scholastico labore cooperabuntur, mercedem et stipendia sua percipiant, minore grauamine populi, uolumus consilio et assensu nostrorum adhibito, et explorata rei huius commoditate, Vicarias (quas uocant) aliquot, et alias præbendas in hunc usum deputare. Nihilominus tamen soluere partem mercedis præceptoribus et pueri debebunt, qui docebuntur, ii quibus non sit necesse uti eleemosynis Ecclesiæ. Quam mercedem quisq; Ludimagister cum Adiutoribus suis ex æquo diuidet.

Porro quis in singulis Ludis ordo constitui debeat, et quæ distribuendæ classes, quæ erudiendæ iuuentuti horæ deputandæ sint, ut suo etiam tempore ducantur ad templum, ista Ludimagister constituere debet, ut commodissimum sit docendis pueris, communicato consilio cum Pastore, et iis, quos uisitationi uel huic negotio peculiariter præficiamus. Nam ut in aliis rebus, sic et in Scholis cōmodus ordo plurimum

Quis ordo in Scholis seruare debeat.

DE SCHOLIS

habet momenti. Iniungetur uero Ludimagistris atq; Collegis eorum munus suum à Consule cuiusq; loci, praesente Pastore, His illi fidem dabunt, se muneri suo bona fide inseruituros, & iuuentutem erudituros secundum hanc rationem.

Fides Ludimagistris qua praestanda.

Quomodo infima classis docenda.

Primo, ut infimæ classis paruulos doceant legere & scribere literas & ad hoc utantur Latinis libellis, quibus continentur oratio Domini- ca, Symbolum fidei, cum Decalogo, atq; alia huiusmodi pertinentia ad puerilem institutionem Religionis, ut ita cum primis elementis literarum ad pietatis præcepta assuefiant. Inde addenda erit lectio Donati, His pueris etiam quotidie aliquot Latinæ uoces, aut sententiæ ad uesperam præscribendæ, quas illi postridie mane reddant.

De secunda Classe.

Qui uero didicerint legere, & meditantur Scriptionē, hi alteri Clas si adiungantur, His exponendus erit libellus Catonis, & exigendum ut ediscant Donatum. Quem ubi tenuerint, proponi eis debet usitata ali qua Grammatica, quam item ad uerbum ordine ediscere debent.

Atq; hoc imprimis curæ sit supremis ludorū Curatoribus, ut pueri cer tã aliquam & regularem Grammaticam discant, hoc enim multis de cau sis omnino necessariū est. Quia uero labore multo & assidua repetitio ne ad hanc rē opus est, ad id, ut pueris regulæ Grāmaticales infigantur, & pueri ipsi ab hoc labore abhorrent, negligunt pleriq; Ludimagistri præcepta Grāmatices, uel tradunt ea negligentius, ac properant ad Poe tarū, & Ciceronis, atq; similibus autorum lectionem, quæ & docentibus & audientibus iucundior est, q̄ sit perpetua regularum Grāmatices repe titio. Sed hac præpostera docēdi ratione grauiter incōmodatur iuuen- tuti, nunq̄ enim discit certo & pure loqui, cū ad certas loquēdi regulas nō fuerit assuefacta. Quamobrem singulari curâ præcipiendū Ludi- magistris, & accepta ab eis fide ad id obstringēdi sunt, ut pueris certam, usitatum, & regularem Grāmaticam, & certa loquendi præcepta tradant eaq; idoneis interrogationibus & responsionibus eis infigant, ut Gram- matici euadant, & certam Latine loquendi rationem teneant.

Quam necessarium Grā- maticā sedulo inculcare.

In hoc itaq; cœtu secundæ classis tantisper pueri detinendi sunt, do- nec Donatum & totam Etymologiam affecuti fuerint. Simul autem his cum Catone, Fabulæ Aesopi, Dialogi Mosellani, aut Erasmi ali- quot, idq; genus alia utilia progymnasmata, exponantur.

Repetitio Grammatice.

Quæq; ad uesperam uno die interpretata eis fuerint, ea altero die ip- si interpretentur, addita aliquorum uerborum & nominum declina- tione & coniugatione, ubi exigentur ab eis regulæ de genere, casu, præ- terito, & supinō, uti norunt faciendum esse, & studiose etiam facient, quicunq; fidi Ludimagistri fuerint. Præterea exercenda est quotidie hæc

hæc classis in scribendo, & singuli iniunctum scriptum aliquod Præceptori exhibebunt.

Postquã pueri Etymologiã mediocriter didicerint, instituenda *De tertia Classe.* tertia Classis erit ex iis, qui studio huc usq; promouerint. His explicandus initio Terent. & Aeneis Verg. interpretãda, & efficiendũ, ut ediscãt regulas Syntaxis, quas Præceptores perspicuis & illustribus exemplis de *syntaxis.* clarabũt. Deinde in repetitiõẽ lectionis hæc duo exercitia summo studio retinenda sunt, ut cõstructionem orationis pueri semper explicet, & regulas addant, ita ut declinationes atq; coniugationes recitent, atq; harũ quoq; regulas reddant. In huiusmodi uero exercitio repetendi & examinãdi, Præceptor eruditus & fidus docebit, q̃ uarie eadem sententia latine efferi possit, hisq; explicationibus proprietatis & elegãtiẽ linguẽ latinẽ uberiorẽ fructum faciet, q̃ ut hic plene enumerari possit. Sed hæc res tota est in fide & dexteritate Præceptoris, Quapropter magno studio quãrendi sunt uiri solide docti, & fidi, atq; prompti in docendo, qui Scholis præfiantur, præsertim in oppidis grandioribus.

In hac Classe certa quoq; in Septimana hora cõstituetur, in qua pueri regulas & præcepta Grammatices memoriter recitent, ne illorũ obliuiscantur. Licebit etiam Lectiones commutare, ut hora Vergilio deputata, explicentur Epistolæ Ciceronis. In hac etiam Classe singulos pueros in Septimana scriptam à se latinam Epistolam exhibere oportet, ut simul discant latine & loqui & scribere.

Quarta Classis eorum erit, qui Etymologiam & Syntaxin iam didicerint, & mediocrem consecuti sint facultatem latine loquendi, his deinceps certa aliqua Dialectica prælegi debet, Cæsarii, Philippi, aut Sturmii, facilis quoq; aliqua Profodia, ut est Murmellii, aut alia huius similis. *De quarta Classe.* In hac Classe præterea enarrari debent libri aliquot Metamorphoseos Ouidii, De Ponto, et Officia Ciceronis. Pueri huius Classis excitandi quoq; sunt ad scribendos uersus, quos singulis mensibus offerant Præceptori, uerum cum pleriq; eo ingenio sint, ut perdifficile discant uersus facere, Ludimagister eam adhibebit in exigendo hoc studio moderationẽ, ut quenq; in eo exerceat, pro ut cognorit cuiusq; naturam ualere. Tamen et tardiores ad hanc artem hortabitur, ne hoc exercitium penitus abiiciant, propter utilitatem quam magnam sane adfert, Sed ut enitãtur ad id quantũ poterunt, et uel paucos uersus scribãt. Nã hoc exercitiũ exactos Grammaticos reddit, et admonet iuuentutem de multis necessariis rebus, de figuris, de uariis loquendi Latine rationibus, alitq; mirifice copiã sermonis latini. Sufficiant autẽ duæ horæ in Septimana lectioni Dialectices, finita autẽ rursus inchoari debet. Reliquis *Dialectica.* *Profodia.*

DE SCHOLIS

uero horis, his quibus prælegitur Dialectica, respondētibus, interpretabitur Præceptor Græcam Grammaticam, & quotiescunq; finierit, adiciet enarrationem Hesiodi, aut Phocylidis, uel simile quidpiam, quod prudens Præceptor ex re puerorum esse animaduertet. Ne uero exercitia illa Grammatices, Etymologiæ, & Syntaxeos, in hac Classe omitantur, ea in Ouidii repetitione adhibeantur.

Hæ sunt Lektionen quas secunda, tertia, quinta, & sexta septimanæ prælegere conuenit. Nam cū Scholæ Christianæ seruire in primis debeāt, ad sustinendā & prouehendam in hominibus cognitionē Dei, ad retinendā atq; iuuandā disciplinam Christi, totamq; ueram & unicā religionem Christianā, Volumus & præcipimus, ut quarta Septimanæ à cæteris prælectionibus & exercitiis Schola ferietur, & hic dies tradendo & exigendo Catechismo impendatur. Dabimus aut operam, ut cōmunis aliquis & uniformis Catechismus per totā diocēsim habeatur. Neq; enim Ludimagistris concedendū est, ut quisq; nouum Catechismū faciat. Sed recepto omnes uti uolumus, quem ita pueris explicent, & inculcent, ut in sincera Christi cognitione, & fide, & communionē Ecclesiæ iuuentus conseruetur, & continenter promoueatur.

Catechismus in Scholis tradendus & exigendus.

Eadem in Scholis doctrina tradenda quæ in Ecclesijs.

Scholastici ad s. Communionem exhortandi.

Eadem autem in Scholis atq; in Ecclesijs tradi doctrina debet. In quam rem inspectores Ecclesiarum præcipuā curam adhibeant. Hortabitur præterea Ludimoderator grandiores Iuuenes ad communionem Cænæ Dominicæ oportune frequentandam, prius tamen eos de hoc Sacramento diligenter instituat atq; exploret.

In hoc deniq; quarto Septimanæ die, cū Catechismus tractabitur, pueri infimæ Classis singuli audiantur, nū recte teneant, Latina & Vernacula lingua, partes Catechismi, Orationem Dominicam, Symbolum, Decalogum, uerba Baptismi, & S. Cænæ Dominicæ, atq; disciplinæ & censuræ Christianæ, ut hæc habentur Matth. XVIII.

Iuuenibus interpretari Ludimagister Euangelium debet.

Eodem die debet Ludimagister maioribus pueris, ac omnibus qui id assequi possunt, interpretari grammaticæ Euangelium Dominicæ proxime sequentis, summamq; eius lectionis pueris indicare, ac quæ de Christo, de fide, & aliis uirtutibus in ea traduntur, monstrare, quo sensim & Ludimagister & iuuentus sese assuefaciant, ea quæ in Euangelis traduntur, certius cognoscere, & religiosius excutere.

Sabbato Musica docenda.

Sabbatum Musicæ addicatur, ut eo die præcepta Musices tradantur, ac iuuenes instituantur & exerceantur ad cantum, in iis maxime cantionibus quæ in sequenti Dominico die in Tēplo decantari debent. Nā Ludimagistri & iuuentus Scholastica cantionibus in Ecclesijs non adesse tantum præ aliis, sed etiam præesse debent, nec id festis modo diebus, sed

Schola præesse s. cantionibus debet.

bus, sed etiam aliis, dum Sacri conuentus habentur per septimanam, pro ut pro cuiusq; loci conditione constituetur. Hac in re is modus seruari debet, ne ualetudo puerorum per hyemem frigore oblædatur, si in templo æquo longius detineantur, neue etiam ita cantionibus occupentur, ut id studia eorum remoretur. Pertinet etiam ad grauitatem & religionem Sacrarum actionum in Templis tuendam & augendam, ne cantiones nimium uarię, nec prolixiores habeantur.

Modus cantionum.

Hæc uero & alia quæ ad dignitatem Sacrorum conuentuum, & ædificationem populi Christi attinent, Visitatores, pro cuiusq; loci oportunitate, facile constituent.

DE SCHOLA THEOLOGICA.

Qorro ad conseruandam doctrinam Christianam, & salutarem Ecclesiarũ administrationem, non solũ prima illa initia requiruntur, quæ Scholis puerilibus paranda sunt, uerum præterea necesse est, ut etiam plerique se penitus dedant uniuersæ Scripturæ propheticæ & Apostolicæ, solide perdiscendæ, omnibusq; difficilioribus quæstionibus, quæ Ecclesiam ab initio exercuerũt probe excutiendis, cognoscere quoq; rationẽ, qua S. Patres ueritatẽ Domini in Ecclesia suo tẽpore tutati sunt, & eam nobis synceram cõseruarunt, quaq; hodie & nobis illa defendenda & retinenda sit.

Quam necessarium sit studium Theologiæ.

Quo semper extet in Ecclesia uiri ad doctrinã Christi cũ propagandã, tum asserendam, & propagandã, idonei & instructi. Ac ita uera & uunica doctrina Christi nobis diuinitus reuelata, & ab Apostolis cõmendata & explicata, quam germana ac uera Catholica Ecclesia Christi tenuit semper, gratia & benignitate Christi & conseruari, & ad posteros propagari foeliciter possit, Hæc merito prima esse cura debebat summorum Principum, & omnium gubernatorum Rerum publicarum, sicut reuera hic præcipuus Dei cultus est.

Propter has causas Apostoli & eorũ discipuli, in Ecclesiis suis huiusmodi peculiare lectiones & Scholas instituerunt, Quemadmodũ legimus de Ioanne Euang. Polycarpo, de Scholis Antiochiæ, Alexandriae & Constantinopoli institutis. Atq; huiusmodi Scholę erant initio, quę hodie habentur collegia Ecclesiastica. Erat autem ista ratio Scholas huiusmodi instituendi, Ecclesiis perutilis ob quatuor causas. Prima, ut in talibus Collegiis & Scholis, Prophetica & Apostolica scripta conseruarentur, ne periret. Secunda, ut semper testes essent de Scriptis Apostolicis, quę scilicet germana essent, quę notha. Nam statim initio, quędam sub nomine Apostolorũ scripta falso circumferebantur, ea per istas Scholas statim reiecta et notata sunt. Quemadmodum legimus Ioannem

Collegia olim Scholę.

Quatuor cause cur Theologica Schola instituenda sit.

DE SCHOLIS

Euangelistam ipsum, quendam reprehēdisse, quod Actis Apostolorū affuerat falsam quandam appendicem. Tertia, ut istiusmodi Scholæ testimonium præberent, quæ doctrina, & quæ Scripturarum intelligentia ab Apostolis tradita sit, ne alienæ, & cū doctrina Apostolica pugnantēs doctrinæ, atq; Scripturarum interpretationes irrepererent, quarum auctores uel ignoti essent, uel aduersarii huic Ecclesiæ testimonio. Quarta, ut ex huiusmodi Collegiis & Scholis, aliis quoq; Ecclesiis idonei sumerentur doctores & gubernatores. Has existimo causas esse, cur ab initio huiusmodi cœtus & Collegia in Ecclesiis semper fuerint. Quæ postquam liberalitate Principum & piorū hominū ditata fuerunt, redacta sunt in talia Canonicorū (ut uocant) Collegia, ut hodie cernuntur.

Quia uero studia Sacrarum literarum in his collegiis pridem plane extincta sunt, & accesserunt cum graui sacrarum rerū ignorantia, multa alia pernitiōsa Ecclesiis scandala, Summa profecto Ecclesiarum inopia & necessitas postulat, ut quantum Dominus ad id opem suam tulerit, Scholæ restituantur atq; conseruentur.

Schola Bonnenfis.

Quocirca & nos huiusmodi Theologicam Scholam Bonnæ aperire & cōstituere proposuimus, in qua pro more Lectores aliqui idonei Sacras & alias bonas literas doceant, in qua curabimus etiā locum & mensam exhiberi studiosis, sicut in publicis Academiis fieri solet. Quinetiam pro pauperibus adolescentibus aliquid deputabimus.

Lectioes Theologicae.

Constituentur itaq; pro initio, in hac nostra Schola, septem Professores. Primus Theologiam profitebitur, ita ut duobus diebus in septimana in Veteri Testamento, duobus aliis in Nouo, publice doceat, cuius iudicio permittemus, ut ex S. libris eligat, quos auditoribus utiliores fore existimauerit, ut sunt in Veteri testamento, Genesis, Deuteronomiū, Psalmi, Esaias. In Nouo, Paulus, Ioannes, Lucas. Ita autē hic doctrinā suam moderabitur ut sit consentiēs cum Methodo & summa doctrinæ Sanctę, quā hoc libro descripsimus, quę reuera doctrina & sensus est ueræ & Catholicæ Ecclesię Christi. Hic summus lector Theologię etiam superintendentis officio fungetur uiciniorū Ecclesiarū, & ut Rector huius scholę, curam cæterorum Lectorum geret, eosq; si opus fuerit, officii admonebit, & si quā debent, non præstent diligentiam, id ad eos deferret, quos huius nostræ ordinationis quasi conseruatores deputabimus. Studebit etiam mutuā inter Professores retinere & fouere concordiam, ne alius alium uerbis aut scriptis, aut alia quauis ratione lædat, Quæq; ad disciplinam & correctionem iuuentutis pertinere arbitrabitur, ea cæterorum lectorum consilio & assensu statuet & perficiet.

secundus

Secundus Lector item sacros libros enarrabit, sed simul linguam Lingua Hebraea. Hebraicam docebit, duobus diebus per Septimanam explicabit aliquē librum Theologica enarratione. Quatuor diebus præleget ordine Hebraice, Primum tradet Grammaticam, Deinde exponet aliquem librū Biblicum, in eoq; ostendet regulas & usum Grammatices, quo hæc lingua certius ab Adolescentibus cognoscat, & eis familiarior reddatur.

Tertius Professor Dialecticam docebit, & Græcam linguā, & utramque Dialectica. singulis diebus per Septimanam, quibus docendum est, ut Secunda, Tertia, Quinta, & Sexta Septimanæ. Quod difficile ei non erit, qui uel mediocrem facultatem utriusq; artis habuerit. Nam qui præcepta Dialectices semel recte perceperit, is in docendis illis nihil laborabit.

Deliget autem hic usitatam aliquam & utilem Dialecticam, qualis est Cæsarii, Noua Philippi, aut Sturmii, Quamq; docere cœperit, eam non mutabit, Tum quoties eā finierit, toties addat aliquē librorū Dialecticæ Aristotelis, quæ Græcè interpretabitur, Ex his tamē faciliores eliget, qualis est Porphyrii, aut Prædicamentorū liber, aut pars quedā Analyticorum posteriorum, quo iuuentus ad lectionē Aristotelis præparetur, Omnia uero moderabitur pro captu auditorū. Absoluto libro Aristotelico, consuetā Dialecticā Cæsarii, Philippi, aut Sturmii repetet.

Altera hora qua Græca prælegenda sunt, hic Lector primo Grammaticam Græca lingua. docebit, deinde Hesiodum, aut aliquam Homeri partem, uel Tragedias aliquot Euripidis, aut Sophoclis, uel orationem aliquam Isocratis, quippiam Luciani, uel Herodoti explicabit, His absolutis redibit ad Grammaticen.

Quartus Lector Rhetoricen profitebitur, et singulis diebus bis præleget, Altera hora in præceptis Rhetorices, deliget autem sibi utilem, et usitatam in Scholis Rhetoricam, qua finita copiam Erasmi enarrabit, quam sequentur aliquot Quintiliani libri, uidelicet Secundus, Tertius, Octauus, Decimus. Rhetorica.

Altera hora enarrabit Orationem aliquam Ciceronis, in qua quantum opus esse iudicauerit, ostendet quomodo respondeat oratio regulis & præceptis Rhetorices. Interdum tamen loco Orationum aliquid ex Poëtis admiscebit. Hic Rhetoricus lector & moralem Philosophiam profiteri debet, hora itaq; huic lectioni deputata, enarrabit aliquando Officia Ciceronis, aliquando priores libros Ethicorum Aristotelis Græcè interpretabitur, & iuuentutē ad libros hos legendos introducet. Moralis philosophia.

Quintus Lector Grammaticus erit, quæ enim Schola hæc propter eos instituenda sit, qui antea in puerilibus ludis Grammaticā didicerint, tamen cum ingenia iuuenum dissimilia sint, & quidam cum ad has Grammatica.

DE SCHOLIS

publicas lectiones ueniunt, grammaticam nondum plene tenent, alii perceptam prius obliuiscuntur, necessarium fuerit, ut inter cæteras publicas Lectiones, etiam aliquod puerile exercitium in Grammatica retineatur.

Professores igitur explorata singulorum eruditione, pueros in certas classes distribuant, pro ut singuli in literis promouerint, eosq; quos non satis uersatos in Grammatica cognouerint, impellant & urgeant, ut eam plenius addiscant. Et huic Lectori binæ quouis die horæ assignandæ sunt, quibus faciat Adolescentes recitare memoriter præcepta & regulas Etymologiæ & Syntaxeos, idq; ordine singulos. Hancq; consuetudinem perpetuam & immutabilem in Scholis retinere necesse est. Quoniam autem Iuuentus huiusmodi exercitium ægre sustinet, necesse est, ut Professores omnes consentienter hoc statutum tueantur, ut Adolescentes etiam pœnis adigant & compellant ad hoc exercitium, unumquemq; pro ætate sua, & progressu, quem fecerit in Grammatica, quo auditores suos reddant ueros & certos Grammaticos, id quod ad ueram & solidam eruditionem plurimum momenti adfert. Permagnum enim damnum hac tempestate communibus studiis hinc datur, quod certa institutio Grammatices negligatur, plurimiq; Adolescentes ad alias se Profefsiones & artes conferant, arte Grammatica nondum solide percepta, de quo damno quanquam omnes fidi formatores Iuuentutis querantur, & quantum in ipsis est, illud à Discipulis suis libenter auerterent, eosq; ad plene perdiscendam Grammaticam adigerent, destituuntur tamen in eo autoritate & opere eorum, qui superiorem in Scholis potestatem habet. Quare uolumus ut Inspectores nostri huic malo diligenter occurrant, atq; summo studio curent, ut exercitium Grammatices fideliter conseruetur & urgeatur. Altera hora faciet hic Lector pueros recitare memoriter profodiam Mycilli, exigetq; ut se exerceant scribendis carminibus. Ad hæc aliquem Poëtam eis enarrabit.

Sextum Lectorem Mathematicum esse uolumus & Physicum, satisq; ducimus hunc unam in die horam prælegere. Secunda igitur & tertia Septimanæ hic Arithmetica docebit, ea finita præleget libellum de Sphæra Ioannis de Sacro busto, qui Inuentuti diligenter explicandus est. Post redibit ad Arithmetica, in eodemq; opere perseuerabit. Reliquis duobus diebus, quinta & sexta, in Physicis aliquid profitebitur, deligetq; usitatum & probatum in hac arte libellum, ueluti summulam Alberti, aut librum de Anima Philippi, uel similem non nimis prolixum aut perplexum. His absolutis cõpendiosam aliquã Cosmographiam

Instandum diligenter studio grammatices.

Profodia.

Mathematica et Physica.

Arithmetica.

graphiam sumer enarrandam, qualis est Appiani, in qua iuuenibus rationem supputandi summa diligentia tradat. *Cosmographia.*

Septimus Lector Iurifconsultus erit, qui singulis diebus una hora explicabit Institutiones Iustiniani. Nam nobilium & alioqui honestorum ciuium liberos, qui ad Scholam hanc uenient, operæ precium erit, introducere ad scientiam Iuris, traditis primis elementis huius artis. Quod & illud commodi habebit, ut dum uersari incipiunt in Iure, sentiant quanti sit usus reliquarum artium, maximè Rhetorices & Dialectices. *Scientia Iuris.*

Cæterum, quia in hanc Scholam multi conuenient pueri & Adolescentes, etiam Medico & Pharmacopolio opus est, nam pueri subitis sæpe morbis corripuntur, unde necesse sit statim adesse medicum, & ad manum habere medicamenta, Quare & de hac commoditate dispiendum erit. *Medicus.*

Singulis Septimanis die quarto conuenire debent tres professores, Dialecticus, Rhetoricus, & Grammaticus, ut scripta Adolescentum, tum prosam, tum carmina inspiciant, & aliqua ex eis emendent, ut uideant iuuenes quæ uitiosa sint, & discant ea uitare & scribere emendatius. Quantum etiam fieri poterit, in eo laborabunt Professores, ut Scholasticici latinè semper loquantur. *Scripta.*

DE DISPUTATIONE

Placet etiam, ut quater in anno habeatur disputatio Theologica, die Sabbati, cui præsidebunt per uices professores Theologie. Artium uero professores curabunt, ut singulis mensibus, aut disputatio habeatur, aut declamatio. In disputationibus primum eruditiores inter studiosos, deinde ipsi professores argumententur. His Rectorem semper adesse uolumus, quo decenter & amico animo disputetur, neque disputationes occasionem prebeant perniciosis rixis & dissidiis. Præterea Rectoris erit uidere, ut materiæ disputandæ proponantur utiles, & quæ nemini offendiculo sint. Idem iuuentutem ad sacram Communionem diligenter hortabitur, & efficere studebit, ut sæpius in anno omnes Adolescentes mensam Domini adeant. Qui uero ad Communionem accessuri sunt, hi prius Absolutionem petent, & tum examinari debent, quid in doctrina Christiana profecerint. *Sacra Coenæ communitio.*

Quomodo autem distribuendæ sint horæ, quibus singuli Professores suas habeant lectiones, de eo Professores ipsi cum Rectore inter se conuenient. Quos etiam uolumus communi consilio statuta facere de moribus studiosorum, quibus inuitentur & impellantur ad ea, quæ pietatis

pietatis sunt, & aliarum uirtutum, & quibus reliquis hominibus exemplo sint, ad omnem pietatem & honestatem.

Condent igitur Rector & Professores leges, ut Scholastici oportunitate temporibus templum decenter & una adeant, Sanctis cœtibus religiosè adsint, Conciones audiant, Cum Ecclesia precentur, sacramentis communicent, Christo Domino pro pauperibus sua munera offerant, ut euitent irreligiosa iuramenta, maledicta, & execrationes, omnemq; noxium & impurum sermonem, omnem crapulam, ebrietatem & impudicitiam, ut uestibus utantur honestis, & decentibus studiosos, non conscisis, aut alias fastuosis, togæ infra genua demittatur. Ista & similia, quæ ad dignam Christianis Scholasticis disciplinam & honestatem facient, comprehendi statutis, & sancire pœnis debent.

Huiusmodi Schola, ex qua ad Ecclesiam & ad singulos ordines hominum amplissimæ utilitates perueniant, institui & conseruari liberaliter poterit, ita ut non solum Professores iusta stipendia habeant, Sed etiam ut alantur aliquot pauperes Scholastici, si modo, uel unius Monasterii redditus huic rei addicantur, qui nunc misere sane dissipantur. Multa enim passim Monasteria inuenias, in quibus uix quinque, aut sex Monachi supersunt, & eiusmodi sane homines, qui nullo usui Ecclesiæ & aliis esse ualeant, quiq; tantas opes Christo Domino & Ecclesiis eius consecratas indignissimè absumant. Quare merito omnibus Principibus, & qui supremam potestatem administrant, curæ esse debet, ut ista Christiana ratione corrigantur, & hæc consecrata donorum hominum, in eum usum, in quem Domino dicata sunt, conuertantur. Quod confidimus nos (iuuante Domino) non inutiliter curaturos, habito nostrorum ad id Consilio.

QVA VIA ET RATIONE CHRISTIANA REFORMATIO SACRI MINISTERII, ET CVRAE animarum, in Parochiis auspicianda, & re ipsa ineunda sit.

In primis necessariam esse curam Parochiarum re et instituarum.



Vt Parochiæ, et Sacra ministeria in populo Christi recte curentur, quod præcipuum est in reformandis Ecclesiis, In primis necesse est, singulas Parochias habere suos idoneos Ministros, qui summa cum fide et diligentia officium suum in Ecclesiis perficiant. Quare ini-

re initio exactam omnium Parochiarum fieri inspectionē curabimus per viros prudentes & graues, quibusque negotium Christi uere cordi sit, qui explorabunt, quales passim Ecclesiis Pastores & Ministri præsint. Nam si populus rite ad Christum Dominum adduci, & fide in eum institui & ædificari debet, necesse est, ut euiusmodi Duces & Pastores habeat, qui sint & ad regnum Dei docti, quemadmodum diuus Paulus præscribit Discipulis suis Timotheo & Tito, & zelo quamplurimos ad illud perducendi flagrent, denique idonei sint ad docendum alios, seruare quæcunq; Christus nobis omnibus præcepit, ita ut Pastores & Ministri Ecclesiarum sint *διδασκῆται* id est, instructi ad docendum alios, tenaces fidelis sermonis, quo possint exhortari per doctrinam sanam & contradicentes conuincere. Si enim sal infatuatus fuerit, nihil eo potest saliri, & si lumen obscuratum fuerit, tenebræ obscurant omnia. Atqui Pastores & Doctores Ecclesiarum oportet aliis esse uice salis & lucernæ in uia Domini. Vos estis, inquit Christus Discipulis suis, sal

Math. 5.

terre & lux mundi. Quare Deo adiuuante curabimus, quanta poterimus diligentia, ut in ditione nostra tales Ecclesiis præficiantur Pastores & Ministri qui iuxta Canonem à Spiritu sancto per diuum Paulum traditum, quem omnes Sanctorum Patrum Canones seuerissimè exigunt, uiuere uero studio conantur, etiamsi humana imbecillitate impediti perfectè assequi eum nondum possint, & saltem in præcipuis rebus, quæ ad Sacrum ministerium pertinent, ad hunc Canonem omnes suas actiones exigunt.

Primum itaque, quod etiam ad Ecclesiasticam Reformationem plane necessarium est, neminem ad administrationem Ecclesiarum admittere decreuimus, uel in ea tolerare, qui in manifesto crimine sit, uel intemperantiæ, uel impudiciæ, uel auaritiæ ex iniquo quaestu, fœnore, aut ulla fraude alia in commerciis, uel in alia iniuria proximi, imo qui non uerum studium declarat uiuendi temperanter, iustè, humaniter, amicè ac piè, suosque domesticos ad eandem uitam instituendi, ubi enim hoc studium deest, ibi nec uiua adesse fides potest, nec uera Christi cognitio. Quomodo igitur tales queant docere cum fructu, & idonei testes esse fidei in Christum? Quantum enim hi doctrina edificant, tantum impura uita sua destruunt. Nec enim fieri potest, ut huiusmodi cum Deum non uerè ament, sanam doctrinam constanter doceant. Quare longè tolerabilius est habere paucos & hos uerè pios, & studio certo Christi flagrantes Pastores Ecclesiarum, donec plures idoneos operarios Deus ipse in messem suam extrudere dignetur, quæ Ecclesias,

Quales ad administrationem Ecclesiarum admittendi.

Ecclesias quantumuis exiguas eorum fidei committere, qui Christum ipsi non cognouerunt. Atqui Christum nemo nouit, qui non studet præceptis eius obtemperare, & se à flagitiis & sceleribus mundum seruare, I. Ioan. III. Omnis qui peccat, non uidit Deum nec nouit eum.

*Adhortatio ad honestam
& castam uitam,*

Quo autem facilius auerti à Ministris Ecclesiarum possit omnis impudicitia & impura uita, rogamus, hortamur, & requirimus ab omnibus, qui Ecclesiis uel modo præfecti sunt, uel postea præficientur, ut uitam suam summo studio ita piè, temperanter, pudicè, & sanctè instituant, & degant, ut non doctrina tantum, sed etiam exemplis uitæ populo Christi præsentent, & ad Christum perducant, nemini ullum solutioris, aut parum castæ uitæ offendiculum obiiicientes.

Coniugium non prohibendum esse ijs, qui non continent.

Quibus uero datum non sit, ut extra coniugium inculpatè & sanctè uiuant, his prohibere sanctum Coniugium, nostrum esse non ducimus, Illud autem eos rogamus, & ab eis postulamus, ut sanctum Coniugium, si inire uelint, in eam id sanctè, & in Domino, hoc est, quærant sibi Coniuges, quas merito confidant adiutorio sibi futuras, non ad priuatam modo uitam piè & inculpatè degendam, sed etiam ad sanctum Ecclesiæ ministerium & expeditius & religiosius obeundum. Orent igitur à Domino, & pio studio quærant, Religione & omni honestate præstantes, piè & sanctè educatas, quæ apud Ecclesiam bonum testimonium habeant, Tales enim Spiritus sanctus uxores Ministrorum Ecclesiæ requirit, & postulat ipsa Ecclesiarum summa necessitas.

Quales Coniuges sacerdotibus permittendæ.

Qui uero eas ducere Coniuges cupiant, quas Concubinas antehac habuerunt, id eis non permittatur absq; assensu Visitorum, qui statuant id, quod ea in re uideatur Ecclesiæ conducere, & Sacro ministerio commodum esse. Nam & familia Pastorum ornare Euangelium Christi debet, & Coniuges eorum reliquis matronis exemplo esse, in omni pietate atq; castitate, ut per Paulum Spiritus sanctus præcepit.

Qualis doctrina in Pastoribus requiratur.

Secundo, neminem admittere ad hoc ministerium decreuimus, nec in eo ferre, qui non incumbat lectioni sacrorum Bibliorum, Et in doctrina & uita Christiana, atq; etiam in scientia Ecclesiam Dei administrandi, non hucusq; promouerit, tantumq; facultatis ad docendum à Domino acceperit, ut uulgares saltem & usitatas lectiones, quæ ex Scripturis toti Ecclesiæ proponi solent, ualeat mediocriter explicare, & ex his præcipua doctrinæ nostræ capita commode tractare, adeoque & pueros & grandiores natu, uniuersumq; populum Christi in Religione Christi tolerabiliter instituere.

Tertio, cum ut Sacro ministerio quis rectè præsit, & in eo Ecclesiis utiliter inseruiat, necesse sit, ne se huius uitæ negociis implicet, sed summo stu-

mo studio lectioni, doctrinae, & orationi sese totum dedat. Hortamur & requirimus mandato Christi, & auctoritate muneris nostri Archiepiscopalis, ab omnibus Pastoribus & Curatoribus animarum, ut omnibus mundanis & carnalibus curis atque negotiis prorsus ualedicant, & ea à se reiiciant, quemadmodum post Legem Dei Canones summa seueritate exigunt, Etenim de uitae necessariis, ut cuique benigne prospiciatur, fideliter curabimus, quo soluti cura huius uitae sese totos impendant, cum Sacrae Scripturae perdiscendae, & meditandae noctes & dies, ut quae sola ad salutem erudiat per fidem in Christum, tum precibus ad Deum, ut quibus solis impetrare liceat, & uerum Scripturarum intellectum, & donum atque uirtutem cum aliis salubriter tradendi, & per omnia Christo Domino in hoc munere ad edificationem Ecclesiae foeliciter inferuendi.

Pastores liberos debere esse a carnalibus & mundi huius negotijs.

Quarto, praecipimus, ut Pastores Synodos, atque pia in his exercitia, quae certis et oportunis locis ac temporibus constituemus, pro ut commoditas Ecclesiarum et ministrorum tulerit, diligenter frequentent, sine ulla non necessaria excusatione, ibique de sincero Scripturarum intellectu, et salutari administratione muneris sui fideliter sese inuicem erudiant, instituant, moneant et exhortentur. Postquam enim cognitio, et usus Pastoralis muneris tam miserè obsoleuerit, constituemus per Visitatores, quoad fieri poterit, certis in locis Pastores, et doctores aliquot, qui scientia et religione Sacri Ministerii aliquanto instructiores sint, ad quos caeteri uicini Pastores, et Ecclesiarum Ministri singulis septimanis, uel quoties opportunum fuerit, conueniant, enarrationemque Scripturarum, et alia quae ad curam Pastoralem pertinent, ab his audiant, indeque se ad suum munus melius instruant, atque si eis incidant casus et difficultates in suo ministerio, unde ipsi se explicare non ualeant, horum utantur consilio, Et si quid errasse aut deliquisse moniti fuerint, eam monitionem et boni consulant, et ualere apud se sinant, ut et diligenter corrigant, in quo lapsi fuerint, et studiose sarciant, in quo munus suum minus impleuerint.

Synodi & sacerdotales coetus.

Præuata exercitia & institutiones necessaria inter Pastores.

Præterea et ampliores Synodos instituemus bis quotannis celebrandas, et præter has adhuc alias duas singulis annis haberi uolumus in ciuitate nostra Colonensi, quemadmodum iam uetus consuetudo habet, ad quas solum Decani conueniant, et quibus aliquod peculiare illic negocium fuerit, uel eo fuerint uocati.

Maiores Synodi celebranda.

Ad has ergo Synodos Pastores et Decani, quisque pro suo ordine, studiose conueniant, nec illis se nisi necessaria de causa subducant.

Y Prouide

DE REFORMANDIS COLLEGIIS

uifitatores.

Prouidebimus etiam, ut singulæ Ecclesiæ singulis annis fidei cura inspiciantur per idoneos Uisitatores, qui si quid in Parochiis uitii obrepserint animaduuerint, quod per ipsos emendari non possit, in maioribus Synodis proponant, ut Synodali autoritate emendetur. Quare ad has Synodos regendas & uisitationes obeundas, deligemus uiros (quãrũ Dominus dederit) prudentia, fide, & autoritate præcellentes, quibus etiam eam potestatem faciemus, ut oborientibus uitiiis et incommo- dis queant occurrere, et idonea adhibere remedia.

Quo Synodorum & uisitationum actiones spectare debeant.

Porro & Synodorum & Uisitationum actiones huc omnes spectare & referri debent, ut Parochiæ omnes suos fidos & idoneos Ministros habeant, qui & ministerio suo iuxta uerbum Dei bona fide fungantur, & ad hoc necessariis uitæ, & iusta defensione aduersus iniustam uim & calumnias improborum non destituantur. Qui uero uel Ministerium Sacrum non fideliter præstitisse, uel in uitam suam uitium ali- quod admisisse deprehensi fuerint, ut hi corrigantur, aut si id fieri non possit, à functione Sacra remoucantur.

Postremo cum Pastoribus, ut hominibus, quotidie uarii casus & morbi, atq; alia Sacri ministerii impedimenta incidant, & istud in Synodis atq; uisitationibus cõstituendum erit, cum alicui Ministrorum uel ex morbo uel ex alia causa accidat, ut ministerium suum Ecclesiæ præstare per se nõ ualeat, ut aliquis Collegarum, si plures in eadem Ecclesia ministrent, ut in oppidis fieri solet, aut uicinarum, si cui nullus Collega sit, ut in pagis esse consuevit, sic impediti Ministri uicem ob- eat, ne populus Christi Sacro ministerio uspiam fraudetur.

DE REFORMAN- DIS COLLEGIIS CA- NONICIS.



Collegia Canonica in præsentiarum fere duplicia sunt. Alia in quibus modo Ducum, Comitum, Equitum, & Nobilium filii recipiuntur. Alia in quibus admittuntur & ex reliquis hominibus nati. Porro cum omnes isti Clericos se, partim etiam Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos, & quidam Canonicos, hoc est, regulares clericos ha- beri uelint, si Reformatio horum legitima & Canonica institui debe- ret, oportet

ret, oporteret profecto, ut hi omnes ad eam & ministrandi Ecclesiis, & uiuendi formā ac rationem sese reciperent, & conformarent, quam Canones hisce nominibus præscribunt, hoc est, ut se omnes curā animarum, & ædificandæ Ecclesiæ reliquæ in doctrina & disciplina Christi addicerent, Vt Presbyteri scilicet uacarent sacris concionibus, & Sacramentorum administrationi, atq; regendæ disciplinæ Ecclesiasticæ, Diaconi & Subdiaconi ministerio eiusdem disciplinæ & sacramentorum, atq; distribuendis elemosynis, ad quæ & reliquos Clericorum ordines suam operam & ministerium conferre oporteret, unumquenq; pro suo loco & ordine. Omnium enim Clericorum hoc proprium munus est, ut Canonum & ueterum Patrum autoritates testantur, pascere gregem Christi. Clerici pascunt oues, ego pascor, inquit Hieronymus ad Heliodo, ubi se inter Monachos numerat, & discrimen ostendit inter Monachos & Clericos.

Clericorum omnium munus proprium quod sit.

Quoniam autem in Christiana Ecclesiarum Reformatione eò spectare debemus, & illud summo studio quærere, ut cuncta in Ecclesiis restituantur, quàm commodissime, & quàm minima fieri potest hominum offensione, atq; re ipsa, ne Reformatio scilicet tantum extet in magnificis scriptis, non etiam in rebus, Christianis enim omnia in ueritate præstanda sunt. Quare in Reformatione rerum Ecclesiasticarum id efficiendum est, & re ipsa præstandum, ut sacrum Ministerium, & omnis disciplina Christi ad certam Religionis instaurationem, & salutem Ecclesiæ totius restitatur. Hoc igitur sine proposito & synceriter spectato, talem Reformationis rationem in Collegiis Canonicis instituendam existimamus.

Primum uolumus, ut nostrum uenerabile Capitulum summi Collegii, suam liberam et Canonicam electionem de omnibus Collegiis, et Prælati suis, omnem dignitatem, antiqua iura, libertatem et priuilegia, uti illa ab antiquo obtinet, salua retineat, eisq; libere et plene, citra cuiusuis interpellationem aut perturbationem utatur.

Capitulum summi Collegij omnia sua iura & priuilegia antiqua retinebit.

Ea tamen conditione, ut primum in doctrina, celebratione Missarum, et Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis ministeriis, ita se gerant, uti in hac nostra Reformationis forma descriptum est, Vitamq; suam sic instituunt et degant piè et religiose, ut id decet eos, qui Clericalem disciplinam profitentur, et aliis in Religione debent præire, Quo non solum nemo conuersatione eorum offendatur, sed exemplo eorum quàm plurimi ad omnem pietatem potius et honestatem inuitentur, et excitentur.

Ceremoniarum reformatio.

Deinde et lectiones et cantiones suas in Templo sic comparent, et

DE REFORMANDIS COLLEGIIS

Lectiones & cantiones
qualesse debeant.

moderentur, ut quæ legere & cantare uolent, omnia depromantur ex diuinis literis, aut non sint illis dissentanea, Quod ut commodius & certius assequamur, offerimus nos ad deligendum, & iis, quos ipsis nostris supremis Canonicis ad hanc rem deputare placuerit, adiungendum, idoneos huic negotio uiros, qui una cum ipsorum delectis libros Sacrarum lectionum & cantionum, qui nunc habentur, excutiant, & quæcunq; per annum legi & cantari in templo debeant, ad regulam Sacrarum scripturarum exigant & conforment. Ut non solum nostrum primum Capitulum & Collegium, sed omnes per uniuersam ciuitatem & diocesim Clerici habeant, quam rationem legendi & cantandi in templis sequantur. Quo uero usus Latinæ linguæ in Ecclesiis conseruetur, liberum esse uolumus, non solum nostro primario Capitulo & Collegio, sed etiam omnibus aliis Collegiis, per nostram Diocesim, uti in Sacris lingua latina. Id tamen eo pacto, ut ubi Collegiis adiunctæ & incorporatæ Parochiæ sunt, ex lectiones & cationes quæ plebi fiunt, Germanice legantur et decantentur, sicut in hac nostra Reformationis formula constitutum est, ut quæ plebi ex Sacris legentur et canentur, plebs etiam intelligere, & Amen suum eis adiungere ualeat.

Parochiarum Collegijs in
corporatarum Reformatio.

Tertio et Collegia Canonorum per uniuersam Diocesim nostram prouideant, ut Parochiis, quas pridem incorporatas obtinent, non desint idonei Pastores, et Doctores, atq; Ludimagistri. Nec his iusta stipendia, quo hæc Ecclesiæ legitimo Ministerio cum Religionis, tum eruditionis communis minime defraudentur. Quod si eo grauari se plusculum Collegia arbitrentur, poterunt ad istum usum Ecclesiis in primis necessarium aliquæ addici Vicariæ (quæ uocantur) postquam uacauerint.

Duo Concionatores summi
Templi.

Quarto, ut in primo nostro Collegio, duo Religione et doctrina præstantes uiri constituantur, et his duæ Sacerdotales Præbendæ assignentur, ut Sacris uacent concionibus plebi quotidie exhibendis, quos ideo à Choro eximi conueniet.

Schola pro iunioribus Ca-
nonicis.

Quinto, ut Scholam Collegii singulari studio instituât, ut adolescentes ex Principibus, et Comitibus, qui supremo Collegio addicti fuerint, ac alii in ea sic erudiri et institui ualeant, quo cum sibi ipsis et suis, tum etiam aliis et toti Ecclesiæ Dei ornamento sint et adiumento.

Ut singuli suum officium
fideliter præstent.
Præpositus.

Sexto requirimus, ut singuli primi nostri Collegii Prælati, & Canonici suum Ministerium, quod cuique peculiariter impositum est, fideliter & studiose præstent. Hoc est, ut Præpositus ac ceteri Archidiaconi prouideant, quisque in suo Archidiaconatu, primum ut Ecclesiæ atque Scholæ in tempore bona fide inspiciantur, & instaurentur, Deinde ut bona Ecclesiarum fideliter custodiantur & dispensentur, neque quicquam de illis dissipet.

dissipetur, aut ab Ecclesiis alienetur. Præterea ut quisq; Iurisdictionem suam in suo Archidiaconatu ad eam rationem & reformationem exerceat & tueatur, quam ante hac nostris & secularibus & Ecclesiasticis iudiciis præscripsimus, & posthac cum consilio & consensu nostrorum præscribemus.

Postremo, Præpositi hæc cura propria sit, ut omnium Ecclesiarum bona, & quæ Scholis addicentur, pro uiribus tueatur, & efficiat, quantum in ipso fuerit, ut omnia ministeria Ecclesiarum sui Archidiaconatus, ubiq; iuxta Verbum Dei, & hanc reformationis formulam nostram, et restituantur, et conseruentur, et cum id res poscet, instaurentur.

Ita et Decani Primi Collegii fuerit, primum in hanc curam incumbere, ut singula Ecclesiastica ministeria, Sacramentorum administrationes, et aliarum ceremoniarum, præcipuè in primo Collegio, deinde etiam in aliis Ecclesiis, secundum Verbum Domini, et hanc nostram Reformationem, instituantur et præstentur. Deinde ut Canonici Primi Collegii omnes suam uitam rectè et ordine instituant, et degant in disciplina Christiana, ut poscit eorum Professio. Præterea ut causis Collegii, quò ritè atq; in tempore tractentur, et quàm commodissimè explicentur, fidelem operam impendat. Postremo peculiarem curam gerat Concionatorum supremi Collegii, ut semper idonei constituantur, et qui constituti fuerint, officium suum studiosè expleant.

Ad hæc omnia adesse Decano debet Subdecanus, uel Vicedecanus et quæcunq; iam officia Decani commemorata sunt, in absentia Decani ipse præstare.

Episcopi Chori sit, procurare, ut omnia in Choro et in Ecclesia, que ad primum templum conuenire solet, decenter et religiosè legantur et decantentur, omnisq; ibi perturbatio et indecora actio euitetur.

Scholasteris primi Collegii munus sit, Primum diligentem curam adhibere, ut Scholæ, quæ primo Collegio commendata est, fidi & idonei Præceptores præfiantur, & ut hi suas prælectiones, atq; Ecclesiastica exercitia rectè & ordine instituant & præstent. Deinde curare iuniores Canonicos, & ad pia & honesta studia literarum, tum etiam ad decentem institutionem uitæ, & conformationem morum, commodè excitari, moneri, & impelli. Tum aduigilare, ut qui ad Sacra ministeria designari debent, legitimè examinentur, & ne quis ad ullum Sacrum ministerium admittatur, uel ordinetur, nisi iuxta hanc nostram Reformationem comprobatus. Postremo bona fide et consuetum suum officium in Capitulo obire, in rogandis sententiis, & nomine Capituli loquendo et respondendo.

DE REFORMANDIS COLLEGIIS

Ad eundem modum debent & alii Canonici fideliter quisq; suo muneri & ministerio, tam Illustres, quàm Presbyteri incumbere, legendo, cantando, & negocia Collegii in Capitulo tractando, suisq; Prælati, ut par est, obediendo.

Canonici Presbyteri.

Cum uero Canonici Presbyteri posthac ad tam multas Missas, uti hæcenus, non obstricti erunt, placeret nobis istam de eis rationem deinceps seruari. Vt duo ex eis deputarentur & obstringerentur, diebus Dominicis & Festis ad celebrandum sacram Eucharistiam, & ad dispensandum Sacramenta, Duo ad faciendas sacras Conciones, quos propterea à Choro liberos esse oporteret, Duo ad prælegendum Sacra in scholis, Duo ad scientiam Iuris, ut Capitulo & Collegio de Iure in obortibus causis responderent & consulerent, & negocia externa obirent. Hanc autem munerum distributionem ita inter Presbyteros statui uelimus, ut omnes tamen Collegæ essent Capituli, in eoq; suum locum haberent, & sententiam dicerent.

Diaconi.

Ad eundem modum & Diaconi suæ functioni dediti sint, non solum ut Euangelium ad sacram Eucharistiam recitent, sed etiam, ut curam gerant pauperum, & ea quæ Communicantes mensæ Domini, & alii, Domino obtulerint, egenis pro arbitrio Capituli distribuant.

Vicarij.

Nec Vicariis esse ociosis liceat, Choro adsint, cum oportebit, Sacris lectionibus, & Concionibus uacent, & dent operam, ut illæ religiosè & decenter perficiantur, tum in aliis quoq; clericalibus ministeriis populo Christi inseruiant ad ædificationem, quisq; pro donis & facultatibus sibi diuinitus concessis.

Eos uero, qui ante hac faciendis Missis priuatis astringebantur, uolumus publicis Missis religiosè adesse, & una omnes, aut aliquos sacramentis communicare, atq; reliquam uitam suam ita gerere, piè & honestè, ut decet homines sacris addictos.

Præbendæ aliquot uicariorum in meliorem usum conuertendæ.

Et quoniam admodum multi Vicarii sunt, qui instituta hac Reformatione præter Sacras Lectiones et Conciones, non habebunt, quid ministerii Ecclesiæ præstent, nobis haud inconsultum uideretur, si aliquot Vicariorum præbendæ, ubi decefferint, qui illas nunc tenent, cum consilio et assensu nostrorum, in alios et meliores usus conuertantur.

Proventus bonorum Ecclesiasticorum, quo modo & quousq; Ministrorum Ecclesiæ esse debeant.

Et quia, ut supra testati sumus, nos non uidemus in nostra potestate esse, cuiquàm sancto Coniugio in Domino ineundo interdicerè, in eo cautum Ecclesiis esse uolumus, ne prouentus Ecclesiasticos liberi, uel uxores Ministrorū, illis mortuis detineant, sed ut ad Ecclesiā statim à morte cuiusq; Ministri omnia redeant. Et ut quisq; Ministrorum ea bona, quibus ab Ecclesia utitur, fideliter tueatur, nulla in parte imminuat, aut adimendo,

adimendo, aut negligendo, uti & Canones postulant, & iuramentum cuiusq; exigit.

Hac ratione instaurari nostrum primum Collegium optamus. Quam rationem & in Collegio S. Gereonis ualere cupimus. Sed nec in aliis Collegiis mutationem aliquam introducere molimur, quàm ut Canonici & Vicarii omnium Collegiorum primum se doctrina, celebratione Missarum, & aliis ceremoniis ad formulam hoc libro præscriptam conforment, Proinde ut Sacras lectiones & cantiones in templis modererentur & exhibeant, iuxta rationem supra indicatam, & plenius postea indicandam. Tum, ut Parochiis & Scholis, quas incorporatas habent, de idoneis Ministris prospiciant, & his, ut suis Ministeriis ad ueram Ecclesiarum utilitatem ritè uacare ualeant, necessaria uitæ benignè suppeditent. Postremo ut uita & moribus aliis exemplo sint in pietate & honestate, cauentes omnem in sua conuersione labem & offensionem, quantum omnino per auxilium Domini poterunt.

Secundariorum Collegiorum instauratio.

At quia constat maiorem partem Possessionum ad Collegia peruenisse à benignitate Principū, Comitum, & Equitum nobiliū, de secundariis Collegiis has uias cum consilio & assensu nostrorū quæremus, ut ea partim nobilitati addicantur, ut in eis nō nisi nobiles recipiantur, partim aliis honestis hominibus, ea scilicet conditione, ut ii qui in Collegia nobilium recipi debent, nobilitatem suam probent, ab atauis & atauis, & qui ex reliquo honesto genere ciuium, probent se natos ex legitimis parentibus, qui honeste conditionis & uitæ fuerint.

Ex Collegiis secundariis aliis nobilibus tantum, alia uero alijs honestis hominibus assignanda.

Quod ad Præbendas attinet Presbyterales in aliis Collegiis, uolumus illas attribui prælectioni Sacrorum, sacris Concionibus, & Sacramentorum administrationi, tum etiam ubi opus fuerit, respondentibus de iure, & consulentibus Collegiis in temporalibus. Quod uero ad sacras Conciones procurandas, atq; Scholas instituendas & fouendas attinet, hæc omnia ita institui & seruari uolumus, uti primo Collegio præscripsimus, quantum quidem Collegii cuiusq; commoditas tulerit, & facultates sustinere poterunt. Et conuenit, ut ad illa præcipua ministeria, ubi præbendæ Presbyterales desunt, aut non sufficiunt, aliæ præbendæ addicantur, et incorporentur.

Sic et de Vicariis et Diaconis aliorum Collegiorum obseruari uolumus eam rationem, quam proposuimus in Collegio nostro supremo.

Argentea et aurea, aliaq; preciosa uasa, atq; ornamenta Ecclesiarum et Collegiorum, per nostram Diocēsim, ubiq; annotari et conscribi diligenter atque asseruari uolumus, nec quicquàm de eis alienari à suis

Vasa & ornamenta preciosa Ecclesiarum diligenter adseruanda.

Ecclesiis,

DE REFORMANDIS COLLEGIIS

Anni carentiæ.

Ecclesiis, & collegiis, uel mutari in alium usum, sine nostro & prouincialium nostrorum legitimo consensu. Obseruauimus quoq; in Collegiis plerisq; tempus carentiæ, quod uocant, æquo longius requiri, quo & Ecclesiæ suis ministeriis diutius destituuntur, & nouitii Ministri plus satis grauantur. Hanc rem igitur ut ex æquitate moderemur, uolumus, ne ultra unum annum tempus carentiæ nouitiis Collegis extrahatur. Sed ut quisq; legitimè obtenta præbenda, primo anno exacto, plenè fruatur, absq; ulla detractioe, nisi aliud obstet legitimum & canonicum impedimentum.

Residentiæ primi anni.

Obseruatum & illud est, residentiæ, quam uocant, primi anni nimis anxie & scrupulose in plerisq; Collegiis exigi, absq; ulla non tantum necessaria, sed nec etiam utili causa. Quæ superstitione pleriq; Collegæ ab iis ministeriis abstrahuntur, à quibus & ad Collegia ipsa, & ad Ecclesias, incomparabiliter maior utilitas uenire possit, quàm si singulis intersint horis. Quin & alia incommoda & offensiones animorum existere solent. Volumus itaq; huic incommodo remedium adhiberi, & leges Residentiæ sic attemperari, prout & fraterna charitas, et Ecclesiarum uera ædificatio postulet, et Collegii cuiusq; conditio et facultates tulerint.

Postremo animaduertimus haberi durius, quàm par sit, & eos Collegas, qui in Academiis honestis uacant studiis. Placet igitur, ut deinceps his, qui permissu Capituli sui in Academiis & probatis Scholis degunt (quod nulli etiam, qui ad studia literarum idoneus sit, & illis fideliter incumbat, negari à Capitulis debet) totæ præbendæ concedantur, Ea tamen moderatione adhibita, quæ ætati cuiusq; ingenio, & studio congruat. Nam cum omnes Ecclesiasticæ præbendæ in hoc unum constitutæ sint, et præberi debeant, ut qui illis sustentantur, Ecclesiis utiliter inseruiant, et commoda earum promoueant, Sanè æquius multo est, atq; cum ipsis Collegiis, tum Ecclesiis et honestius et utilius fuerit, hisce iunioribus Collegis solidas præbendas dare, uersantibus in Scholis, et instruentibus se piis et honestis artibus, quibus postea cumulatorem utilitatem et Collegiis et Ecclesiis adferant, quàm apud Collegia illos ociosè meliores annos in fœda ignorantia deterere, ac ita Collegiis magis oneri esse, quàm ullo commodo.

DE

DE REFORMATIO

NE MONASTERIORVM TVM

VIRORVM TVM MVLIERV M.



Perandum non est ueterem & uerum Monachatum, sicut nec ueterem Canonicoꝝ disciplinam, qualis fuit aliquando, & à Diuo Augustino describitur, libro de moribus Ecclesiæ, restitui posse hoc quidem tempore. Quare ea Reformatione Monasterioꝝ quæ supersunt adhuc, contenti erimus, quam spes sit obtineri & retineri posse.

Primum itaq; uolumus, ut cuncta Cœnobia, & doctrina, & Sacrarum Ceremoniarum administratione, tum etiam Sacrarum Lectioꝝum & cantionum repurgatione & moderatione, se conforment ei rationi, quam de his in hoc Libro descripsimus, & deinde plenius constituemus.

*Cœnobiaꝝ repurgatio
quomodo constituenda.*

Deinde ut Parochiis, quas habent incorporatas, quarumq; redditus & decimas percipiunt, prospiciant de ministeriis Ecclesiasticis, & Scholasticis, atq; stipendiis pro his, qui ista ministeria Ecclesiis præstare debent, per omnia ad eam rationem, quam Collegiis supra præscripsimus.

Tertio uolumus, ut qui in Monasteriis fuerint reperti idonei ad subeundum curam animarum, ad eam ordinentur, ut & apud Veteres ex Monachis Clerici & Pastores electi sunt. Nunc enim id summa Ecclesiæ necessitas postulat.

Quarto, qui ad Ministerium fuerint inepti, neq; donum aut etiam uoluntatem habeant uiuendi in Monasteriis recte & pie, hos detinere in Cœnobiis ad certum scandalum & ipsis & aliis, licere nobis non uidemus. Quare quantum ad nos attinet, haud grauatim concedemus istiusmodi Cœnobitis, si ita uelint & ipsi ad quos attinent, ut relictis Cœnobiis, & Cœnobitica obstriktione, se ad communem honestam & Christianam uitam conferant, siue in coniugio, siue in cælibatu sed uero et pio, degendam. Ad quam uiuendi rationem adiuuari eos quibus opus fuerit, aliqua subsidiaria ope à suis Cœnobiis, quæ derelinquunt, nobis non displicebit.

Quid de vs Monachis statuendum, qui in Cœnobijs recte & pie uiuere non uolunt aut non possunt.

Quinto, qui uero uelint in Cœnobiis permanere, hos uolumus primum uiuere pie, et absq; offendiculo, et communem Christiano-

Z rum

DE REFORMATIONE

rum disciplinam custodire, deinde satis habere, ut ex cœnobii administratione, necessaria corporis accipiant, nec bona cœnobiorum turpi luxu dilapidare. Fouendis enim piis & honestis studiis, & educandis religiosè hominibus, qui certam postea Ecclesiis utilitatem adferant, cœnobio deferuire oportet. Tum etiam numerum horum sic moderari uolumus, quò Cœnobiis quotannis aliquid supersit, quo adiuuentur aliquot pueri, quibus non est, unde honestè educantur, & aliquam artem, qua se alerent, doceantur. Tum etiam adultiores, qui cum artem aliquo modo teneant, qua uitam suam facillè sustentent, non habent tamen unde eam artem incipiant exercere, aut etiam commodum coniugium inueniant.

*Mendicantium Cœnobio
pijs Studijs addicenda.*

Ita & Mendicantiũ Cœnobio pijs studiis tota addici placet. Quandoquidem constat initio nequaquam causa mendicandi, aut tantum legendi & cantandi in templis, & Missas faciendi, sed in hoc maximè instituta esse, ut in eis Ecclesiis educarentur, formarentur, & sustentarentur, qui negligentiam Pastorum supplerent, & obsolescens tum Sacrum ministerium curæ animarum sustentarent. Quamobrem providebimus, ut qui in his Cœnobiis inuenientur ad Sacrum ministerium idonei, ad illud etiam obeundum oportunis locis deputentur.

*Monachorum uestes quales
esse debeant.*

Cumq; aduersetur & Christianæ simplicitati, & ipsis quoq; ueterum S. Patrum regulis Monachis præscriptis, Cœnobitas uestibus adeò insolentibus, atq; tam multipliciter uariantibus sese ostentare, & spectandos exhibere, Cum Monachorum uestes humiles modo & exigui precii esse debeant, non adeo figura & colore à reliquorum mediocrium & humilium hominum uestitu uariare, Placebit nobis, ut qui in Cœnobiis perseuerare uolent, uestibus utantur communibus non ita uariantibus à reliquo religiosorum hominum cultu, sed quæ humiles tamen sint & honestæ, atq; ita attemperatæ, prout cuiusq; ministerio & conditioni uitæ congruant.

*Cœnobio aliquot in Scholas
conuertenda.*

Et quoniam Ecclesiarum maximè interest, ut Scholæ sint, in quibus iuuentus piè & commodè erudiat, & formetur, dabimus operam, ut ubi oportunitas huius rei fuerit, quædam Cœnobio cum consilio & assensu nostrorum prouincialium in Scholas conuertantur, quibus præceptores doctos & probos, quoad licebit, præficere studebimus, & alia nobilitati, alia cæteris honestis hominibus deputabimus, ut in his liberi illorum piè & honestè ualeant educari, & bonis institui disciplinis atq; probatis formari moribus.

Quia uero secuti Verbum Domini, iis quibus datum non est, in Cœnobiis ritè & sanctè pieq; uiuere, liberum facimus in communem

nem Christianorum uitam reuerti, sollicitat plerosq; uariis metus periculorum, quæ hinc existere possint. Nonnulli enim ex ordine nobilium & aliorum honestorum hominum, cum multos liberos habeant nec ualeant omnes filias nuptui tradere, formidant ne ex hac libertate Cœnobia deserendi, eueniat, ut filia eorum ad ipsos reuertantur, & sint eis oneri, aut certe pelliciantur ad inconsulta & ipsis indigna Matrimonia, aut seducantur ad aliam uitæ labem. Multa enim hominum est imbecillitas perseuerandi in bonis & honestis studiis, & insidiatur mirifice uetus hostis noster Sathan omni Christianæ rerum humanarum instaurationi. Nonnulli etiam metuunt hinc graues & perniciosas lites de hæreditatibus, atq; accisionem nõ ferendam Patrimoniorum, quod uereantur eas, quæ Cœnobia deserturæ sunt, suam in hæreditatibus portionem postulaturas esse. Nec solum ex iis hæreditatibus, quæ adhuc diuidendæ sunt, sed iis etiam quæ iam diuisæ sunt.

Quæ pericula formidentur ex libertate relinquendi Cœnobia, & quomodo eis occurrendum.

Nos autem, cum in omni quam molimur Reformatione, eo toto corde spectemus, & cuncta studiosissime referamus, ut nostris hominibus ad gloriam Dei omnia commoda augeamus, in primis spiritualia, deinde autem etiam temporalia, nec ulla in re ullum commodum intercipiamus, uel imminuamus, quantum omnino possumus, optamus & hæc & alia omnia, quæ uel formidentur fore, uel uerè futura molesta sunt, auertere & submouere.

Eamq; ob rem hortamur omnes Virgines Cœnobitas, & reliquos qui in Monasteriis nunc sunt, in Domino, summo studio, ut & ipsi solite caueant, ne hoc tam necessarium & salutare opus Christianæ Reformationis ulla in parte maledicentiæ hominum obiiciatur, neue ullo abusu uel offendiculo impediatur aut deturpetur. Cum huic operi alioqui propter tantam hominum infirmitatem, & tam acres & assiduas insidias Satanæ, quàm plurimæ incidant offensiones & impedimenta, antequam aliquo perueniat & irroboretur.

Pia adhortatio ad omnes Cœnobitas.

Nos quidem necesse est uerbum Domini sequi, & ei non præire. Hoc uero non solum cœlibatum nemini imponit, nec necessitate præcepti, nec commendatione aut exactione uoti, aut ullius uitæ uel ministerii occasione, uerum etiam laudem cœlibatus, et cœlibatus non cuiuslibet, sed eius, qui eo ualeat homini, ut Deo et diuinioribus actionibus liberius et addictius et perseuerantius adhæreat et incumbat, adeo studiose et singulari cautione astringit et moderatur, ut quoties aliud in commendationem protulit huius cœlibatus, et rationis seruienti Domino extra coniugium, statim subiungat, quò diserte admoneat, non esse omnibus datum, seruire Deo extra coniugium, et unum

Cœlibatus et eius cautio.

DE REFORMATIONE

quæq; debere considerare, quod ipse donum à Domino acceperit, Ne ad altiora enitens, nec in inferioribus quidem consistat, & sublimiorum uirtutem sectans, amittat humiliorem, ac sibi ipse laqueum iniiciat. Ita os Domini & Spiritus sanctus de cœlibatu docuit. Matth. XIX. I. Corinth. VII. I. Timoth. V.

Cum ergo ad hunc modum & ista cautione, cœlibatum Dominus & Magister Religionis ipse commēdet & per se, & per Apostolum suum, nec nobis sane discipulis eius licere poterit, ulla siue renouatione Præceptorum, uel exactiōe uotorum hominibus nostræ fidei commendatis ad id, ut eos in gratia Dei conseruemus, laqueum iniicerent pereant, aut depellere ab eo, quod ipsis sit & melius et tutius (uti est iungi coniugio iis qui uruntur) et ad id quod eis non bonum sed periculosum sit, impellere. Vt enim Dominus nihil præcipi suo nomine homini uult, nisi quod certo ad salutem eius pertinet, ita nec uotum ali quod uel commendari uel exigi, quod eodem non ualet. Venit enim ut seruaret, quod ex hominibus periit, non ut in aliquod salutis discrimen adduceret. Venit ut suos inutilium præceptionum onere non premeret, sed liberaret. In his itaq; consistere nos quidem oportet, nec fas esse nobis potest, recedere à Religione officii nostri, ut ulla temporaria siue incommoda auertamus, siue commoda conciliemus. Nec enim facienda mala sunt, ut eueniant bona.

Interim uero non minus religiose consideranda sunt, ut omnibus Christianis, ita certe etiam Cœnobitis, quæ Dominus tantopere præcipit & requirit, de reuerentia & obseruatione parentum, cognatorum & in uita hac à Domino nobis præpositorum. Item de coniugio non nisi in ipso, id est, iuxta eius uerbum, et placitum ineundo. Tum de uitandis offensionibus, et studio approbandi se omnibus ad bonum & ædificationem, in omni uita & actione. Item & conseruandi ac mediandis, quæcunque grata, quæ bonæ famæ & laudabilia sunt, Euangelioq; maius decus conciliant.

Ex his ergo præceptis Domini admonemus & adhortamur in Domino, & nomine eius, omnes uirgines Cœnobitas, et alios quosq;, ut hæc omnia præcepta Domini pie expendant, et corde reponant. Ne quando intēpestiuis coniugiis eos perturbēt et molestia afficiant, quibus debent omnē honorem, obseruantiam, et dilectionem, atq; ea re Euangelium Christi dedecorent, et offendiculum Ecclesiæ Dei, aut aliis hominibus obiciant, quam ope Domini euitare sane possint. Neq; enim negabit Deus cuiquam fide uera petenti à se in nomine Filii sui
 Domini

Domini nostri Iesu Christi, et imploranti Spiritum suum, opem ad ea commode præstanda, quæ tantopere præcipit et requirit. Id quod quotidie cernimus in tot sanctis puellis et uiduis, quas in solida uitæ puritate conseruat, absq; omni turpi suspitione et offendiculo, dum illis non contingunt idonei mariti, quibus in ipso nuberent. Nec ullum certe donum, quod ad ædificandam et ornandam Ecclesiam suam pertineat, Deus nobis non et hoc tempore benigne largietur, si ipsi modo eius benignitatem et dona non aspernemur et reiiciamus, sed pie queramus et oremus. Quocirca Dominus et uirgines et uiduas, aliosq; sanctos homines, qui se propter regnum Cælorum castrent, non minus hac tempestate dabit, si ista Ecclesiæ ornamenta pie ab ipso petamus, quàm dedit tempore sanctorum Patrum. Nec desunt indubie hodie, quibus istud pii coelibatus donum diuinitus contigit, si commodo uero timore Dei, et studio Euangelion promouēdi uti uelint. Maximo itaq; studio et summa sollicitudine caueant Cænobitæ omnes, ne qua in re libertate Christi abutantur, et bonum quod à Domino acceperunt, professionem Euangelii, maledicentiæ hominum ipsi obiiciant et prodant. Sed religiose potius dispiciant, explorent, et diu dicent, quo ipsos Dominus uocarit, et uocet, non quo impellat carnalis curiositas et cupiditas, quam tamen Dominus dabit uincere, si tantum eum sedulo hoc orent, eoq; studiose enitantur, uitam suam omnem pia cura ita comparent, ut se omnibus quidem, maxime autem iis, quibus præcipue ex Dei constitutione iuncti sunt, approbent, et placeant ad bonum, et ad ædificationem, nullaq; in re, quæ sua sunt, sed quæ aliis conducunt, querant, uti Dominus per Paulum ab omnibus Christianis postulat.

Hæc uero omnia admonemus & hortamur Cænobitas, ea ratione & religione, ut Paulus fecit, ad ueram utilitatem Cænobitarum, ad id quod eis decorum sit, & ad hoc ipsis conducat, ut Domino expeditius, coniunctius, et indiuulsius adhæreant. Nequaquam autem ea ratione & superstitione, ut laqueum cuiquam iniiciamus, id est, occasionem uel lam demus, plura & altiora conandi, quàm à Domino quisq; facultatem acceperit, uti & antea protestati sumus.

Quamobrem ut alias, ita et huic admonitioni & cohortationi istud semper cum Paulo adiicimus, Si se non continent, nubant. Melius enim est nubere, quàm uri. Quicquid homines contra hoc siue uoluerint, siue præceperint, aut sua autoritate uel gratia petant. Contra

DE REFORMATIONE

illud enim quod Dominus pronunciat melius esse, nulli fas est hominum aliquid aut uouere aut præcipere, aut petere uel præstare ulla ratione.

Cohortatio ad parentes et cognatos Conuictorum.

Quapropter parentes & cognatos horum hominum in Domino rogamus & hortamur, ne uelint in eis, quos ipsorum fidei Deus commisit, qui ex ipsis nati sunt, aut sanguine eis uel alia diuina copulatione iuncti sunt, commoda & ornamenta temporaria præferre æternis, ac illud potius probe & religiose considerent, cunctam nostram salutem consistere in libera & confidente inuocatione misericordie diuinæ, per Dominum nostrum Iesum Christum, Quæ inuocatio cum mala conscientia cohærere non potest. At qui uruntur, quòd scilicet dono castrationis propter Regnum cælorum donati non sunt, si remedium uisionis respiciant, Sanctum Coniugium, bonam ueri conscientiam perquam ægrè poterunt. Qui enim non studet amplecti, cum licet, id quod Deus iudicauit melius, is certe Dominum contemnit, cuius salubre consilium aspernatur. Stat autem clarum Verbum Domini. Melius est nubere quàm uri. Consolari uero debet parentes pios, qui maiore numero liberorum à Deo honorati, non onerati sunt, quòd ille promisit, quærentibus regnum Dei & iustitiam eius, cætera omnia ipsius providentia adiicienda esse, quæ certe suos nullis unquam uere bonis destituere potest. Hac se & similibus diuinis promissionibus confirmant. Quibus plures liberi sunt quàm ut existiment se posse omnibus de idoneis Matrimoniis prodignitate suæ familiæ prospicere, hi ne dubitent, si Regnum Dei & iustitiam eius suis Filiabus uel Filiis, permittendo eis sanctum coniugium, cum donum Deo extra illud seruiendi non acceperint, in primis quærant, Deum indubie ita large, & his ipsis eorum liberis, & aliis benedicturum, ut re ipsa comperturi sint, nihil esse utilius, nihil benedictionem Domini in omnes uitæ usus largiorem impetrare, quàm fideliter et simpliciter sequi eius uerbum et uoluntatem. Quàm porro horrendum auditu esset, homines Christianos et Nobiles, aut alias singularibus beneficiis Domini præstantiores, liberos suos, quos genuissent Deo, ad percipiendam uitam æternam, non Diabolo ad subeundam sempiternam perditionem, quosq; Christo in Baptismate consecrassent, ad seruanda quæcunq; ille præcepit, propter temporarias facultates, et inanem in hoc peruerso sæculo præstantiam ac splendorem, ponere scientes in periculo æternæ condemnationis, et laqueum iniicere peccati? Væ (inquit Dominus) iis, per quos uenit scandalum.

Si quid

Si quid etiam nos deinceps, cum consilio et assensu prouincialium nostrorum Satuū, poterimus piis et honestis hominibus, cum Nobilibus, tum aliis, qui plures liberos habuerint, quàm pro suis facultatibus iungere matrimonio commodè possint, conferre ad id, ut omnes suos liberos, quos Dominus ad sacrum Coniugium uocauerit, copulare etiam se dignis matrimoniis ualeant, ad fidem et diligentiam nostrā nihil faciemus reliqui. Parentes et cognati, qui suis iunioribus præfunt, studeant interim, et semper, eam liberis et cognatis suis hac in re charitatem et fidem exhibere, qua declarent se nihil prius, quàm gloriam Dei in salute suorum illustratam cupere. Ita iuniores inuicem se præstent erga parentes et maiores suos, ut qui post obedientiam Dei nihil malint, quàm omnem uitam suam ad gratiam et dignitatem parentum et cognatorum suorum comparare, atq; pro illorum uoluntate cuncta et facere et pati, quæcunq; cum Deo facere et pati possint. Ultra hæc nec nos, nec alii adferre quicquàm remedii possunt, aduersus prius incommodum, quod ex remissione Monasticæ obligationis formidatur, Ne scilicet Virgines Cœnobitæ reuertantur ex Cœnobiis ad suos, et sint illis oneri, aut etiam dedecori per inconsulta matrimonia, aut indigniorem adhuc uitæ permutationem.

Vt uero et solitudini illorum occurratur, qui de altero incommodo perturbantur, quod hæreditatibus et patrimonis metuunt. Rogamus hos et hortamur in Domino, ut primum id probè perpendant, apud nos Christianos rationem temporalium bonorum sic ducendam esse, ut ea non solum æternis bonis nullo modo præferantur, sed etiam ne sint his alicubi impedimento. Tum cogitent, Ius Diuinum, quo Abraham & alii sancti Patres uixerunt, parentibus concedere, ut dona Dei, bona sua temporalia, inter liberos suos ita distribuant, ut illud iudicauerint fore maximè è re & dignitate cum domus & familiæ suæ, tum Ecclesiæ Christi. Abraham enim Isaac sibi instituit iustum hæredem, & dedit cæteris liberis suis ex Cethura, quanquàm legitimè natis, certas modo portiones bonorum suorum suo arbitrio moderatas. Sic Dauid successorem fecit regni, non maiorem natu, sed quem ipse iudicauerat administrationi regni magis idoneum. Ex eadem ratione lex Mosi, quam Deus ipse tradidit, iubet primogenito binas partes hæreditatis tribuere.

Hac itaq; ratione perpensa, si idem uidebitur nostris Prouincialibus de hæreditatibus eorum, qui Cœnobia relinquunt, ita statuemus. Vt nemo horum ius habeat eas petendi hæreditates, quæ inter reliquos hæredes ante distributæ fuerint, quàm ipsi Cœnobiis exierint. De

DE REFORMATIONE

hæreditatibus autem, quæ postea euenient, cum illi extra Cænobia de-
gent, sic agemus. Si quibus grauius cadat admittere ad pares portiones
eos, qui post celsionem hæreditatis Cænobia reliquerunt, propterea
quòd ipsi freti ea celsione, indeq; expectatione amplioris portionis ex
hæreditatibus suorum, Matrimonia contraxerint, aut alia negocia in-
stituerint, ut grauiore eos affici damno oporteat, si eiusmodi celsio hæ-
reditatis irrita fiat, & ii, qui eam fecerunt, relictis Cænobiis suam por-
tionem, ac si eam non celsissent, repetant, in huiusmodi casu curabimus
iis, qui in tali damno fuerint, studiosè consuli, & eos qui Cænobia reli-
querunt, ad Christianam æquitatem adduci, ut nemini causa sit in ini-
quo querendi. Eos quoq; qui Cænobica seruitute liberati fuerint, ita
gratos se præstare Deo conuenit, pro incomparabili illo beneficio
Dei, restitutæ sibi puræ doctrinæ Euangelii, & Christianæ libertatis,
ut facile satis sibi ducere debeant, quantulumcunq; eis obuenerit, si
modo eo poterunt Deo libera & secura conscientia seruire. Vt cumq;
autem istæ res cadant, & consuli huiusmodi controuersis poterit, ta-
men cogitandum Christianis est, nos post sanctificationem nominis
diuini, & aduentum Regni eius, orare panem quotidianum. Quare
omnis cura de rebus temporalibus seruire & cedere debet Sanctifica-
tioni nominis Diuini, & Regno eius.

DE LIBERIS ET NON MONASTICIS COLLE- GIIS VIRGINVM.



Rimum uolumus unumquodq; Collegiorum in ea re-
linqui conditione, quod attinet ad Natalium dignita-
tem, in qua nunc est, ut quæ Collegia addicta sunt fi-
liabus Comitum, his relinquuntur, ita etiam natis ex
ordine equestri, quæ illis attributa sunt.

Deinde, ut Abbatissæ ac reliquæ uirgines in his Collegiis, doctrina,
administratione Sacramentorum, & reliquis cæremoniis, item ratio-
ne legendi & cantandi in templis, se huic nostræ Reformationi confor-
ment, & quæ legent & canent in Sacris, ea lingua legant & decantent,
quam possint intelligere.

Abbatissæ fuerit cæteras Virgines in timore Domini, in sancta mo-
deratione uitæ, & omni honestate educare & retinere, eoq; illas dili-
genti

genti admonitione & exemplo uitæ suæ incitare. Reliquæ uirgines præstare se studeant Abbatissæ, & aliis ipsis præpositis, dicto audientes & morigeras, in omni pietate, frugalitate, & pia moderatione cibi, potus, uestium, rerum & actionum omnium.

DE ORDINE CAP- PVTIATORVM ET BEGHAR- DORVM.



Apputiati, qui uocantur, alioquin instituto suo uero Monachatu proximi sunt, conuiuunt, Scholas exhibent, & laborant manibus. Ad hæc igitur eos tuebimur & adiuuabimus. Hoc tantum ab eis requirentes, ut ceremonias suas, lectiones & cantiones, iuxta hanc nostram Reformationem repurgent & moderentur, uitamq; ducant inculpatam, in communionem Ecclesiæ, apud quam habitant, & obedientiam communium Pastorum.

Ita & Beghardi laboribus suis se sustentant, ægrotis ministrant, & sepulturæ deseruiunt defunctorum. Quocirca & his paternè aderimus, eosq; in hoc Sancto instituto adiuuabimus, quicumq; uolent hisce ministeriis fideliter incumbere, uitamq; omnem piè, & in communionem reliquæ Ecclesiæ, & obedientiam communium Pastorum transigere.

Hi omnes debent per Visitatores de his ministeriis suis, ac omni reliqua conuersatione diligenter explorari, & certam ab eisdem formam & regulam uitæ & instituti sui percipere, eamq; bona fide obseruare.

CONCLV:

CONCLUSIO

OPERIS



AE omnia quæ præmisimus, pro nostra simplicitate, bona tamen fide, et uero studio Domini nostri Iesu Christi, ita cogitata, deliberata, atq; congesta, ut simplicitatem introductionem ad Christianam rerum Ecclesiasticarum restitutionem edere, nostrisque hominibus tandem proponere uisum est, Atq; eo, quantum Dominus dederit, satisfacere muneri et mandato, quod nobis à Deo creatore nostro iniunctum et traditum agnoscimus, eiq; quod Decreto Comitiorum Ratisponensium, de instituenda inter nostros pia Reformatione impostum est, quodq; nostri Prouinciales à nobis petierunt, ac etiam constituere nobis concediderunt et permiserunt. Quæ tamen haud aliter quàm ut initium quoddam rei huius tam sanctæ et necessariæ, hominibus nostræ fidei conceditis, proponimus recipienda et obseruanda, donec per liberam et Christianam synodum, Vniuersalem aut Nationalem, aut per Inuictiss. Imp. benignissimum Dominum nostrum, unacum Principibus Electoribus, cæteris Principibus et cõmunibus Statibus Sacri Imperii, in spiritu sancto congregatis, generalis per sacrum Imp. Ecclesiarum Reformatio constituatur. Quam ut Dominus det secundum suum uerbum et præceptum unanimiter constitui et recipi, pro illustranda gloria sua, et promouenda salute nostra, ab eodem Domino et Deo nostro assiduè petere et orare debemus. Quòd autem hæc nostra interim nostris hominibus offerimus, nullis aliis de causis facimus, quàm iis quas commemorauimus. Studemus effugere culpam inobedientiæ, imprimis aduersus Deum, qui hanc nobis curam, et hoc opus in Lege sua multipliciter præcepit. Deinde etiam aduersus Superiores nostros, qui eadem rem nobis Decreto Ratisponensis Comitii imposuerunt. Tum etiam culpam perfidiæ in subditos nostros, quibus secundo flagitantibus piam Ecclesiastici Ministerii instaurationem, & potestatem eius constituendæ facientibus, officium hoc nostrum promissimus, quod illis etiam ex iniuncto munere Archiepiscopali debemus. Quo igitur, si non plenè, tamen aliquo modo, id quod nobis à Deo & Seruatore nostro, & Superioribus nostris nobis imperatum, à nostris hominibus flagitatum, & à nobis illis promissum est, præstaremus, ista cogitata & deliberata nostra proferimus, & nostris hominibus tradimus, quærentes eo promouere & conseruare, quan-

tum Dominus successum donare dignabitur, pium consensum & salutarem omnium ædificationem, in doctrina, Sacris ceremoniis, & disciplina Christi, nostrosq; in hoc præcipuè adeo periculoso tempore, quo tam multæ & variæ hæreses & impia dogmata circum nos quotidie perniciosius excitantur, custodire ab omni falsa doctrina, & perditione, quæ impiam scilicet doctrinam certò consequitur. At uero si Dominus nobis posthac suam uoluntatem plenius reuelauerit, & plus gratiæ & Spiritus sui largitus fuerit, iam nobis istud integrum seruamus, hæc nostra cogitata & instituta ampliare, contrahere, mutare, emendare, explicare, non aliter tamen quam secundum Verbum Dei, et prout Dominus nobis dederit uidere, id esse è gloria sua, et ædificatione populi sui, quem nobis commisit. Hæc Christianis omnibus, qui ista legerint, ad gloriam Dei et utilitatem Ecclesiæ eius exponere et testari uoluimus. Quos omnipotens Deus et Pater noster cælestis Spiritu suo benignius indies illuminare, atq; in agnitionem uoluntatis suæ altius inducere, uirtuteq; potentiore illam in omnibus sequendi, donare et augere, tandemq; fœlices per omnia efficere dignetur, per Seruatorem et Sospitorem nostrum
 Dominum Iesum Christum, cui sit laus,
 honor, et gloria in sempiterna sæcula,
 AMEM.

ERRATA

Numerus prior folium indicat, A, factem primam, B, secundam, Numerus sequens lineam.

3. A. 80. Ad / 8. B. 37. terreamur / 15. A. 21. peccandi / 17. B. 13. & hoc / 19. A. 35. pœnitentiam inuitat / 22. B. 9. & admitendam / 25. A. 34. proposita / 26. B. 17. tandem / 31. A. In margine, pijs remuneratur / 33. B. 1. Sic David, Abne / Ibidem. 3. consistere / 34. B. 34. facimus / 37. B. 12. ex quo / 47. A. 19. Agnoscamus / 55. A. 2. Abhorreant / 57. A. 16. Samuelis / 58. A. 35. Ieiunio / 58. B. 33. Annæ Prophetissæ Luc. 2 / 59. A. 14. Ieiunabant / 63. B. 12. Ecclesiasticos / 68. A. 19. etate teneriores / 68. B. 12. exhibent / Ibidem 26. inuenda / 74. A. 12. Adducebant / 78. B. 4. ope / 92. A. 1. oramus. 102. B. 15. bis / 107. B. 21. abierunt / 108. A. 1. dignis / 109. A. 34. temporanea / 111. A. 6. quoniam / 116. A. 30. sanctificentur / 134. A. 2. Statuum.

BONNAE IN OFFICINA LAVRENTIJ
 Mylij Typographi. Anno M. D. XLV.

1787

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

Donna Maria Josefa de la Cruz

Donna Maria Josefa de la Cruz

Donna Maria Josefa de la Cruz

Donna Maria Josefa de la Cruz

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

DONNA MARIA JOSEFA DE LA CRUZ

Donna Maria Josefa de la Cruz